I O F V

1591


Levini
Lemnio
1591









LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZÆI, DE HABITV ET CONSTITV-TIONE CORPORIS, QVAM GRÆCI κρᾶσιν, Triuiales COMPLEXIONEM vocant, Libri II;

Omnibus quibus secunda valetudo curæ est, apprime necessarii: ex quibus cuiq; procliue erit corporis sui conditionem, animiq; motus, ac totius conseruandæ sanitatis rationem ad amussim cognoscere.

Nunc vero ab innumeris mendis, quibus passim scatebant, vindicati; opera G. A. G. formaque commodiore in lucem editi.

Cum INDICE *Rerum & verborum copiosissimo.*



FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum,
M D LXXXXI.

SPECTATISSIMIS COSS. CORNELIO OCKERO INTEGERRIMO AC CANdoris eximii viro, Petro Nicolaidæ viro induſtrio, ac præter inſignem eruditionem adminiſtrandæ reip. obeundisque functionibus Tribunitiis periſſimo; denique ordini Senatorio cum primis illuſtri, cæterisque Ciuibus magiſtratui obſequentiſſimis,

L. Lemnius S. P. D.

DIci vix queat viri ſpectatiſs. quo ſit affectu, qua animi propenſione erga Ciuitatem hanc, eiusq́ ciues ac municipes veſter Lemnius; partim quod prima vitæ lucisq́ huius auſpicia in hac ſit conſequutus; partim quod inter illos verſetur, qui quum ſint humanitatis ſtudiis abunde imbuti, tum ſuos literarum monumentis, omniq́ rerum co-

*gnitione ſedulo inſtitui curant. Hoc ſiqui-
dem potiſſime cuiq; ciuium eſt in votis, eoq;
omnis eorum ſpectat conatus atq; induſtria,
vt quos hæredes inſtituunt, non tam opum
ſplendore, rerumq́; fortuitarum affluentia,
quam doctrina ac morum integritate illu-
ſtres præſtare pergant. Quæ res hactenus
effecit, vt ciuitas Zirizæa in maximis cala-
mitatibus quas toties perpeſſa eſt, inconcuſſa
ſubſtiterit. Siquidem clariſſimi Senatus
authoritate & conſilio fulta, nulla ſui parte
labefactari luxariq́; viſa eſt; aut ſi quid
detrimenti acceperit, ſi qua iactura aut cla-
des illata ſit (vt nemo non aliquo incommo-
do vel vrgetur vel afficitur) confeſtim viri
conſulares ſumma cura, pariq; animorum
conſenſu reſarciunt, inſtaurantq; omnia,
atq; in integrum collapſa reſtituũt. Quum
enim Magiſtratus munus ſit atq; officium
ſtrenue ſuas obire partes, ciuium commodis
proſpicere, optimum ciuitatis ſtatum mo-
liri, luxata inſtaurare, fulcire nutantia, in-
clinata erigere, collapſa in gradum repone-
re; obiter,*

Con-

Consulere in medium, & rebus succurrere fessis,
Omnia in antiquam correcta reponere sedem:

Nulla sui parte in his perficiẽdis cessant viri politici; omniáque inculpate magistratus exequitur, suisque muniis ordo Senatorius præclare fungitur. Tametsi enim maligna sit, parumque fida nauium statio, portusque incommodus, nec vllus propemodum exterorum concursus & negotiatio, ipseque Oceanus tanta quotannis adferat dispendia, vt incredibili sumptu nouæ subinde, atque in immensum erigendæ sint aggerum moles, quibus fluctibus obnituntur, ac maris ferociam retundunt; alacri tamen atque infracto animo omnibus obsistunt, sartaque tecta, vt dicitur, perficiunt. Siquidem penes eum Consulem qui ex tribunitia potestate, plebis curam tutelamque suscipit, consistit hæc rei agrariæ præfectura. Is sibi asciscit ex patriciis Septemviros vt municipales collegas ac consultores, qui quod patriæ commodis consulũt, voce gentilitia Heimradt *nominantur. Hi, quum res poscit, per totius insulæ ambitum deuecti longe lateque exporrectos aggerum tractus, incurua littora, sinus im-*

Heim, patriã ac natale solum Germanis olim sona

mensos cataractas, aquæductus, portus, orasq; maritimas omnes alacriter perlustrãt; ac si quid dissipatum sit ac conuulsum, marisq; violentia concussum dissiliit, acriter instant, omnibusq; instaurandis vigilãter incumbunt. Hanc prærogatiuam ac tribunatum, hoc est administrandi soli, fundiq; patrii munus consequuta est ciuitas Zirizæa a Belgarum principe Philippo cognomẽto Bono, qui & Zelandis quos Mattiacos Tacitus vocat, imperabat; quod singularem in Magistratu vigilantiam, agendiq; solertiam perspexerit, adeo vt illorũ industria frequentius vindicata, assertaq; sit Scaldia insula ab interitu, quem Oceanus inundans vicinis crudeliter intulit. Quo effectum est, vt exteri quoq; nostratiũ opera vtãtur, vbi nouos portus eruũt, vbi ex mari vindicanda sunt latifundia, atq; agrorum aliquot myriades sementi messiq; vberrimæ accõmodæ. Cæterum cum innumera huic ciuitati sint ornamenta illamq; illustrent, tum nulla re mihi visa est commodatior ac plus solidæ laudis promereri, quam quod

bat, cuius Tacitus meminit libro de huius gẽtis moribus.

Philippi Burgundię ducis in Zirizæos munificẽtia anno 1425. Libro de moribus German.

tot

tot viros literatos proferat multisq; præclaris ingeniis fœcunda sit atq; exculta; quorũ consilio ac prudentia non domesticæ modo res, sed externæ quoq; nationes nituntur. Siquidem complures ex hac vrbe in principum consilia sunt asciti, atq; ad amplissimas dignitates euecti. Cui hoc accedit ad ampliorem magisq; vberem laudis cumulum, quod non modo patricii viriq; politici, sed plebeii quoq; sortisq; infimæ homines summa ope enitantur, vt ex se prognati ad eruditionem prouehi possint: quorum nonnulli tametsi ἄμουσοι sint, atq; ab humanitatis studiis alieni, tantum abest vt ea aspernentur ac fastidiant, illisq; vt eorum rudes, infesti sint, vt hoc decus atq; ornamentum in omnẽ posteritatem propagare exoptent, ad ea quæ illis sunt incitamento, atq; omnes suas facultates in iis consequendis conferunt. Possum hoc ipsum ingenue citra adulandi suspicionem de ciuibus meis testari, vt quibus annos supra tres & triginta operam meam in medendo approbare præstareq; studui; qua vero dexteritate ac successu, penes illos

fides esto, ac iudicium, qui nostram industriam in expugnandis demoliendisq́; morbis sunt experti. Quoties, ego viri præstantissimi, in congressu familiari deplorantes audio opulentos quosdam & qui nobilitatẽ diuitiis metiuntur; quod disciplinis aut nihil prorsus, aut tenuiter sint imbuti, adeo indigne animoq́; iniquo ferunt deesse sibi illa naturæ præsidia, vt aliquot talẽtorum iacturam facere non dubitent, si in doctorum album referri censeriq́; possint. Nimirum sentiunt homines minime stupidi aut obesæ naris, quid momenti adferant ad rem auspicatò sciteq́; peragendam, literarum adminicula, quantumq́; natura iuuetur arte. Quo spectat illud Horatii;

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit, video ingeniũ; alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

In sententiis enim proferendis, in obeundis legationibus, exequendisq́; muniis publicis, in adhibendo rerum verborumq́; delectu, in corrigendis qui latenter taciteq́; irrepserunt erroribus, in tollẽda reprimendaq́;

daq; superstitione; in stabiliēdo syncero Dei cultu, fouendaq́; religione plus adferunt iudicii, pauloq; sunt oculatiores viri docti ac literis expoliti, quam qui harū præsidio sunt destituti. Quod quum potissima ciuium nostrorum pars perspectum habeat, in hac palæstra eoq; stadio sedulo se exercēt; in quo vt progressum faciant omnibus modis futurus sum adiumento, ne eas opes & viatica parare desinant, quæ extra fortunæ aleam sunt constitutæ, quæq; eripi non possunt. Sint penes alios ampla longeq; exporrecta pomœria: vigeat apud illos negotiatio, hominum concursus & frequentia, sit multarum magnarumq́; rerum possessio, quæ plerumq; instabilis atq; infida, vel eripi solet, vel alio transferri: nostræ profecto Ciuitati hoc nomine præcipue gratulor, quod præter negotiandi solertiam ac conquirendi studium, præter vberem rerum prouētum, præter agros feraces, ac messi triticeæ accōmodos; præter herbida saginando pecori pascua; præter salis conficiendi industriam, illas opes præ cæteris ciues consectantur &

respectant, in quas nihil iuris fortunæ mutabilitas sibi vendicat. Quas ob causas viri integerrimi visum est hoc munere literario vobis gratificari, vestrosq; animos lucubrationibus hisce nostris demereri: quas eo magis gratas acceptasq; fore confido, quod non ab inquilino aliquo, aut alterius loci populari; sed eiusdem Reipublicæ ciue ac municipe sint profectæ: tum quod ea vestro nomini atq; amplitudini dedicãtur, quæ summis pariter atq; infimis ex æquo futura sint vsui, quæq; corporis valetudini prospiciunt, animoq; cultum adferunt, ac mẽtem aliqua ex parte informant pietati. Deus Opt. Max. cui per Seruatorem IESVM CHRISTVM *nostra vota nuncupamus, Remp. nostrã adaugeat, vobisq; omnibus in ea stabilienda firmandaq; successum incrementaq; conferat. Zirizææ ex Musæo nostro: Anno redempti orbis Sept.*

1561. Calendis Ianuariis.

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZÆI, IN

SEQVENTES LIBROS PRÆFA-*tio, quæ argumenti vicem obtinet; atque obiter commonſtrat, quo ſpectet libri huius ordo & ſeries, & quam ſit futura vtilis huius operis tra-ctatio.*

QVO non minus vtilitatis, quam oble-ctamenti concipiat ac conſequatur aui-dus Lector; quid præſens opus tractet ac complectatur, compendio indicare viſum eſt, vt hinc documenta ſumere volenti longę vel inquiſitionis, vel coniecturæ labor abſit. Quocirca ne cui fucum feciſſe videar, ac poſt-modum indignetur plauſibili titulo ſibi impoſitum, in ipſo veſtibulo, primoq. operis aditu hoc Satyrici, argumenti loco exhibeo,

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

Quum enim nemo ſit mortalium in tanto, tamque acerbo humanæ naturæ lapſu atque inclinatione, qui non minus in animo, quam corpore aliquam cladem acceperit, hoc potiſſime argumentum tractandū ſuſ-cepi, vt corpori ab integritate delapſo, tum animo va-cillanti, atque ægritudine oppreſſo (commonſtrata vtriuſq. partis natura) aliquam medicinam adhiberē. Itaq. ſingulorum, prope dixerim, hominum mores, ſtudia, conditiones, vitę inſtituta, animi propēſiones, conceptus, voluntates, cogitata, molimina, & quæ

quodq. corpus valetudine, quo habitu, & constitutione existat, quam potui dilucide patefacere sum conatus, quo quisq. vitiis quum corporis, tum animi, si qua vrgetur, mederi possit & obsistere, vel a morbis se tutum præstari ac tueri, si ab iis liber sit & immunis.

Consensus corporis & animi.

Quoniam vero corpus & anima sympathia quadã ac consensu inter se cõnexa sunt, virtutesq. ac vitia vltro citroq. deriuantur; atq. hinc inde confluunt, mutuã paremq. operam hæc ipsa exposcunt. Scio equidem a multis ambigi, atq. in dubiũ vocari, cuius partis humanæ naturæ morbus nocentior, atq. homini magis exitiosus; quod vt non facile expediri posse fatear, ita omnibus persuasum esse cupio, maximam malorum partem ab anima internisq. viribus proficisci: quod enim corpus morbosum animæ sit oneri, suamq. operam illi geneget, huius potius, quam illius incuria culpanda est. Siquidem quum corpus animi imperio subditum sit, illiq. obsequium præstare cogatur; munus animi, mentisq. officium est, domitis affectibus, illud in officio continere, ac ratione moderari. Vt enim liberior licentia, atq. indulgentia mollior adolescentiam, lubricamq. ætatem deprauat, atq. deteriorem efficit, omnesq. animi neruos elidit; ita habenæ laxiores corpus ad voluptates, ad luxum, ad libidines, fœdasq. cupiditates, postremo ad innumeros morbos reddunt propensissimum: quorum omnium mens ebria, suiq. oblita, origo existit, ac seminarium, quod omnem cultum ac salutarem doctrinã respuat. Miratur autem Cicero, quidnam causæ sit, vt quum ex corpore & animo constemus, corporis curandi tuendiq. causa excogitata sit & quæsita medendi ars, Deorum inuentioni consecrata; animi vero medicinam adeo non desiderari, vt etiam pluribus suspecta sit & inuisa, nam paucis culta ac probata. Cuius erroris causam & culpam in animum transferendam quis possit ambigere? nam illi, nõ corpori iudicium defertur, ac de doloris sensu iudicandi peritia tribuitur. Quocirca quum homo diuinitus originem sit sortitus, illiq. mens

Anima an corporis morbus nocentior.

Indulgentia quid efficiat.

Tusc 3.

mens cæleſti lumine illuſtretur, atq. afflatu ſpiritus abunde perfundatur: par eſt vt naturæ ſuæ decus, amplitudinem, dignitatem, præſtantiam tueatur, vt ratione potius, quam affectibus ducatur, vt dotes mentisq. ornaméta foueat atq. amplificet, vt corporis atq. animi incolumitati accurate proſpiciat, vt vtriuſque partis quum morbis, tum vitiis obſiſtat ac medeatur, quibus perficiendis obuia, nulliq. non expoſita eſt medicina, ac remedium ſalutare. Siquidem animæ ſalus ex puriſſimis Scripturæ fontibus; corporis vero ſanitas ex conſcriptis medicorum libris, aut ſalubri illorum conſilio parari poteſt, quibus hoc quiſq. obtinebit, vt aut non ægrotet, aut ſi quo morbo, vlloq. affectu tentari contingat, confeſtim illum excutiat atque amoliatur. Hæc ſtudioſe Lector præfari viſum eſt, quo quiſque intelligat, quid ſibi expetendum ſit, ac ſectari debeat, vt commode nullaq. moleſtia aut valetudinis diſpendio vitæ curſum perficere poſſit, qua de re fuſius tractare inſtitui.

Mentis ſanitas vnde petenda.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIORIS.

De

LIBRI II.

6. *De frigidi & ſicci corporis habitu; cui quoniam homo melancholicus ſub-eſt, atque atræ bili obnoxius, illius quoque natura & conditio explicatur, quaq; ratione expugnari poſſit, edocetur.*

LEVI-

SANITAS, QVA NIHIL HOMINI OPTABILIVS, AVT expetendum magis, corporis sui notitiam exigit.

CAP. I.

RECTE mea quidem sententia omnis eruditionis atque eloquentiæ parens Cicero, *Valetudo sustentatur notitia sui corporis, atq; obseruatione earum rerum quæ aut prodesse aut obesse soleant*; denique continentia in victu, omnique cultu corporis, ac prætermittendis voluptatibus; quæ, vt mea fert sententia, non tam corpori, quam animo perniciosæ sunt atque infestæ. Quocirca summa cura quemque eniti decet, vt corporis sui habitum, qui in quatuor qualitatum Calidi & Humidi, Frigidi & Sicci temperie ac mistura consistit, perspectum exploratumque habeat. Sic enim commodius, minorique negotio valetudini prospicere poterit, ac morbis, si qui ingruũt, obsistere ac mederi. Siquidem quum sanitas naturalis sit corporis, eiusque partium status & constitutio, qua omnes actiones ac munia citra offensam perficiuntur, omniaque membra nullo doloris sensu suas functiones obeunt: Morbus vero affectus præter naturam, qui actionem vel vitiat, vel impedit, illique cruciatus infert, atq; omnia contra quam sanitas, deteriora efficit: nemini procliue prõptumque erit præsentem sanitatem, & qua fruimur, valetudinem conseruare, aut collapsam restituere; nisi ex cognitione corporis, eiusque temperamento sit.

Lib. 2. Off.

Quid valetudinem fulciat.

Quid Sanitas.

Quid Morbus.

exercitatus. Et quamquam anima corpore sit præstantior, atque hominis potior pars, in eaque excolenda præcipuam curam impendi velim; corpori tamen accurate prospiciendum censeo, ne oneri sit animæ, illique ad præclara enitenti tarditatem moramque iniiciat. Vbi enim corpus valetudine inoffensa extiterit, omnibus suis officiis inculpate fungitur, suaque munia alacriter obit, atque expedite exequitur; adeo vt animo cuius imperio vtitur, sit obsequentius, nec ad illius monita ac vellicationes obsurdescat. Scitum est illud Iuuenalis, animoq. penitus infigendum;

Anima hominis pars potior.

Anima & corpus mutuam operam exposcunt.

Sat. 12.

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.
Fortem posse animum, & mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nil: semita certe
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Quas corporis animique dotes, ac munera mentis qui est consequutus, nulla huic obtingere potest firmior stabiliorque possessio, & in quam fortunę temeritas, rerumque humanarum æstus & concitatio minus iuris sibi vendicat. Siquidem præclaræ opes, facultates immensæ, sumptuosa ædificia, ampla longeque exporrecta iugera, ambitiosi tituli, atque appellationes honorificæ præ his sordescunt, nulliusq. sunt vsus aut precii. Etenim, vt ex iis coniicias cætera,

Vera bona.

Sanitas auro potior.

Non domus & fundus, non æris aceruus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas: valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat vti.

Hor. lib. 1. Epist.

Quamobrem quum inter præcipua potissimaque bona, corporis atque animi incolumitas iure optimo referatur: par est omnes in hac assequenda fouendaque certatim incumbere; ac cum sibi, tum

suis

ſuis ſummis votis expoſcere hæc vitæ ſolatia, hæc fomenta, quo commodius nullaque moleſtia vitæ huius calamitoſæ curſum perficere liceat. Siquidem ſi Horatio conſentias;

Quid moueat dulci nutricula maius alumno?
Quam ſapere & fari poßit quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde.

Epiſt. ad Albium.

Quocirca qui optimam degendæ vitæ rationem inire velit, hoc in primis efficere præſtareque pergat: vt integra ſit atque incorrupta ſanitas, ac primum menti proſpiciat, deinde corpori, cuius fulturis animus ipſe ſuſtinetur, culturam adhiberi curet. Siquidem ex ignoratione noſtri, ac corporis animique neglectu in morbos varios, atque affectus innumeros vel inuiti rapimur, ac tanquam nauis onuſta mercibus ingruente tempeſtate valida, in perturbationum ſcopulos deferimur; eoque fit, vt multis præmaturæ vitæ ſtamina ſucci di contingat, multoſque properata morte confici, qui nullum tuendæ conſeruandæque valetudinis diſcrimen ac delectum habere curant. Quo ſpectat ſalubris illa cum primis Sapientis admonitio: *Circumſpice ne moriaris tempore non tuo.* Quo quemque commonefacit, vt conſiderare vitæ curſum inſtituat, atque ita moderetur rebus ſuis, ne luxu vitæque intemperantia accelerari interitum contingat; ac nondum confecta ætate, decurſoque æui ſpatio ante diem opprimatur. Quiſque autem ſecum ipſe expendat, quam calamitoſa res ſit, plenaque tædii, circumferre corpus fœdiſſimis vndique morbis contaminatum, atque oppreſſa ratione, mentem internis vitiis inquinatam. Quî, cedo, huic vita eſſe poſſit ſuauis & iucunda, animuſque tranquillus ac placidus? Quum itaque nulla res ſanitate ſit potior, huius tutelæ ac conſeruationi ſedulo quiſque inſiſtat; deni-

Noſcete ipſum.

A naufragio ſimile.

Eccleſ. 7.

Immatura mors.

Naturæ mutatio.

que obseruet quantum a moderata temperamen-
ti ratione defluxerit, ac sit delapsus. Quæ conside-
ratio eum vsum est habitura, vt si valetudo firma
extiterit atque illæsa, fulcire illam, suisque admini-
culis stabilem præstare pergat. Sin deteriorem na-
ctus est, vel quæ collapsa sit, atque ab integritate de-
flexerit, illam erigat, atq; instaurare curet, habitum-
que saniorem emolliri. Vt enim humores alii in alios
prompte transeunt, ac mutationes sustinent mode-
rato exercitio, appositisq; cibis, & quæ calori natiuo
fomenta ministrant; sic deterior corporis status ac
decolor efflorescit salubri victus ratione, atq; in me-
liorem reducitur. Et quemadmodum membra fra-
cta, rupta, conuulsa, suisque sedibus mota instaurari
videmus; sic valetudo inclinata vel imminuta resti-
tui potest, atque in integrum reuocari. Sunt autem
quum mentes, tum corpora humana propemodum
vti frutices atq; arbusta; quæ si commode atq; accu-
rate tractes, si industriam operamq; etiam incultis
atque infœcundis adhibeas, aut denique, vt Virgi-
lius præcipit,

Humorũ mutatio.

Ab arboribus simile.

Lib 2. Georgic.

Inseras, vel scrobibus mandes mutata subactis,
Exuerint siluestrem animum, cultuq; frequenti
In quascunq; voces artes, haud tarda sequuntur.

E diuerso, coloni incuria agri sterilescunt, ac
squallore situq; obducti nullis sementibus efficiun-
tur accommodi. Animorum quoque par est ratio.
Siquidem generosæ mentis, bonæque indolis non-
nulli improborum commercio, ac praua educatione
siluescunt, atque a naturæ integritate descifcunt. A-
lii vitiosam naturam nacti, educationis ac doctrinæ
beneficio ad frugem perducuntur. Quapropter non
est quod quis in animum inducat, sibiq; persuadeat,
deteriorem habitum mutationem non perferre,
quum rudiora etiam impolitaque ingenia, ac disci-
plinis minus exculta, vt cera mollis, vt tractabilis v-
daque

Animi cultus.

Simile a re fluida.

daque argilla, fingi flectique possint, atque artificis docilitate ad artes politiores, ac mores minus rigidos perduci: Sic in natura rerum insitione, qua nihil excogitatũ solertius, agrestes arbores mitescunt: In animantium genere, feræ atque immanes belluæ officio hominum mansuescunt ac cicurantur. Documento est Mago Carthaginiensium dux clarissimus, qui primus teste Plinio, leonem domitum ac mansuefactum manu demulcere ausus est, damnatusque illo argumento, quod nihil non persuasurus videretur vir tam artificis ingenii, eoque male illi credi libertatem censebant, cui intantum etiam cessisset feritas. Cæterum Melancholicos vel alterius conditionis homines, modo ne diutius intemperies inoleuit, atque ætas sit prouectior, in meliorem habitum demigrare posse, non est quod quis ambigat: quum nemo non perspiciat vinum meracum, calorisque satis intensi, aqua gelida, vel mitiori succo dilui: tum vinum leue ac dilutum, saporeque aqueo, meraciori ac magis generoso liquore acui. Humores siquidem vel vitiari, vel aliena qualitate imbuti, alterius humoris commixtione mitescunt, atq; exuta natiua qualitate, extraneam asciscunt. Sic choleræ feruor affuso sanguine, ac phlegmate mitigatur. Phlegma seu pituita, flauæ bilis admixtione calorem concipit, minusque qualitate frigida, atque humida corpori infesta est. Pari ratione de reliquis statuas. Adferunt autem ad hæc adiumenti plurimum alimenta, ac laudabilis succi cibi, ex quibus humores, & qui inde emanant, spiritus mẽtis incitabula, suam naturam sortiuntur. Nihil autem efficacius ad perficiendam concoctionem & excitandos spiritus, somno, exercitatione, vino, modo id generosum sit, ac moderate, vt cætera, exhibeatur. Sic enim spiritus synceros excitat, ac lucidos, minimeque densos, ex quibus emergit alacritas, mentisque hilaritas &

Simile ab insitione.

Simile ab animantibus.

Lib 8. cap. 17.

Mago leonem domuit.

Simile a diluto vino.

Quid concoctionem perficiat.

erectio. Alimenta siquidem quæ in humores elaborantur, vino perfusa, ac salubri succo macerata liberius permeant, ac corporis conceptacula patentiora laxioraque efficiunt. Nihil itaque est quod mentis nebulas æque discutit, ac mœrorem animis nostris eximit, quam congerrones festiui ac lepidi, *moderatus vini vsus.* Exhibuit huius rei illustre exemplum Zeno ille tetricus, cuius animus ad omnia humanitatis officia ita occalluit, vt nullis affectibus etiam natura nobis insitis moueretur; is tamen, vbi vino incaluit, exhilarescere cœpit, tum festiuus esse ac venustus. Quum autem ex sodalibus sciscitaretur quidā, cur, quum esset ad prodigium vsque seuerus ac rigidus, inter pocula tamen exhilaresceret: lepide respondit, lupinis se assimilem. Quod leguminis genus, tametsi amarum sit, adeo vt vermes interimat; maceratum tamen atque aqua perfusum, exuta elotaq. amaritudine dulcescit. Est autem hoc omnibus natura insitum, vt cibo potuq. irrigato corpore amarulentia, omnisque mœror ac tristitia discutiatur. Excitantur enim spiritus moderato vini vsu, ipsaque mens, quæ impransis elanguescit, atq. vt ignis cineribus obductus, consopita est, reuiuiscit. Quo fit vt corpus mortuum viuente sit ponderosius, quod omnis spiritus in auras euanuit, ac ieiunum bene pasto, dormiens vigilante. Quocirca Melancholicos ac tetricos ad symposia, ac geniales accubitus extimulare soleo. Sic enim post Platonem;

Ecclef. 31.

Tetrici quando festiui.

Zeno quādo festiuus.

Lupinorū natura.

Transi ieiunis erectiores.

Cur mortuus viuēte pōderosior, & grauior.

> *Narratur & prisci Catonis*
> *Sæpe mero caluisse virtus.*

Hor. lib. 3. Carm. Od. 21.

Qui vir tametsi esset inamabilis, vultuque toruo, seueritatem tamen & supercilium illi excussit vinum adeo, vt inter conuiuas blandus esse cœperit, moribusque plane comicis. Sensit enim vir is, licet esset censor rigidus, ac grauitate Stoica, naturam humanam exposcere aliqua auocamenta, nec diu posse

subsi-

ſubſiſtere, niſi aliquid laxamenti ſibi imperet, ac rebus ſeriis oblectamenta intermiſceat. Quapropter ſeipſum quiſque excutiat, atque exploret, quid exigat naturæ conditio, quis ſit corpore ſtatus, qua re iuuari, offendique ſe percipiat. Quod ſi æquabilis exiſtat ac temperata corporis habitudo, ſimilibus foueri debet ac conſeruari: ſin ad intemperiem deuexa ſit, contrariis erigi, ac reſarciri poſtulat. Ita ſiquis ex humorum redundantia, turgenteque ſanguine, ac ſpiritibus ſit in Venerem concitatior, aut plus ſatis petulcus ac laſciuus, immutata victus ratione, vitæque inſtituto, ad ſeueriorem habitum, ad mores ſedatos ſe componat: ſin ſeuerior ſit, magiſq. quam par eſt, moroſus, aut querulus, denique præfractus, durus, intractabilis, & quem nullis blandimentis, nulliſque verborum lenociniis emollias, hic ad vitæ genus reuocandus eſt, quod paulo ſit mitius, ſic vt tripudia, cantilenas, ſuauia mulierum blandimenta atque amplexus non exhorreſcat, modo omnia honeſtati decoriq. inſeruiant, atque intra mediocritatem, intra coniugii limites conſiſtant. Eſt enim, vt Columella ex Xenophontis Oeconomico prodidit, maritale coniugium ita comparatum naturâ, vt non ſolum iucundiſſima, verum etiam vtiliſſima, vitę ſocietas ineatur: & ne genus hominum temporis longinquitate ſpectaret ad interitum, marem feminæ legitime Deus coniunctum eſſe voluit, vt ex indiuidua ſocietate, mortalibus adiutoria non deeſſent, ac præter amorem gignendæ ſobolis mutua vitæ ac fortunarum coniunctio illos deuinciret. Cæterum cum tria a probatiſſimis viris qui omnium valetudini optime conſultum cupiunt celebrata ſint,

Sua cuiq; natura explorãda.

Vtilis aliquãdo naturæ mutatio.

Lib. 12. c. 1.

Geneſ. 1.

Connubii commoditas.

Veſci citra ſaturitatem,
Non refugere laborem,
Vitale ſemen conſeruare.

Tria ſaluberrima.

Ad hanc amussim, ac normam, totius conser-
uandæ sanitatis rationem exigendam censeo. Siqui-
dem quum frugalitas, profligata crapula atque in-
gluuie, salubre corpus constituat: exercitatio vero
excussa ignauia corpus validum reddat, ac vegetum,
tum si ex Virgilio documenta sumere libeat,

Georg. 3.

Nulla magis animi vires industria firmat
Quam Venerem, & cæci stimulos auertere amoris.

De spirituum natura, ac differentiis: tum quid in corpore humano efficiant, quosque affectus pariant.

CAP. II.

QVoniam spiritus caloris natiui, cui subest hu-
mor, primigenius fomes est ac vehiculum: i-
psaq. anima illius ministerio suas facultates profert,
& actiones perficit: de illo, eiusque differentiis pro-
xime disserendum. Siquidem quum tria sint in quo-
rum temperie ac moderatione corporis humani in-
columitas consistit, Humor vitalis, Calor innatus, &
spiritus qui omnia connectit, suaque vi imbuit: ope-
ris instituti ratio exigit, vt de illo quoque verba fa-
ciamus. Humor fomentum est ac pabulum calo-
ris innati qui illi incumbit, eiusque munere subsistit
& conseruatur. Humori calor insidet, illoque per-
funditur, ac vitalem vim concipit qua animantia,
quæque viuunt, aluntur, augescunt, nutriuntur, ac
procreationi insistunt. Spiritus caloris sedes est &
vector, cuius opera ad singulas corporis partes per
riuos ductusque arteriarum deuehitur. Quocirca
merito censetur is spiritus primum ac præcipuum
obeundæ functionis instrumentum, quod vim con-
ferat in proferendis ciendisque actionibus. Tria hæc
indiuulse inter se cohærent, mutuasque operas con-
ferunt, nec absque vitæ interitu separari possunt,
eoque fit vt vna definitione comprehensa, eorum
vim

In tribus corpus cõsistit.

Humor.

Calor.

Spiritus.

vim ac naturam ſic explicemus. Calor innatus nihil aliud eſt, quam humidum primigenium, inſito ſpiritu & calore vitali vndique perfuſum. Cæterum quum ſpiritus, vitæ calorem contineat, omniumque facultatum ſit moderator, ac per corpus celerrime diffuſus vires ſuas vndique deuehat; corporis denique animique ſtatum manifeſte immutet, quum reliquis, tum huic præcipue labor impendendus eſt, quo inſtaurari fouerique poſſit. Siquidem ſi is ſyncerus eſt, ac defæcatus, nec vllam extraneam qualitatem conceperit, animi tranquillitatem parit, moreſque integros conſtituit, denique affectus placidos ac ſedatos;

Calor innatus quid

Spiritus puri quid efficiant.

Compoſitum ius faſq; animi ſanctoſq; receſſus
Mentis, & excoctum generoſo pectus honeſto.

Perſ ſat. 2.

Quod ſi quid labis contraxerit, aut aliquo vitio imbutus ſit, perturbari mentis ſecuritatem contingit, atque ad enormes impetus incitari. Vt enim venti ac flatus impetuoſi, vbi terræ marique incumbunt, ſæuiſſimas tempeſtates excitant, ac damna rebus inferunt: ita ſi inquieti ſint noſtri ſpiritus, aut turbulenti, varios cient animi motus, ac mentem obluctante etiam ratione, vt nauem excuſſo nauclero, auulſoque clauo, in perturbationum ſcopulos illidunt. Extinguuntur autem, vel detrimenta concipiunt inſiti nobis ſpiritus halitu fœdo, immodica Venere, intempeſtiua vigilia, æſtu ac labore nimio, inedia, mœrore animi, ac triſtitia: quo ſpectat illud Sapientis; *Spiritus lætus ætatem efficit floridam: ſpiritus triſtis areſcere facit oſſa: ante tempus enim ſenectam adfert mœſtitia, animuſq; ſolicitus, atq; anxia cura ætatem imminuit.* Recreat autem reficitque illos ſomnus placidus, vinum lene & generoſum, confabulationes feſtiuę, exercitatio moderata, odorum ſuauitas ac fragrantia, quibus ſpiritus etiam extenuati atque euaneſcentes reuiuiſcunt: quod in his perſpicimus qui animi deli-

A tempeſtat. ſimile.

Impuri ſpiritus nocumenta.

Quæ ſpiritus viiāt.

Prouer. 17.

Eccleſ 30.

Quæ ſpiritus foueāt.

quio collapsi extinctæ sopitæque animæ speciem adstantibus exhibent: hi siquidem admotis odoriferis restituuntur, atque in pristinum statum reuocantur.

Spiritus quid. Cæterum cum spiritus vapor quidam sit, siue effluxus, atque expiratio quæ ex humoribus emanat: in primis instituenda exquisitissima victus ratio, quo alimenta in laudabiles succos elaborata, spiritus synceros pariant, ac defæcatos. Sic enim suaues halitus, minimeque densi ac fuliginosi vapores in cerebrum delati, sensuum instrumenta nulla caligine offusa, ad perficiendas actiones futura sunt adiumento. Et

Cor vitæ fons. quanquam cor ipsum fons statui solet, ex quo spiritus scaturiunt, quod arteriæ ex eo producantur, vt nerui a cerebro, venæ ab hepate: pro loci tamen diuersitate ac natura mutantur, atque alias appellationes sortiuntur, alias vires concipiunt. Horum & omnium facultatum quæ in hominè vigent, primaria origo ex ipsis generationis principiis, hoc est, genitali semine, maternoque sanguine ducitur, quæ deinceps alimentis, vt flamma oleo, nutriuntur, ex quibus spiritus emergunt. Quæ vt exactius intelligi

Spirituũ origo. queant, spirituum procreationem, naturam, vires, differentiam, effectusque singulatim exequar, sumpto a naturalibus facultatibus ac potentiis exordio. Illorum enim munere efficitur, vt ingesto concoctoque cibo corpus alatur atque augescat, tum nutrimento vndique perfundatur. Constituuntur autem

Quatuor virtutes naturales. tem virtutes, quibus aluntur atque augescunt exhibito nutrimento animantes, quatuor: Vna quæ attrahit, allicitque cibaria, Secunda quæ retinet, Tertia quæ alterat atque immutat, Quarta quæ expellit. Ad quas potentias quæ omnibus corporis partibus sunt insitæ, primaria spirituum origo referri debet. Primum enim cibus dentibus attritus,

Cõcoctionis ac digestionũ munus confectusque mandibulis, in ventriculum reconditur, quem etiam is ad se rapit, antequam in faucibus ipsoque

ipsoque oris vestibulo exacte aut accurate sit læuigatus; deinde concoquit, degeritque, ac sibi reddit assimile, sic vt cedat in proprium membri tum nutrimentum, tum augmentum: alienum vero abs se repudiat ac reiicit, hinc itaque primum spirituum rudimentum atque inchoatio. Quod si naturæ vis in conficiendo cibo sit valida, omniaque exacte perficiantur, spiritus puros lucidosque elaborari contingit, ac minus caliginosos: sin concoctio impediatur, aut aliqua subsit temperies, cibi in ructus vaporosos, inflatus, halitusque nidorosos transeunt, qui ex hypochondriis seu præcordiis sursum delati cerebro mentique infesti sunt, sic vt tales ad iurgia, rixas, contentiones, dissidia leuissime incitentur. Vbi enim non satis excocti sunt humores atque attenuati, impuri ex his emergunt spiritus, qui corporis animique statum manifeste immutant. Quocirca summopere euitanda cruditas quæ humores vitiosos, ac spiritus turbidos parit, siue ex optimi succi cibis, seu prauis prouenniant, tametsi deteriores morbos adfert frustrata concoctio, vbi ex vitiosis alimentis contrahitur. Siquidem hi odores fœdos, olidosque ructus exudant, atque extimam cutem scabie ac pustulis vndique deformant. Quum enim in corpore humorum copia coaceruatur, necesse est ex assidua obstructione ac putredine febres exoriri, ac morborum examina pullulare, nisi labore assiduo, ac commoda exercitatione, expurgatis excrementis, humores in syncerum sanguinem fuerint reducti: tunc enim emanans suauis halitus caput reficit, ac cerebri squallorem rosido madore temperat, irrigatque alioqui turbata concoctione, vapores in caput assiliunt densi ac fuliginosi, qualem humecta lingua, aut pice, seuoque oblita effumant. Quo fit vt mens alienas, absurdasque imaginationes concipere soleat, ac non-

Affectuũ origo.

Cruditas noxia.

Opilatio & & putredo morborũ origo.

Simile a lignis virentibus.

numquam ad delirium, maniam, phrenesim, melancholiam, furorem, aliumque mentis errorem deueniat. Quod si ventriculus munere suo probe fungitur, nec penitus frustrari concoctione contingat, ipsique meatus, qui ad hepar, reliquasque corporis partes porriguntur, liberum transitum humoribus concedunt. assurgunt quidem ad caput vapores, sed qui minus noxii sint, nullamque effatu dignam perturbationem menti inferant, sic tamen vt ab affectibus non prorsus sit immunis ac libera, sed quos in potestate habeat, ac facile cohibere possit. Naturalis itaque spiritus ex puriore alimento in hepate confectus, reliquorum principium existit Siquidem spiritui vitali, deinde animali materiam, ac velut alimentum sese exhibet, sic vt animalis vis ac facultas, naturali spiritu, vt instrumento vtatur ad cupiditates, atque enormes impetus, ad quos vel oppressa ratione, vel sopita subinde instigamur. Vt enim in seditione ciuili, tumultuque publico magistratus ægre coërcere potest populi conatus, atque improborum molimina: sic ratio ac vis mentis non facile compescere potis est vitiosos affectus atque effrenatas indomitasque cupiditates, quæ ex immoderata ingluuie ac temulentia ingrauescunt. Quis est autem, qui bene vuidus, ac vino affatim perfusus in Venerem, obscenasque cupidines non proruat? Distento enim vinolentia ac cupediis corpore, genitalia imoque ventri annexæ partes turgescunt, atque oborta tentigine in libidinem despumant. Hinc auribus, mentique exitiales cantilenæ, indecoræ saltationes, amplexus, contactusque indecentes ac suauia, tum pleraque alia quæ præter spumantes pateras mensis inferri solent. Sic lasciua saltatrix Ioannis Christi præconis capiti exitium attulit, atque vt id praecideretur, incestus, ac funesta saltatio occasionem præbuit: adeo enim fœdus ac perniciosus amor,

Affectus quando mitiores.

A politia simile.

Quid luxus efficiat.

Matt. 14

mor, ſcelerati Regis mentem perſtrinxit, vt a recta ratione, ſanoque iudicio diuulſus, illi vitam eripi paſſus ſit, cuius ſalubris conſilio, ac monitis ſolitus ſit acquieſcere. Quæ Euangelicæ concionis ſeries commonefacit Optimates quoſque, & quotquot Reip. ſunt deſtinati, ne temere ſæuiant in innoxios, illoſque morte ac tormentis afficiant, qui doctrina ſana hominum mentes imbuunt, ſed modis omnibus obſiſtant factioſis: tum iis qui contra æquitatem, contra ius faſque aliquid moliuntur, ac tranquillitatem publicam labefactant. Cæterum corporis humani opificium ac ſtructura ex multis partibus conflata eſt, multosque ordines, vt Ciuitatis ſtatus, in ſe complectitur. Conſtat autem Reſp. ex infima plebe, quæ baiulos, vectores, nautas, cerdones, aurigas, caupones, opifices, lenones ſordidos, lanios, coquos, ſartores, complectitur: deinde negotiatores, quorũ nonnulla pars calliditate ac verſutia captant ac venantur tenuiores, licèt inter hos ſint qui honeſte ac liberaliter, nullaque fraude mercaturam exerceant, vt ſalinatores Zirizæi: proxime patricios ac Senatorii ordinis, conſulariſque dignitatis viros, qui legibus ac plebis citis multitudinem confuſam ac ſubinde tumultuantem in officio continent, omniaque pacata præſtant ac quieta: poſtremo illos, quorum profeſſio ſublimior, qui animos menteſque hominum ad mores integros, ad probitatem, ad ſyncerum Dei cultum informant atque inſtituunt; denique modis omnib efficiunt vt fidei ac doctrinę ſint capaces, ac fiduciam conſequendæ ſalutis a cælesti patre ac Chriſto concipiant. Similis ordo ac membrorum quum decor, tum conſenſus in hominis corpore viget, ſuiſque muniis quæque pars præclare fungitur. Sic Diuus Paulus ex corporis, eiuſque partium harmonia ac concentu ad exequendam cuique deſignatam functionem extimulat. Ita autem omnia

Ioãnis Baptiſtæ exitium.

Salutare conſilium.

Factioſis obſiſtendũ.

Reipublica forma.

Negotiatorũ verſutia.

Corporis ac Reip. comparatio.

1 Cor. 12.

Membrorum decor & vſus.

membra inter se connexa sunt atque implicata, eaque inter hæc sympathia & consensus, vt si quid detrimenti vel infimo articulo inferatur, tota moles incommodum percipiat, parique malo afficiatur. Sic, vt Chrysostomus ait, affecto pede, vel extremo digito infixa spina aut aculeo, reliqua membra condolescunt, adeo vt caput quo nihil honoratius, sese inflectat, oculi deorsum prospectent, manus habilitate curiosa spinam eximere, plagam obligare pergant. Ita nulla pars corporis est, quæ non aliquid subsidii afflicto membro conferre cupiat. Quocirca apposite ad persuasionem teste Liuio, vsus est huiusmodi exemplo Menenius orator, cum in discordia ciuili a patribus distractam plebem, sumpta similitudine a tumultuantibus inter se intestino dissidio membris, in vrbem reuocauit: illustri siquidem Apologo commonstrauit seditiones vt in corpore, ita in Republ. ad totius perniciem atque interitum spectare: concordiam vero fulcire omnia in stabilem Reipub. statum, corporis vero habitum firmum ac salubrem perficere. Quam amice autem inter se omnia consentiant, quantumque singula membra ex tot disparibus ac diuersis partibus inter se connexa, suo officio fungantur, ex se quisque experimenta capere potest: nulla est enim quamlibet minuta particula quæ non solum honestam speciem ac decus ostentet, sed etiam vsum commodum ac necessarium obtineat, & quæ quum partium, tum totius vtilitati inseruiat. Sic podex, intestina, ventriculus, hepar vt ab infimis ad maiora progrediar, præcipuis membris victum emoliuntur, ac sanitatem perficiunt, quorum opera ac ministerio elaboratus cibus per venas in omnes corporis partes distribuitur. Quod si viscera conficiendis perficiendisque alimentis destinata sunt inualida, aut languescunt, vel denique aliquod subest vitium, aut impedi-

Homil. 31. ad Corint.

Libro 2. decadis 1.

Apologus de membrorum dissidio.

Nulla corporis pars inutilis.

impedimentum, quo minus permeare, atque in habitum corporis perferri concoctus cibus possit, omnia in corruptelam deuergunt, quæ febribus morbisque omnigenis præbent seminaria, quæ antequam ingruunt, auersari, ac fastidire cibos homo incipit, atque oscitatione, nausea, pandiculatione seu distentione, ac rigore vexari. Et quoniam spiritus quos humores exhalant, alienam qualitatem concipiunt, ac cerebrum obnubilant, fit vt morosi quoque efficiantur, ac leuissime incandescant, aliisque animi perturbationibus agitentur. Quum enim naturalis spiritus in hepate conficiatur, non potest is purus effici, nec in substantiam aëream attenuari, nisi id viscus ab omni affectione sit liberum. Cæterum vitalis spiritus ex naturali originem concipit ac procreatur, qui a corde per arteriarum decursus in vniuersum corpus diffunditur, moresque varios producit pro crassitudinis, aut tenuitatis ratione, quam partim ab alimentis, partim ab aëris ac regionis conditione assequitur. Sic qui Aquiloni sunt expositi, tractusque frigidos occupant, ob sanguinem crassiorem, densosque spiritus, animosi conspiciuntur, inhumani, formidabiles, truces, feroces, & qui vultu, voceque minaci hominibus terrorem incutiunt. Quod vero ad pericula adeunda attinet, intrepide se omnibus obiiciunt, vitæque discrimina acri atque infracto animo subeunt. Quæ naturæ conditio in Asianis desideratur: illi enim molles atque effœminati, ingruente vel leuissimo incommodo labascunt, illatoque minimo doloris sensu ingemiscunt, ac metu exalbescunt. Quod discrimen animorum inter belli ciuilis tumultus obseruatum his versibus expressit Lucanus;

Signa collapsæ valetudinis.

Vnde nonnulli morosi.

Vitalis spiritus.

Vnde Aquilonares feroces.

Asiani molles.

Lib. 1.

Quicquid ad Eoos tractus, mundiq; teporem
Labitur, emollit gentes clementia cæli.
Omnis in Arctous populus quicunq; pruinis

Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaq; capaces
Mortis, & ignauum rediture parcere vitæ.

Quibuscunque enim sanguis crassus existit, aërisque ambientis frigore densescit, corpulentos hi validosque spiritus obtinent: quo fit vt sint implacabiles, atque animi motus impetusque diuturniores habeant, & qui serius deferuescant, eoque fit vt eorum plerique accepto vulnere, conspectoque sanguine acrius in hostem insurgant, atque in pugnam incalescant ardentius. Qui vero subtenui sunt sanguine, exiles habent spiritus, citoque euanidos: incandescunt illi quidem ocius, atq; acriter certamen ineunt, sed confestim iis ira subsidet, atq; ad primum vulneris inflictum, sanguinisq; emanantis intuitum, animo deficiunt ac collabuntur. Cæterum ad componendos sedandosque animi motus, ad sopiendos affectus enormes qui ex spirituum æstu ac feruore ebulliunt, operæprecium mihi quisque facturus videbitur, si quo agatur spiritu, qua vi ad actionem impellatur, quam sint feruidi vel remissi mentis stimuli, excutiat. Sic enim ad temperiem ac moderationem reuocare poterit quæ vltra mediocritatem consistunt. Hæc autem spirituum diuersitas, ex qua tantæ ingeniorum, morumque varietates oriuntur, ab humoribus varias mutationes concipit. Ita anima, tametsi singularis sit, & vt Ciceronis verbo vtar, *vnigena*, multiplices tamen actiones edit pro spirituũ natura, atque instrumentorum differentiis. Hinc tanta in animis hominum cogitationum, cupiditatum, affectuum, actionum, perturbationũ varietas, quam ægre ratio ac vis mentis, nisi cælesti doctrina stabiliter atque inconcusse sit fulta, domare potest ac reprimere. Vbi enim naturalis vitalisque facultas vna

Sanguis crassus quid efficiat.

Sanguis tenuis q.d efficiat.

Animæ vis.

Unde animorum varietas.

tas vna cum insitis spiritibus inualescunt, atque ex alimentorum quum copia, tum qualitate vires collegerunt, rationis frenum excutiunt, ac spiritum animalem (nam omnes ex vno fonte promanant) in suam factionem pertrahunt. Quo euenit vt subeunte cogitatione aliqua noxia, in luxum, in libidinem, in obscœnas pudendasque voluptates homo proruat; vtque conspecta lasciua aliqua blandaque adolescentula, & cui aliquid venustatis inest, mens inardescat in illicitum amorem; atque ex affluxu humorum, concursuque spirituum qui ex toto corpore eo confluunt, indecore inguen turgescat, ac mentula efficiatur rigida, sic vt aliquando virilem animum expugnari contingat, nisi Dei fiducia ac cælesti doctrina fultus, vitiosis cupiditatibus acriter obsistat. Insita est menti hæc ad malum procliuitas & inclinatio, *Ipseq; sensus & cogitatio*, vt Moses ait, *ad prauitatem prona est ab incunabilis*. Sed hanc labem exemit optatissimus Christi aduentus, qui cladem, ac calamitatem quam Adæ lapsus nobis inuexit, morte ac resurrectione sua sustulit. Quæ cogitatio hoc in animis hominum efficere debet, vt quoniam spiritus ad vitia ac virtutes sint incitamento, omnibus modis illorum conseruationi quisque insistat. Et nunquam spiritus animalis sit cæteris præstantior, ac dignitate prior, ordine tamen est posterior. Siquidem ex naturali qui vaporem æmulatur, atque ex sanguine virtute hepatis promanat, vitalem qui aëreæ naturæ est, profert, illique fomenta ministrat: vitalis vero animalem procreat, qui tenuitatis ac subtilitatis ratione æthereus existit. Is enim in contextu reticulari ac cerebri sinuosis anfractibus elaboratus, odoribus rebusque suaue olentibus alitur ac recreatur, auraque salubri fomentum accipit: ab hoc omnis vis ac facultas, quam anima abs se depromit, & a qua omnes actiones procedunt, proficisci-

Vnde in corpore rebellio.

Vnde praua cogitatio.

Christus quid homini cōtulit

Gene. 6.8

Animalis spiritus functio.

tur, eumque omnibus functionibus accommodat: merito itaque censetur spiritus hic animalis proprium animæ instrumentum ad sensus omnes, ad motum, atque agilitatem, ad musculorum neruorumque robur ac firmitatem tuendam: vires enim suas tanquam actionum opifices in neruos qui sentiendi mouendique potestati pollent, deuehit. Omnia itaque sensuum instrumenta spiritus animalis vi ac munere imbuta, ad obeunda munia stabilitatē consequuntur; argumento quod affectis obstructisque viis per quas is spiritus deferri debet, mouendi ac sentiendi potestas adimatur: quod in apoplexia, paralysi, tetano, multisque aliis morbis obseruamus: defertur autem in neruos spiritus animalis, vt radii solares per vitrum pellucidum. Et quemadmodum calor ignitus in candens ferrum penetrat, ac se diffundit, quamlibet durum sit, adeo vt mollescat, ac fiat tractabile: ita spiritus qui tenuissimus est, in neruos illabitur. Quæcunque itaque sensu motuq. atq. agilitate indigent, spiritus animalis vim exposcunt: quæ vero nutriri atque adolescere, vitamq. alimentis fulcire, naturalem vitalemque facultatem ac spiritus exigunt. Quocirca qui spiritus illæsos tueri velit, ac quam maxime synceros efficere, optimum corporis habitum moliri studeat: *Est enim*, Galeno teste, *singulare præsidium ad naturales facultates conseruandas, fouendosq; spiritus temperamenti custodia.* Vt enim externi flatus ventorumq. concursus ac turbines corpora nostra multifariam afficiunt, ac non solum hominibus, sed animantibus etiam, satis, messiq. triticeæ damna inferunt vel immodica humiditate, vel siccitate nimia, deniq. penetrabili frigore, vrentiq. calore: sic insiti nobis spiritus vel copia, vel qualitate multiplices perturbationes pariunt, ac corporis animiq. statum manifesto immutant. Vbi enim crassi existunt spiritus, densiq. ac frigidi, mentem obnubilari

Spiritus vt se per corpus diffundat.

Simile a vitro, & candente ferro.

12. *Meth.*

Aflatibus externis simile.

Crassius spiritus quid efficiat.

lari contingit, atque vt ſolem offuſa caligine, minus elucere. Quo fit vt iis ingenium ſit hebetius, magiſq. obtuſa mentis acies. Quale nobis ſpecimen exhibẽt, qui ad polum Arcticum, ac mare glaciale deuergunt, quorum potiſſima pars vaſto validoq. corpore exiſtunt, at nullo acumine ingenii ac præſtanti doctrina, quamquam hæc natio ſingulari prudentia ſereniſſ. Sueciæ Regis Erici, humanitate exculta, mitigati animi indicia nunc proferat. Qui vero moderata frigiditate imbutos habent ſpiritus, conſtantes ſunt ac ſtabiles in obeundis rebus, animoq. obfirmato quiduis aggrediuntur, ſic vt non facile a concepta opinione reſiliant; verum ob frigiditatem ac calorem languidum niſi accedat educationis induſtria, qua iam olim expoliri cœperunt, non admodum acuti ſunt, aut emunctæ naris, nec denique callidi atque aſtuti, tum qui in circumueniendis hoſtibus nihil agant ſubdole & verſute. Quibus vero vel ex regionis conditione, vel cæli qualitate humidus ſubeſt ſpiritus, modo is moderatus ſit, facilem & expeditam formarum ſuſceptionem reddit, ſed fluxam ac cito perituram: neque enim facile figura, formaue rei, vt nec ceræ fluxæ aut fluidæ imprimi poteſt. Itaque obliuioſi ſunt, ſomnolenti, artibus diſcendis inepti, ingenio ſtupido, minimeque ſagaci, & quum corpore obeſo ſint atque humido, memoria minus valent; quod ipſum etiam in vehementi ſiccitate ſtatui debet. Quo fit vt ſenes ob ſiccitatem frigiditati coniunctam, obliuioſi exiſtant, pueri ob humiditatem immodicam. Quæ qualitates meticuloſos etiam homines efficiunt, atque trepidantes, quique minus audaciæ habeant in propulſandis ferendisque aduerſis, quod muliebri quoq. ſexui peculiare. Verũ huiuſq. regionis conditionem ac naturam, quam imitari populares ſolent, immutat educatio, inſtitutio, diſciplina; ſic vt promiſcua multitudo incultis

Erici Sueciæ Regis laus.

Sueci.

Germani.

Batauii.

Hollandi cur ſomnolenti & obliuioſi.

Senes & pueri cur obliuioſi.

Educatio naturam immutat.

moribus conſpiciatur, quum viri politici, & qui ex
patriciis ſunt prognati, immutata victus rat one, re-
lictaque veteri, atque inolita conſuetudine opti-
mum viuendi inſtitutum aſciſcant, ac ſe ſuoſque ad
laudabiles mores componant. Quod ſi humiditas
modico calore tepeſcat, vt iis qui loca incolunt pla-
na, aprica, patentia, pauciſq; arboribus conſita, qua-
les ſunt Mattiaci Belgę, qui hibernis mẽſibus frigore,
ęſtiuis, ardore plerunque infeſtantur, vt corpora ſor-
tiuntur robuſta, laboribus aſſueta, membra articu-
lata, cutem hiſpidam: ita animum pertinacem obti-
nent, obſtinatum, iracundum, magiſque ferocem
quam benignum: cæterum acri ſunt iudicio, pru-
dentique induſtria, ac negotiandi peritia mire in-
ſtructi, & qui rebus delectum adhibeant. Cæteri
Belgæ, quibus arbores præbent vmbracula, ac ven-
tos arcent, quique cælum habent ſalubrius, terram
fluminibus ſcatentem, agros aquarum dulcium du-
ctu atque irrigatione fœcundos, mitiori ſunt inge-
nio, minuſq. aſpero, ſed alii aliis prudentiores, atque
ad res gerendas magis apti. Sic Flandri grauitate di-
cendi, atq. inuentionis ſubtilitate pollent. Brabanti
excluſa ſeueritate, hilaritate animi ac morum comi-
tate animos hominum conciliant; quanquam illi
facilitate ſermonis ac verborum lenocinio grauita-
tem condîre ſoleant. Quod ſi pectori ac cerebro in-
cumbit ſpiritus calore humoreque temperato per-
fuſus, ii qui illius munere potiuntur, in rebus geren-
dis vigiles ſunt, acres, induſtrii, & qui ſagacitate, a-
cumine ingenii, naturæ ſolertia, pręſtantia doctrinę,
dicendi peritia, atque vbertate cæteris præſtant, de-
nique memoria rerum præteritarum tenaci ſunt ac
firma, quæque non facile effluat, aut exoleſcat. Ita ſi
qua illata ſit iniuria, poſt multos annos reuiuiſcit,
nec mens vindictæ auida priuatam offenſionem ob-
literari patitur. Quem affectum calori adſcribo, quo

Mattiaci ſeu Zelandi.

Natura maritimorum.

Flandri.

Brabanti.

Itali.

Itali quur iniuriarũ tenaces.

animus indignatione ita exhulceratur, vt eũ humor diluere nequeat, aut extinguere. Adeo enim impotenter modo tacite imisque præcordiis, modo aperte eorum plerisque feruet animus:

Sic illis calido pectore mascula bilis — *Pers. sat. 5.*
Turgescit, quam non extinxerit vrna cicutæ.

In horum confinio consistunt, ac proxime accedunt, sed aliquo interuallo Britanni, quibus quum languidior sit calor, minusq. feruidus, atque ab humiditate superetur, statura quidem sunt decenti, corpore succulento ac vegeto; verum humanitatis studiis minus dediti, ac politioribus literis minus exculti, qui tamen si animum, vt cœptum est, præclaris rebus applicare pergant, ad res gerendas efficiuntur apti, ad perdiscendas artes appositi. Et quoniam spiritus habent crassiores calore modico perfusos, acres habent iras, motus stabiles ac diuturnos, quo fit vt implacabiles sint, atque ægre animum excelsum atque elatum nisi obsequiis officiosis expugnari sinant. Quod si spiritus ex feruore cordis, atq; aëris regionisq. qualitate impense calidus sit, feruidos celeresque motus edit, sed qui ob tenuitatem sensim deferuescant. Quo fit vt vbi eorum nonnullis incalescit animus, temere atque inconsulte quiduis aggrediantur, nec cessent quin quod animo conceperunt, perficiant. Ita si qua subit animum conficiendę rei cogitatio, vt inter initio ægre excutitur: ita mens nonnunquam instabilis est & inquieta, nisi rationis freno coërceatur;

Britanni.

Britãni & Scoti acres habẽt iras.

Hispani.

Sic animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc, — *Virg. lib. 4 Æneid.*
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

Quod etiam plerunque vsu venire solet iratis & vindictæ cupidis, tum iis qui furore vel amoris stimulis agitantur; quorum mens, quoniam æstu quodam fluctuat, ac paulo momento hinc inde impellitur, non sibi constant, nec certi fixique aliquid in

Hispani ingeniosi

Galli.

Galli ingenio versatili.

Vnde error mētis.

finiendis consiliis statuunt. Qui vero ex iis se ad consectandas artes conferunt, quamlibet difficiles atque operosas, strenue nec sine laude in his versantur: quibus vero spiritus tenuis existit temperato calore imbutus, acre iis ingenium ac volubile, expedita ac profluens in dicendo celeritas: quibus & illæ naturæ dotes accedunt, vt ad excogitandum sint acuti, ad explicandum ornandumque vberes ac copiosi; ad eloquendum exprimendumq. quæ mente conceperint, prompti: quod autem ad animum morumque propensiones attinet, viuidi sunt, alacres, erecti, agiles, gesticulosi: plerique eorum quibus liberalis deest educatio, ac doctrinæ institutio, ingenio sunt mobili, captioso, fallaci, infido, rerum nouarum auido, loquacitate futili ac vana; in consiliis captandis callidi ac versuti; adeo, vt quæ mentis impetus concipit, confestim quid statuendum sit, intelligant, ac mature perficere pergant: obiter vbi intenderint ingenium, ibi valet. Quum itaq. spirituum diuersitas, atq; ingeniorum morumq. discrimina ex loci, aëris, regionis, alimentorum conditione ac natura oriantur, quisque secum ipse expendat, qua re incolumitati prospicere optime possit, eaque declinet quibus aliquid subest vitii, & quæ cum valetudini, tum spiritibus officere, atque aliquid labis aut contagii adferre possint. Quocirca optima instituenda victus vitæq. ratio, atque aëris salubritas cumprimis captanda. Hæc enim sanitatem etiam inclinatam ac labantem erigunt, ac spiritus maxime synceros efficiunt. Siquidem si corpus vitiosis humoribus redundat, si spiritus impuri sint, & cerebrum densis fumis, quos humores appellant, oppletum, & corpus & anima detrimenta percipiunt. Hinc tanta in animis hominum deliratio, tantusque mentis error, alienatio, stupor, desipientia, furor, dementia; vt ea quæ sensui exposita non sunt, videre se putent,

eaque

eaque audire quæ nemo eſt eloquutus. Siquidem imaginatio iis corrumpitur; ſenſus communis qui diiudicat & diſcernit omnia, detrimentum percipit; memoria labaſcit, hebeſcit viſus, caligant oculi, omneſq. animæ facultates, hoc eſt, inſitæ vires quibus ſua munia exequitur, langueſcunt, ſuiſq. officiis oſcitanter perfunguntur. Si vero ſpiritus animalis ad amuſſim purus eſt, atque æthereus, qualis eſt halitus exacte elaborati ſanguinis, non ſolum pellucida eſt oculorum acies, ſed omnes ſenſus tum externi, tum interni vigent, ac functiones ſuas inculpate perficiunt.

De ſpiritu qui toti mundo, eiusq. partibus inſitus eſt, quiq. in hominem diuinitus delapſus, mentem eius peculiari munere imbuit. Obiter de bonis malisq. geniis qui humoribus ſpiritibusq. immixti, varias mutationes humanis animis inferunt.

CAP. III.

Spiritus vis quæ diuinitus in hæc inferiora delapſa, hanc machinam, mundique molem agitat, & quæcunque ambitu cæliq. complexu coërcentur, fouet ac vegetat, in immenſum ſe porrigit, ac longe lateque diffuſa eſt. Hæc ſiquidem regit ac moderatur omnia, cunctaq. fœcunda efficit, ac vitali calore imbuit. Nec eſt quod quiſquam opinetur aut ſibi perſuadeat vllam eſſe vim aliam, quæ iſta perficiat, quam ſpiritum illum, quo ab ipſo rerum conditarum exordio mundus, quæq. oculis noſtris obuia ſunt, ac ſenſib. expoſita, tam concinnũ ac decentẽ ornatum adepta ſunt: *Verbo enim Domini omnia formata ſunt, ac ſpiritu oris eius omnis decor, ſpecies, venuſtas, atq. ornatus eorum. Ipſe ſiquidem fouet, ac vegeta quæq. præſtat, eamq. vim cõfert, qua propagare ſe, ac cõtinua ſerie omnis generis ſpecies proferre, tueri ac cõſeruare poßint.* Sic immẽſus naturę opifex, reb9 creatis verbo ac ſpiritu ſuo vim procreatricẽ indidit,

Spiritus natura.

Spiritus Domini.

Pſalm. 32.

Geneſ. 1. Iohan. 1.

ac propagandi ordinem inseuit, quo posteritati ac successioni insistant, hoc est, spiritus diuinus in vniuersam creaturam diffusus, stirpes, animantes, homines sustentat, illisque vim impertit qua subsistãt. Itaque nihil est in tanta rerum vniuersitate, quod efficacem Dei vim non percipiat, eiusque vbertate nõ saturetur. Condito siquidem cælo ac terra, primisque elementis, hoc est, rerum principiis constitutis, Spiritus diuinus iam inde ab initio ferebatur super aqaus, hoc est, liquidam materiam alioqui effœtam, fœcundam præstitit. Cuius dicti sensum graphice expressit Basilius cognomento Magnus: *Spiritus Dei ferebatur super aquæ superficiem*, hoc est, fouebat, vitalemque fœcunditatem, atque animam vegetantem elemento liquido, ac omnibus rebus creatis contulit, sic vt spiritu cælesti omnia essent perfusa ac concalescerent incubantis alitis more, fouentisque auis specie atque effigie, quæ vim caloremque vitalem illi imprimit, cui insidet atque incumbit. Cuius rei exemplum a gallina sumere licet, quæ oua animat, vitaque imbuit, atque animalculi figuram inducit. Quod itaque spiritus innatare aquis dicitur, aut elemento liquido incumbere, de fœcunditate illi indita intelligi debet. Cæterum quum vniuersa rerum natura, quæque spirant atque existunt, diuini spiritus munere potiantur, illiusque virtute subsistant, tum homines præcipua ac singulari prerogatiua omnia sunt consequuti, *atque animos habent ex æterna mente*, vt Cicero ait, *delibatos*, vel potius, vt Scripturæ testimonium proferam, *acceperunt spiraculum vitæ*, atque imaginem ex Diuinitatis archetypo descriptam. Hausit huius dogmatis ex Hebræorum fontibus tenuem auram, idque expressit his numeris Ouidius;

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Spiritum aquis incumbere quid sit.

Hexa. lib.

Simile a gallina quæ pullos fouet.

Genes. I.

Lib. 3. De arte amãdi.

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Lib. 6. Fastor.

Quam sententiam Diuus Paulus sacratiore philosophia imbutus, Atheniensibus persuasam esse voluit, quo inueteratum auitumque errorem illis eximeret; atque ex illustri mundi spectaculo, apparatu ornatuque visendo, in quo Deus diuinitatis suæ specimen cunctis exhibet, & conspici posset & innotescere. Sic enim apud illos concionatur: *Deus qui fecit mundum, quæq; illius ambitu continentur, ac sit cæli terræq; Dominus, non in manufactis templis habitat, nec hominum manibus colitur, vllius opibus indigus, quum ipse det vitam, atq; halitum omnibus, omniaq; conferat. Per ipsum enim viuimus, mouemur, ac subsistimus, sicut & quidam vestratium poetarum indicat: nam huius progenies etiam sumus.*

Actor. 17.

Aratus in Phænom.

Cæterum quum homo tantis dotibus sit excultus, eaque munera mentis ab opifice sit consequutus, vt primum naturali insitoque spiritu, deinde diuino afflatu incitetur, tum externi quoque spiritus in corpus mentemque insiliunt. Veteres genios, Bibliorum codices ex ministerio Angelos, hoc est, internuncios vocant, quod Dei iussa ac voluntatem ad nos deferant. Paulus Spiritus nominat, *Administratores*, vt qui certis officiis destinentur, ac delegatum munus obeant apud illos qui salutem sint adepti. Cicero, tum alii a religione alieni, *Lares familiares, ac domesticos Penates, deosq; tutelares*, vocant. Horum duo constituuntur genera; quorum alterum boni, alterum mali nomine designant, quod illi ad honesta quæque, atque ad res salutares instigent, ad ea quæ sint incitamento, quæ homini prodesse possunt, atque ad salutem conferunt. Isti ad improbitatem, ad dedecus, ad funesta quæque solicitant. Hoc enim potissime meditantur, vt hominem omnibus malis inuoluant, ac longissime a Deo auertant. Quum autem sint spiritus incorporei, vt grauis halitus, vtq;

Genii.

Hebr. 1.

Lares.

Boni Genii.

Mali Genii seu Lemures.

Simile a pestifero halitu.

aura insalubris ac noxia, in corpus latenter irrepunt; ac non solum faces ministrant, incitantq. ad patranda scelera, sed vt pessimi consultores, impunitatem ac præmia pollicentur. Sic Adamum in errorem pertraxit versutus serpens, quum inquit; *Non moriemini, sed eritis vt Dii, boni maliq; conscii, atq; omnium rerum scientia ac cognitione imbuti.* Est autem Dæmon (nam hinc nomen sortitur) calliditate insidiosa, mille dolis ac technis, mille nocendi artibus instructus; *qui se in mentes nostras, cogitationes, consilia, voluntates, tacite insinuare nititur*, quamquam id ægre perficere potest; cum Deus solus corda hominum explorata habeat, cui vni omnia nostra exposita sunt & aperta. *Ipse enim*, vt Paulus ait, *discretor est cogitationum atq; intentionis cordis. Nec est vlla creatura, quæ non manifesta sit in conspectu illius, sed omnia nuda ac resupinata oculis eius.* Quod Dauid quoque indicat: *Scrutator cordis ac renum Deus*; hoc est, omnia perspecta habet, abditos quosque recessus penetrat. Exemplo sumpto a remotissimis longeq. dissitis visceribus: nihil enim corde ac renibus magis intimum, adeo vt per multos meatus, atq. incuruos anfractus deferri elaborati cibi debeant, antequam eo possint perduci: tum etiam illas potissime partes indicat, quod ex iis præcipue pullulare soleant mentis cogitata, atque effrenatæ cupiditates exoriri, quæ Deum non latent, nec abscondita sunt. Cæterum cum Dæmones spiritus sint aërii, ac longo vsu, diuinaque consuetudine, tum naturæ solertia multa perspecta habent, atque experimento comprobata, ex coniecturis, indiciis, oculis, vultu, gestibus, aliisque corporis motibus cogitationes internas eliciunt, quod etiam viro prudenti ac multarum rerum perito factu non difficile. Quocirca vt improbi ac fraudulenti negotiatores in hominum perniciem omnia moliuntur, omnemque captant occasionem qua illos circumueniant, atque incautos impa-

Genes. 3.

Dæmon a sciendo.

2. Para. 26.

Hebr. 4.

Psalm. 7.

Simile a remotiss. visceribus.

Quomodo Dæmoni cogitationes patent.

Homo homini dæmonium.

imparatosque opprimant: ita Dæmones nobis insidiantur, atque infesti sunt, & quo quisque vitæ integritate ac moribus spectatior, eo acerbius in illum virus suum exacuunt. Sic Christo non fuit veritus, nec erubuit Dæmon tentationum arietes admouere, atque ambitione, gula, regnandi cupiditate atq. inani gloria illum oppugnare. Nec Paulum quoque diuexare puduit, cum elatione animi, tum aduersariorum sæuitia ac crudelitate. Iob quoque miris modis ab illo exagitatus violentos impetus perferre coactus est: verum qui omnia remuneratur ac compensat Deus, finem certamini imponit, ac sæuiendi mensuram præscribit, nocendique metam constituit. Quod ipsum documento cuique esse debet, nihil aduersus nos moliri Dæmones, nec in malis inferendis progredi, nisi vel annuente, vel conniuente Domino. Cum autem multis variisque nocendi artibus homines adoriantur, atque oppugnent, tum vero omnes tentant, explorantque aditus, si qua possint ex his quæ domestica sunt ac natiua, nullique non insita, adoriri ac conficere: sic hos qui sanguine redundant, ad luxum, lasciuiam, ebrietatem, profusionem, ad obscenos nefandosque amores, ad probrosas libidines, incestus, fœdosque concubitus incitant: Biliosos autem ac Cholericos ad iracundiam, ad rixas, iurgia, contentiones, conuitia, pugnas, cædes, latrocinia, seditiones, diffidia, extimulant; ad ea quæ patranda ac perficienda faces ministrant: Melancholicos ad inuidentiam, æmulationẽ, amarulentiam, odium, indignationem, veneficium, fraudes, dolos, insidias, proditionem, mœstitiam, desperationem, ac diffidentiam; postremo ad calamitosum funestumque exitum adigunt: Pituitosis ac phlegmate oppressis ad desidiam, atq. ignauiam, torporem, veternum, inertiam, somnolentiam, incuriam, atque ad omnium virtutum neglectum sunt

Matth. 4.

2. Cor. 12.

Iob. 30.

Dæmones quatenus noceant.

Humores ad vitia occasionẽ præbent.

Ab externo aere simile. adiumento. Obiter vt aër tenuitate cæli temperatus vitalem ac salutarem spiritum impertit animantibus, herbisq. virentibus: sic boni genii salubrem auram aspirant, ac mentes nostras suaui afflatu reficiunt. Mali vero, vt ventus pestilens, morbos & contagia: ita illi exitiale virus exhalant atque animis hominum pestem ac perniciem adferunt: *Ab iis enim prima mali labes hominumq. ruina, atq. interitus*, sic vt opus fuerit instauratore illo mirifico nempe Christo, qui hominem pristino nitori atque integritati restitueret. Et quoniam tanta est humanæ naturæ imbecillitas, vt ægre aduersus sæuissimi hostis insidias possit subsistere, Christus Iesus subductus in cælum, Paracletum mitti curauit, qui nos fulciat, ac contra Sathanæ insultus omnesque malorum incursus reddat inuictos. Hic est qui mentes nostras variis dotibus exornat, qui de Dei voluntate nos reddit certos, ac discussa omni diffidentia per Christum ad patrem nos prouehit. Erigit enim mentes nostras, ac consolando hortandoque efficit, vt concepta fiducia, omnia ab illo sperare ac petere audeamus ac patris nomen illi opplorare. Quin & ipse spiritus, quem Deus emisit in corda nostra, attestatur vnà cum spiritu nostro, *quod eius sumus filii, & hæredes, cohæredes autem Christi.* Spiritus itaque diuinus mentium instaurator fidem ac credulitatem verbo Dei fultam nobis inserit, quæ fiduciam erga illum parit, certamque spem consequendi promissa. Et quum hæ virtutes non sunt otiosæ, vberrimum Charitatis operumque prouentum proferunt, ad ea quæ adminiculatur, ac vires confert Paracletus, vt stabiles ac fixos in nullos errores, aut superstitionem abduci nos contingat; quæ non aliud est teste Eusebio, *quam falsa quædam, atque ementita veræ religionis vmbra; aut fucata species, nullo fundamento nixa.* Sic ex Horatii sententia,

Sapien. 1. Genes. 2.

Paraclet.

Quid spiritus sanctus in nobis efficiat.

Gal. 4.

Roman. 8.

Fides operibus stipata.

De præparat. Euan. lib. 1.

Superstitio

Maxima

Maxima pars vatum pater & iuuenes patre digni
Decipimur specie recti.
Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbra,
Quum sit triste habitu, vultuq; & veste seuerum,
Nec dubie tanquam frugi laudatur auarus.

In art. Poet.
Iuuenal. Satyr. 14.

Fit enim plerumque Cicerone teste, *vt nonnulli optima consectati non tam voluntate, quam cursus errore fallantur.* Sic Paulus Iudæos non prorsus a pietate alienos censet, verum aliquo duci studio, zeloque Dei, sed absque iudicio; ita non omnino errent in affectu pietatis, sed propter inscitiam; & quod in delectu hallucinantur, ac cæcutiunt, spiritui De destituti sunt. Cui vitio affines sunt qui inueteratos errores pertinaciter vel tuentur, vel tolerant, nec sustinent quidquam immutari eorum quæ irrepserunt: qui si imbuti essent spiritu illo munifico, non esset tanta in animis opinionum ac doctrinæ dissensio. Cæterũ nemo hæc parerga esse existimet, atque ab instituto aliena, nec in illud Horatii impingat;

Tuscul. 3.
Rom. 10.
Zelus absque iudicio.

— *Amphora cœpit*
Institui, currente rota cur vrceus exit?

In arte Poet.

Quum spiritus cælestis mentis innouator, dux sit ac moderator spirituum humani corporis, qui sedatiores existunt ac magis placidi, vbi hoc ductore reguntur, atque in officio continentur. Si enim tumultuari pergant, ac seditionem in corpore concitare,

Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.

Æneid. lib. 1.

De corporis humani elementis, primisq; qualitatibus, ac generationis principiis, ex quibus homo constat, ac conflatus est.

CAP. IIII.

AB elementorum, non humorum facultatibus omnis temperamenti ratio deducitur, illisque vni-

uersam corporis structuram atque opificium accep-ptam ferre par est. Elementa statuuntur quatuor; Ignis, Terra, Aër, Aqua; quibus totidem subsunt qualitates; Calida, Frigida, Humida, Sicca, quæ ex circumfuso nobis aëre, atque alimentis vel commoda, vel detrimenta concipiunt; illorum enim excessu defectuque vitiantur qualitates, ac corruptela aliqua deprauatæ, innumeris morbis præbent seminaria. Cæterum quę corpus nostrum afficiunt, ea teste Galeno, sunt genere duplicia; altera nobis congenita, & quæ euitare nequeas, ex ipsis generationis principiis velut radice orta; altera, quæ & declinare posses, & aliena sunt a corporibus nostris, non insita, sed aduentitia atq. externa, quæ tamen non minus, quam insita, corpus nostrum conficere atq. infestare sunt idonea, Cibus scilicet & Potus, quibus restituimus quicquid siccioris vel humidioris substantiæ effluxit; quæ tamen si immodica sint, aut vitiosa, excrementorum copiam ac morbos pariunt. His proxime accedit aër nos ambiens; qui vbi impense calidus est, vel siccus, aut immodice humidus vel frigidus, manifestò habitum corporis immutat. Cæterum vt propius, magisque apposite rem ipsam designem, humanæ naturæ primordia, ac generationis principia sanguis maternus, semenque genitale existunt: ille ceu materies quædam apta concinnaque, & opifici, vt argilla vda, ceraque fluxa ac tractabilis, ad quiduis effingendum sequax: semen opificis rationem obtinet. Constat horum vtrumq. ex iisdem genere elementis, ac qualitates iam memoratas in se complectitur; dissident tamen inter se temperamenti ratione ac mensura. Siquidem in semine plus est igneæ substantiæ atq. aëreæ, hoc est, ætherei spiritus est particeps: in sanguine plus aqueæ & terreæ: quamquam in postremo hoc calidum præpolleat frigido, humidum sicco. Neque enim sanguis siccus

statui

Elementa quatuor.

Tuend. vale. lib. 1.

Cibus & aer aque necessarij.

Primordia hominis.

Seminis & sanguinis naturæ.

statui potest, vt ossa, sed humidus: at semen sanguine quidem siccius est; cæterum ipsum quoque humidum fluidumq. ac fluxile. Itaq. vtrimq. ex humida substantia genituræ origo producitur, sic tamen vt ex eo reliquæ corporis partes siccæ, nerui, venæ, arteriæ, ossa, cartilagines, elaborentur. Quod enim in vtero ex illis principiis conceptum ac conglobatum est, siccius redditum, veluti rudimenta ac lineamenta cuiusque membri capessit, post modum exactam speciem consequutum, incrementa concipit, atque ad iustam decentemq. magnitudinem prouehitur: vbi vero ad summum deuentum est, ossibus ob alimenti penuriam non vltra sequacibus, incrementum augmentumq. sisti contingit, nec progredi, aut amplius in longum latumq. proferri. Ex copioso enim calore & humore spiritu vndiq. perfuso corpus decoram longitudinem assequitur. Quod si cui vel ingrauescente ætate, vel etiam adolescentibus ex morbo aut affectione aliqua frigidus siccusq. habitus obtigerit, corpus iis macilentum fit, rugosum, gracile, squallidum, strigosum, membraq. inualida atque incurua. Simile enim quiddam iis euenit quod iumentis, quibus pabulum subducitur, atque arboribus herbisq. virentibus, quibus terræ succus subtrahitur, ac prohibetur irrigatio. Quo mihi improbe atque inhumaniter facere videntur ludimagistri quidam, & quotquot erudiendis alendisq. adolescentibus operam impendunt, qui inita quidem, ac constituta non exiguæ pecuniæ pactione, insalubri, tenuiq. victu conuictores domi alunt, ac non solum sordide tractant, sed carne subrancida, piscibus olidis, pane mucido tenuiter pastos, ad subeundos studiorum labores minaciter instigant: quo efficitur vt color eius deflorescat, corporis species, omnisq decor & venustas aboleatur, nulla sit alacritas, nullus vigor, mētisq. erectio, spiritus deiectus, vir-

Ab ossium natura lōgitudo.

Lōgitudinis causa.

Simile a satis.

Pueri non domandi inedia.

Vitiosus cibus naturam deprauat.

tus minus viuida, indoles omnisque vis animi quæ vel naturæ beneficio, vel parentum industria, aut denique diuino munere insita, erant prorsus extincta, adeo vt non facile ad præclara iis incalescat animus, nec emergant ad quæ erant destinati, aut natura appositi. Quod ad externum vero habitum attinet, corpus plerumque circumferunt fœda scabie deformatum, atque ob vitiosos humores pustulis vndiq; exhulceratum. Quo fit vt raro ad legitimam maturitatem, ac iustam magnitudinem, ad vires ingenuas, membrorum robur ac firmitatem, ad decentem partium compositionem ac staturam deueniãt, quod in ætate tenera ac pubescenti fame atque inedia domitis humori, natiuo qui continenter foueri postulat, alimenta subtracta sint: quo fit vt exhausto succo vitali, præmature senescant, ac properata morte confici contingat. Vocatur autem hæc affectio quę frigidum siccumque corporis statum inducit Senium, quod omnibus quum animantibus tum stirpibus corruptelæ interitusque causa existit. Est enim mors non alius, quam naturæ, hoc est caloris genuini, insitique humoris, in quibus vita consistit, extinctio: ad quam nonnulli properantius deueniunt, vel ex alimenti inopia ac defectu, vel ex intemperantia vitæ, immodica Venere, intempestiua vigilia, mœrore animi, tum plerisque aliis quæ præter ætatis rationem ac naturæ cursum, festinatam senectutem, mortemque inopinatam accelerant. Quam multos autem videre est seniculos corpore vegeto ac succulento, membris validis, ingressu firmo, cruda prorsus viridique senecta, non ob aliud, quam quod vitæ suæ optime moderati sint, nec adolescentiam intemperanter aut libidinose transegerint: quum iuuenum plerique conspiciantur effœti, elumbes, eneruati, corpore arido, colore pallido atque exangui, quod tota pubertas, ac iuuenilis

Staturæ breuitas vnde.

Senium.

Mors quid.

Cruda senecta vnde.

virtus

virtus immoderato vitæ Venerisque vsu & consuetudine sit exhausta, ac flos ætatis attritus. Vt enim flores Martii, quibus ineunte vere nihil spectatius, Aquilonio vrentique vento decussi, marcescunt; sic omnis iuuentus & florescens ætas accepto incommodo, intempestiue atque ante maturitatem arescit. Quocirca vt quis noxia euitare possit, ac vitam quam maxime longam efficere, tum senectutem consequi minus grauem atque onerosam, ineunda ratio, qua valetudo firma perfici possit, ac stabilis; aut si inclinata sit, qua erigi possit atque instaurari. Sunt autem non parum multa, quæ illam labefactant ac subruunt, quæque ingenitum nobis temperamentum conuellunt, variant, alterant, corrumpunt. Siquidem ex alimentorum facultatibus, victusque ratione humores diuersas qualitates asciscunt; quibus accedunt balnea, æstus, exercitatio, frigus, lassitudo, sitis, inedia, somnus, quies, aëris status, affectusque animi, quę corporis nostri habitum multifariam immutant, ac magna ex parte in deteriorē rapiunt. Sic corpus quod calidum humidumq. extitit, in frigidum ac siccum, vel etiam aliam qualitatem sensim delabitur: ætatis quoque accessu, temporis decursu, rebus secundis vel aduersis, fortunæ successu vel inclinatione multa homini obueniunt, quę valetudinem labefactant. Quo mihi apposite dixisse visus est Horatius;

A floribus simile.

Iuuentus vnde effœta.

Quæ valetudini officiunt.

Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt ——

In arte Poetica.

Cui consentanea est illa Iobi sententia, qua naturæ humanæ conditionem fragilem, fugacem, inanem, momentaneam, multisque incommodis, periculis, mutationibus obnoxiam graphice expressit; *Homo natus e muliere, breuis æui est, ac plenus miseriæ, qui quasi flos spectatissimus, exoritur, sed conteritur, atque euanescit velut vmbra, nec vnquam in eodem statu persistit.*

Cap. 14.

Singulis enim ætatibus, hoc est, certis annorum in-
teruallis ac spaciis mutationes incidunt. Est autem

Quid ætas.

Ætas vitæ curriculum ac decursus, vel ab infantia ad
senectutē progressus, in quo constitutio corporis hu-
mani immutatur, atque aliud ex alio temperamen-

Ætatum mutatio.

tum acquirit, quod ipsum postremo ad interitum
deuergit calore natiuo extincto. Sic Infantia, quæ

Infantia.

omnium humidissima est, plurimum caloris innati
continet, quarto anno aut septimo mutationem
sustinet, ac plerumque iis annis periclitamur. Huic
proxime succedit Pueritia, quæ ad annum plus mi-

Pueritia.

nus decimum quintum producitur, ac non parum
multis incommodis diuexatur: Pubertas vero quæ

Pubertas.

& ipsa plurimis malis exposita est, anno decimo o-
ctauo perficitur: Adolescentia autem præceps ac lu-

Adolescentia.

brica, anni quinti & vigesimi termino includitur,
quę ætas partes quatuor complexa; primam ætatem
conficit, quarum nullam non varias mutationum
vices subire quotidiana experimenta commonstrāt.
Porro Iuuentus, seu ætas florida, in qua corpus ani-

Iuuentus.

musque viget ac florescit, ad annum quintum & tri-
cesimum profertur, in ea quæ ætate affatim inuale-
scit sanguis, atque humor nonnihil absumitur; quo
fit vt id temperamentum progressu temporis cali-
dum siccumq. censeri incipiat, quum adolescentia
humore ac calore abunde fuerit perfusa. Constans
vero & virilis ætas ad quinquagesimum annum, aut

Virilis ætas.

paulo vltra progreditur; quo tempore tempestiua
maturitas se profert, ac mens conuersis studiis, o-
mnia considerate, prouide, prudenter agit: corpus
vero æquabiliter, atque in eodem tenore consistens
non magnam mutationem percipit ad annum vsq.
sexagesimum tertium aut quintum: tunc enim la-

Senecta.

benti atque inclinatæ ætati iam iamque ingraue-
scenti frigidus & siccus status inducitur, qui primus
est senii ingressus ac vestibulum; proximus autem
ad

ad decrepitam ætatem, ad mortem aditus, quæ vt non exoptanda temere, ita non pertimescenda viris Christianis, quum mens concepta fiducia suauioris vitæ, ac resurrectionis spe fulta, alacriter hinc emigrandum sibi persuadeat. Interim quisq. efficere potest in huius æui decursu, vt superioris ætatis temperantia, ac vitæ moderatione nonnihil præsidii sibi paret; aliquid pristini roboris conseruet, quo senectutem minus effœtam ac laboriosam experiatur: quum enim omni ætati certus præscriptus terminus, tum huic nullus constituitur, nisi vitæ exitus mortisque expectatio. Cæterum Pyth[illegible] non inscite quadripartitas anni varietates ac temporum vicissitudines, hoc est, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis discriminata tempora duobus æquinoctiis, ac totidem solstitiis comprehensa quatuor hominum ætatibus accommodat, cuius sententiam hac verborum serie complexus est Ouidius;

Vt mors non sit formidabilis.

Anni & ætatũ comparatio.

Meta.li.15.

Quid? non in species secedere quattuor annum
Aspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener & lactens, puerisq; simillimus æuo
Vere nouo est, tunc herba virens & roboris expers
Transit in Æstatem; post Ver robustior annus,
Fitq; valens iuuenis, neq; enim robustior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat, vlla est.
Excipit Autumnus posito feruore iuuentæ
Maturus, mitisq; inter iuuenemq; senemq;
Temperie medius, sparsus quoq; tempora canis.
Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passu
Aut spoliata suos, aut quos habet alba capillos.

Quæ rerum vicissitudo, ac naturæ potius conuersio, mutabilitas, inconstantia, atque ex vno in aliud inclinatio, commonstrat omnia esse momentanea, caduca, fragilia, ruinosa, fluxa, & quæ non firmis

Omnia caduca.

radicibus defixa, vt flosculi, cito decidant. Quum itaq. corpus continenter defluat, ac detrimenta patiatur, multaque intus & foris vires nostras depopulentur, non oscitanter huius conseruationi incumbendum, quo habilis illa ac quam maxime longa effici possit. Nihil necesse est exemplis, rationibus, experimentis commonstrare (quum nulli non sit exploratum) quam grauate, animoque iniquo ac repugnãte ab hac vitæ suauitate, diuelli se quisq. patiatur; quanta cura, studio, industria vindicare se a mortis contendat, qui non solum doloribus nos conficiunt, contundunt ac dilacerant, sed mortis speciem [illegible], ne his addam mentem inquietam ac turbulentam, animumq. affectibus oppressum. Cui cedo in tantis calamitatibus, ærumnis, miseriis, tantaq. æui huius molestia, ac breuitate, non parandum aliquod dolorum lenimen, non conquirenda aliqua laborum solamina atque alleuamenta? quæ si consectari velis atque assequi, numquam in animum induxeris hæc præstare res momentaneas, opes, honores, latifundia, operosa ædificia, vestes sumptuosas atq. artificiose elaboratas; sed mentem quietam ac sedatam omnibusque perturbationibus liberam: proxime corpus salubre, nullisque morbis implicatum, quibus diuino munere nihil homini obtingere potest melius aut optabilius.

Natura abhorret ab interitu.

Vnde petẽda tranquillitas.

Eccles. 30.

Quid Crasis seu temperamentum, in quo cuiusq. habitus, ac corporis constitutio consistit.

CAP. V.

Crasis seu temperamentum, (nam operis instituti ratio exigit, vt id definitione explicetur) est primarum qualitatum atque elementorum inter se conuenientia; vel qualitatum ex elementis æqualis mistura ac proportio omnis vitiosi excessus expers:

Temperamentum quid.

Intem-

Intemperies vero quæ disparibus elementorum ac qualitatum viribus continetur, atque a moderatione descisсit. Vt autem in fidibus concentus quidam percipitur, ac concors harmonia, sic vt nihil dissonum aut discrepans aures teneras feriat, offendatque: ita in temperato corporis habitu existit elementorum ac qualitatum apta concinnaque temperatio; adeo vt monstrari nequeat vlla per se qualitas, sed constans, absoluta, perfectaq. elementorum ac qualitatum coagmentatio. Quemadmodum enim quum ex variis herbis condimenta aut pharmaca conficimus, fit vna concretio, ac singula ita coalescunt, vt nihil eorum quæ compositio complectitur, appareat, aut discerni possit, aut percipi: ita in elemētorum qualitatibus euenit, ex quarum mistura primaria nascendi origo ducitur, quæ nouem temperamentorum constituit differentias; vnam temperatam, omnibusq. suis numeris absolutam, in qua nihil desideratur, nec vlla qualitatum elementarium aliam superat, sic vt æquali parique mensura inter se omnia consistant, nullo vitio, nullaque intemperie imbuta. Intemperatæ octo, simplices quatuor, & totidem compositæ seu iugatæ. Calida tantum, in qua calor frigori antecellit, humoris vero & siccitatis est æqualitas: Frigida, in qua frigus dominatur: Humida, quod illa primas potioresque partes obtineat. Sicca, vbi humore superior est siccitas, reliquis partibus; hoc est, calida & frigida temperatis: Compositæ vero temperaturæ, quæ ex duabus qualitatibus implicatæ sunt, numerantur, Calida & humida, Calida & sicca, Frigida & humida, Frigida & sicca, a quibus corporis constitutio quam κρᾶσιν Græci, vulgares *complexionem* vocant; appellationem apud Medicos, ac nomenclaturam adepta est ab eo scilicet, quod in mixtura pollet, apud quos id corpus

Intemperies quid.

A fidibus simile.

Simile ab herbarum mistura.

Nouem temperamenta.

calidum dicitur, in quo vberior est caliditatis portio. Siccum in quo siccitas potior; pari modo ratiocinando de reliquis. Sic medicamentorum compositio, in qua multa congeri ac coaceruari solent, ab vno eorum quod præcipuum est, nomen sortitur, vt Dianucum, Diacapper, Hiera picra, Diaphœnicum, oleum vulpinum, &c. Quo autem omnia exacte percipi queant (est enim id non modo Medicis, sed omnibus, quibus secunda valetudo curæ est, salubre cum primis ac frugiferum) singulorum rationes ac modos quam possum accurate explicabo; ac primum temperatæ naturę conditionem exequar, aut saltem eius speciem atq. imaginem mente primum conceptam, oculis exhibeo: non quod talis in natura rerum existat, aut in aliquo commonstrari possit, (nisi quis forte diuiniorem aliquam superne originem sit nactus) sed quod huc referri debeant reliquæ hominum naturæ, atque ad hanc amussim exigi, quo cuique pateat, quid vel superet vel deficiat. Neque enim expedite quisquam animaduerterit in calido corporis habitu præponderare humido calidum, ac frigidum præualere sicco, nisi ad exactam hanc temperiem sit intentus, in eamque, tanquam scopum, defigat oculos.

A maiore denominatio.

De temperato exactoque corporis habitu ac constitutione.

CAP. VI.

DE temperato, atque omnibus numeris absoluto corporis statu dicendum accuratius, quod in hunc mentem animumq. dirigi velim, ac tanquam ad normam seu perpendiculum reliquos habitus accommodari; quo quisque obseruet, quantum a temperamenti integritate deflexerit, quid moliri debeat, vt in pristinum statum, quo ad eius fieri

possit,

possit, reducatur. Quanto enim quis ab hoc remotior, tanto valetudo deterior, atque ad corporis morbos, animique ægritudines lapsus grauior. Corpus hoc omnibus suis partibus consummatum, aptissime Polycleti regula dici meretur. Id enim prouerbium iis rebus accommodari solet, quæ ad vnguem facta sunt, & in quibus nihil desideratur; adeo vt ad hanc, tanquam ad lapidem Lydium reliqua debeant explorari. Desumpta est metaphora a Polycleto statuario, cuius artificium ac decor, teste Fabio, laudem meruit supra mortales omnes: hic tanta arte statuas expressit, suisque numeris ita absoluit, vt cæteri cælatores ac statuarii in formandis effigiandisque simulacris, hunc tanquam archetypum sibi proponerent. Vsus est prouerbiali hoc schemate De tuenda valetudine Galenus, qui statuit optimum corporis habitum, tanquam Polycleti regulam, hoc est, tam concinne ac decenter expressum, vt nihil in eo culpari possit; sed mirifice afficiat congruens symmetria, nullaque sui parte claudicans commensuratio. Quocirca quæ de statu corporis optimo conscribuntur, merito ad rem absolutissimam referri debent. Talem itaque corporis habitum exhibemus, qualem Oratorem Cicero, ac Fabius imitandum proponit, qualem Ecclesiastem seu concionatorem instituit Chrysostomus atque Erasmus, quo ad horum exemplum se componant, qui eloquentiæ parandæ, aut erudiendis rudibus sunt destinati. Et quamuis non penitus quæ animo conceperit, assequatur; aliquem tamen progressum facere par est; nec committendum quantumuis ardua sunt quæ consectamur, vt spes infringatur, aut languescat industria. *Nonnulli enim*, vt Cicero testatur, *desperatione debilitati, experiri id metuunt quod se assequi posse diffidant.* Nam neque illud ipsum, quod est optimum,

Polycleti regula.

Lib. 10. cap. 10.

Lib. 2.

Ad summa enitendum.

De Sacer. De ratione concionandi.

De Oratore.

desperandum; & in præstantibus rebus, magna sunt ea, quæ optimis proxima. Quocirca optimum corporis habitum constituere, atque adumbrare visum est, quo illis species animo insideat, in eamq. oculis ac mente defixus talem imitari quisque, atq. exprimere curet, aut quam proxime ad illam accedere. Huic itaq. cuius specimen exhibendum suscepimus, omnes sensus vigent, atq. insitæ facultates functiones suas ac munia citra vllum incommodum obeunt. Memoria illi stabilis ac firma, quod cerebrum nec ad immodicam humiditatem, nec siccitatem declinet; animus acer & industrius, quique solerter ac prouide omnia aggrediatur; mores integri atque incorrupti, & qui in nulla actione a decoro deflectant; ingenium singulare atque eximium; mens placida ac sedata, nullisque affectibus vitiosis exposita, vt quæ exclusa temeritate iudicium delectumq. adhibeat; indoles generosa, multis magnisque dotibus affatim exculta; insignis ac spectata vitæ probitas, adeo vt eo expressum sit illustre virtutis exemplar, hoc est, absoluta, atque ad summum perducta naturæ perfectio. Siquidem in eo se cumulate proferunt humanitas, mansuetudo, frugalitas, æquitas, modestia, & continens cupiditatum moderatio: in aggrediendis conficiendisque negotiis nec præceps, nec cunctator, aut qui procrastinãdo tardius omnia perficiat; sed consilium in prouidendo, in peragendo maturitatem adhibeat: in casibus humanis, euentisque fortuitis quæ inopinatu ingruunt, non temere concutitur aut expauescit; eoque fit vt non insolescat rebus prosperis, nec deiiciatur succumbatque aduersis; sed omnia vitæ incommoda alacri atque infracto animo perfert, nec a constantia susceptoque consilio abduci se patitur. Quo spectat illud Horatii, quod illi congruit;

Nota temperati corporis.

Lib. 3. Ode 3.

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Ad quem habitum se composuit Diuus Paulus, ac similem affectum in iis qui Christo initiati sunt, ac deuoti, exigit; vt quod illi persuasum erat, quisque pro certo ac fixo habeat, nulla re quantumuis sæua ac formidabili diuelli posse ab eo, cui sumus addicti. *Roman. 8.* Is itaque cuius speciem ac formam adumbramus, ita animo ac mente constitutus est, vt neutram in partem moueatur, aut hinc inde fluctuet, sed stabiliter atque inconcusse constantiam tueatur. Insiti sunt quidem illi affectus sed naturales, ac minime improbandi; vt amor ac propensio erga suos, quibus vt non nimis indulget, ita in illos non acerbus est, non seuerus, amarulentus, præfractus; sic vt in congressu familiari comitas seria grauitate sit condîta; cui nulla subest dicacitas, nulli dentati sales, non indecora parumque vrbana festiuitas, aut obscœnæ facetiæ; & quemadmodum a scurrili ioco ac scenico gestu longissime abest; ita a Censoria seueritate, ac Stoica indolentia remotissimus. Quis enim non illos ab omni humanitate, ac cultiore vita alienos censeat?

Naturales affectus.

Quos non vlla magis sermonum gratia mollit,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Æneid. lib. 4.

Similiter & moribus & vitæ instituto Democrito atq. Heraclito prorsus dissimilis, quorum vterq. Satyrica dicacitate exagitatur. Siquidem,

—— perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quoties a limine mouerat vnum
Protuleratq; pedem: fleuit contrarius alter.

Iuuenal. Sat. 10.

Nec solum in animo elucent, atque expressisse se

Democriti & Heracliti natura.

proferunt hæc ornamenta, ac naturæ munera; ſed inſigne quoque decus enitet, atque amplitudo in externa corporis ſpecie ſe profert. Siquidem in vultu, qui imago eſt animi; in oculis, qui mentis indices; colore, lineamentis, totoque corporis habitu heroica quædam dignitas, ac ſpectabilis forma ſe exhibet nulli non amabilis ac gratioſa; ſic vt conſpectus ipſe quemque alliciat, ac ſympathia quadam, hoc eſt, tacito naturæ conſenſu, nulla emolumenti ſpe, in amorem ſui rapiat. Corpus decenter & concinne compoſitum eſt, omniumque partium abſoluta conſtructio. Caput non obliquum aut anguloſum, ſed in globi figuram rotundum, quod capillorum honeſti ſpadices, qui color caſtanearum proprius eſt, exornant: frons ſerena, nulliſque rugis deformata, quam ſuperciliorum decor commendat, atque oculorum eminentium amabilis aſpectus cohoneſtat. Color floridus ac ſuauis; buccæ ac genæ roſeo rubentique, ac natiuo pigmento perfuſæ, præſertim vbi adoleſcit ætas. Status corporis erectus, inceſſus decenter compoſitus, non affectatus, vt perſonatis quibuſdam hiſtrionibus, qui ementito quodam atque exotico ingreſſu ſe plebi oſtentant, quo maior accedat autoritas ac veneratio. Lingua expedita ac prompta, quæ articulate & ſignificanter verba enunciet. Accedunt præter hæc non parum multa, quæ ex neceſſitate, atque humanæ naturæ conditione conſequuntur. Siquidem edit bibitque moderate, atque adhibita ſalubri exercitatione, quæ vel viua intentaque voce, vel ambulatione perficitur; alimenta probe concoquit, atque in habitum corporis digerit; quo fit vt perexigua coaceruetur excrementorum redundantia; ac ſomnus ſuccedat placidus, nulliſque abſurdis aut tumultuoſis inſomniis interruptus; & ſiqua ſpecies aut ſimulacra antelucano peractaque concoctione atque elaboratis cibis, menti ſe

Spadix color qui.

Factitius inceſſus.

ti se ingerunt, aliqua subest diuinatio, hoc est, rerum futurarum non vanum, nec inane præsagium. Cæterum in hac fragili vita ac caduca, tantoque naturæ lapsu atque inclinatione, non video cui ista aptius accommodari debeant, quam Christo, de quo vaticinatus Dauid; *Speciosus*, inquit, *forma præ filiis hominum*, suauitate ac gratia verborum vndique perfusus est, nec est vllus hominum, qui illi conferri possit. Is siquidem supra reliquos mortales omni virtutum genere cumulatus, integritate vitæ, morum probitate, excellentia doctrinæ, miraculorum prodigiis, diuinitate inaudita, maximam orbis partem in sui admirationem, atque amorem pertraxit: sic nihil ei defuit eorum quæ aut excogitari possunt, aut mente concipi. Cui corpus etiam obtigisse spectabile ac visenda specie, quis posset ambire? Et quamquam in illo spectanda potius diuinitas, & in quem vsum nobis exhibitus est, nihil tamen vetat eam formam ac corporis speciem animo complecti, quæ digna fuit illius maiestate atque amplitudine. Erat enim externus habitus ac statura heroica apposita ad dignitatem, ac diuinitati omnibusque internis animi dotibus, quas opulentè in nos effudit, consentanea. Quocirca vnus hic statui debet, in quem exacta hominis constitutio sit referenda, seu corpus, seu animum spectes. *In eo siquidem*, vt Paulus ait, *omnes thesauri scientiæ ac sapientiæ reconditi sunt*, atque inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Et quamquam ab illo humani nihil alienum esset; *Nulla tamen labes, nihil vitii illi inhæsit, nec morbo, aut peccato fuit obnoxius*. Nam quod subinde incanduisse legitur, ac vitia insectatus acerbius, tum lacrymis perfusus indoluisse, ac fremitu testatus facti alicuius indignitatē, summę humanitatis, atq. ex animo bene cupiētis argumentū erat: cum enim salutis humanę vnice esset auidus, indignabatur cōplures, quos emēdatos,

Psal. 44.

Christus exemplar perfectionis.

Iohan. 1.

Coloss. 2.

Hebr. 4.

Iohan. 11.

Christus a vitiosis affectibus alienus.

non extinctos voluit, tam pertinaciter in errore persistere, ac tam opportune oblatam resipiscendi occasionem aspernari ac respuere. Hæc de corporis humani absoluto habitu dicta sufficiant; cui florescens ætas atque adulta confinis ac finitima, præsertim vbi a primis annis laudabiliter instituta est, & liberalis accesserit educatio, quæ tamen continenter labitur, ac progressu ætatis deficit. Vt enim in rebus aliis, ita in humana natura, omnia orta occidunt, & aucta senescunt, atque ab initio ad finem progressa, decurso vitæ spatio dilabuntur, ac vergunt ad interitum. Quæ mutabilitas atque inconstantia quemq. nostrum commonefacit, vt neglectis rebus caducis ac breui interituris, ad ea quæ æterna sunt animum, mentemq. erigamus. Quod ipsum Paulus nobis inculcat, quum inquit; *Si consurrexistis vna cum Christo, superna quærite, vbi Christus Deo dexter assidet; superna curate, non terrestria. Neque enim habemus hic manentem ciuitatem*, hoc est, sedes fixas ac stabiles, aut diuturnitate confirmatas, *sed futuram inquirimus*, cuius opifex & conditor Deus; qui vt Petrus ait, *vocauit nos e tenebris in admirabilem suam lucem, atque æternitati nos destinauit.*

Salubris admonitio.

Coloss. 3.

Hebr. 13.

Hebr. 11.

1. Cap. 2.

De Calido corporis statu.

CAP. VII.

Calidus habitus.

INter hos qui a modo delapsi sunt, atque a temperie deflexerunt, calidus corporis habitus primus statuitur. Hic enim vt ordine prior, ita in conseruandæ sanitatis ratione cæteris potior. Censetur autem is potissime calidi nomine, in quo reliquis moderate constitutis, hoc est, humido & sicco temperatis, qualitas illa exuperat. Cuius si conditionem explorare libeat, eiusq. notas ac signa obseruare, deprehendes huiusmodi constitutionis hominem, statura decenti, ac specie formaq. ad dignitatem virilem apposita;

poſita; corpore non obeſo, nec abdomine, multoque adipe; ſed mediocri carne, eaque ſolida, conſtipata: nam calore pinguia quæque liqueſcunt, ac defluunt: colore vero rubicundo, aut ſi ſanguis plus ſatis ferueſcit, vt iis aſſolet qui loca æſtuoſa incolunt ac torrida, fuſco vel rufo. Sunt enim in quolibet corpore pro aëris ac regionis conditione complures caliditatis gradus ac varii, quum huius qualitatis, tum aliarũ modi ac rationes. Sic Indi, Æthiopes, Mauri, Aſiani, Ægyptii, Palæſtini, Arabes, Græci, Itali, Hiſpani, Sarmatæ, Germani, Galli, Belgę diuerſos ſortiuntur corporis habitus, atq; in ſuo quiq; genere aut per ſingulas ſpecies, varias caliditatis differentias conſequuntur. Vt enim ignita quæq; alia aliis ſunt magis vrentia, ac pro ſubiecto fomite, vel ex carbonib. aut glebis bituminoſis, naphtha, oleo, pice, reſina; vel deniq; ex lignis, e quercu, robore, larice, betula, vlmo, populo, ſalice accenſus ignis; focus incaleſcit modo ardẽtius, modo mitius: ſic in quolibet corpore pro loci natura, ac victus vitæq; ratione vel augeſcit calor, vel imminuitur, eoq; fit vt colores hominibus exiſtant varii, ac capilli diuerſi. In omni ſiquidem corporis ſtatu calido, cui moderatus humor ſubeſt, cutis pilis vndique denſis obſita eſt, ac barba decora, ſed crines pauco erumpunt diuerſius, atq; alios ſibi colores, pro caliditatis ratione adſciſcunt. Quum autem pili generantur ex fuliginoſo craſſoq; excremẽto tertiæ concoctionis, nigri hi euadunt, ſiquando deuſto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem mutatur. Criſpi vero efficiuntur atque intorti, propter temperamenti ſiccitatem, quam calor immodicus infert; vel meatuum in quibus radices figunt, anguſtiam atque exilitatem; ægre enim eluctari poſſunt, ut rectam viam ſibi moliri; quo fit vt inflecti contingat, atque in obliquum ferri, præſertim quibus id natiuum, non aſcititium eſt, vt mulierculis quæ ſe-

Signa calidi corporis.

Gradus caliditatis in homine.

Simile ab ignitis.

Vnde barba & capilli.

Pilorum origo.

Vnde nigri pili.

Criſpi capilli vnde.

comunt ac poliunt, tum tortis crinibus crispantique capillo gratiosæ videri affectant. Omnes itaque qui calidas siccasque regiones incolunt, nigros atque exigui incrementi crines obtinent, tum crispos ac fragiles: vt sunt Ægyptii, Hispani, Æthiopes, Mauritani, & quotquot natura aut conditione iis affines existunt. Siquidem in singulis regionibus etiam qui ad septentrionem ac polum arcticum vergunt, complures spectamus qui inter exteros potius, quam inquilinos videntur referendi, si crines ac colorem totiusque corporis habitum obserues. Sic inter Belgas maritimos plurimi sunt nigro crispantiq. capillo, ac cute fusca, præsertim qui æstiuis mensibus Solis ardorē perferunt, ac laboribus subeundis sunt assueti; quamquam hæc corporum varietas in multas causas referri possit, nempe vel regionis naturam, vel alimentorum vires ac facultatem, vel denique in mulieris latentes tacitasque imaginationes; quarum vis tanta est, tamque efficax, vt quæ sub ipso conceptus momento animo mentique obuersantur, in fœtum elaborentur. Quum enim is sexus lasciuus sit ac ludibundus, atque oculos in obuia quęque continenter defigat; fit, vt naturalis facultas quæ operi formando perficiendoque insistit, eo cogitationes mentisque conceptus dirigat, atque ascititiam formam infanti inducat, a parentum natura ac conditione prorsus alienam. Sic obseruatum est nostra & auorum memoria, quum Imperator Carolus eius nominis Quintus, ex Hispaniis in Belgicam instructissima classe esset delatus, ac numerosa clientela, amploq. procerum ac stipatorum apparatu has oras impleuisset, mulieres quæ passim gestabant vterū, ex crebro Hispanorum contuitu, exactis nouem mensibus, decursoque anni dodrante, infantes edidisse superciliis capillisque nigris ac crispis, tum colore illi nationi vndique assimili; non quidem triobolares ac

Vnde corporum varietas.

Imaginationis vis.

Mulierum intemperantia.

Vnde Belgæ Hispanis similes.

Rei gestæ narratio.

res ac meritorias, quas genti feruidæ ac ſalaci ſe ſubieciſſe credi par eſt, ſed ſpectatæ probitatis atque incorruptæ pudicitiæ matronas huiuſmodi affectus in ſe ſuoſque concepiſſe. Simili ratione, quum Belgis imperaret Maximilianus Cęſar ex Pannoniis, hoc eſt, Auſtriaca gente oriundus, fœminæ ob Germanorum conſuetudinem ac conſpectum, flauis rutiliſque crinibus infantes ediderunt, ac Germanis prorſus affines. Hi ſiquidem, & quotquot frigidam humidamque regionem occupant, graciles ac rectos rufoſque pilos obtinent, ac flauentes comas, barbaſque æneas, a metalli colore ſortiuntur; quod pili nec a Solis calore, nec etiam interno adurantur; quippe quum humiditas copioſa ſit, & tranſitus per meatus facilis, excrementorum abundantia quibus aluntur, efficit vt denſa ſit cæſaries, ac deuſtio qua color niger perficitur, imbecillis. Niger itaque pilus fit, quum deuſto vi caloris vapore, excrementum in exactam fuliginem elaboratur. Flauus vero, quũ vapor minus torreſcit, quippe quod tum eſt impactum cuti, ac erupturum ſit, flauæ bilis, non nigræ fæculentum excrementum eſt. Albus vero pilus ex pituita humoreque frigido & humido enaſcitur. Rufus, ſicut coloris flaui, albique eſt medius, ſic eius generatio ex pituitoſæ biliosæque fæcis media quadam natura prouenit. Qui vero inter hos temperatum tractum colunt, hi crines plurimi incrementi & robuſtos, modice nigros, mediocriter craſſos, tum nec prorſus craſſos, nec omnino rectos edunt. Quas differentias Galenus ſingulis ætatibus accommodat. Aſcribit enim infantium capillos, quod ad colorem ſpectat, Germanis; florentium ætate, Hiſpanis aut Mauritanis; eorum vero qui pubeſcunt atque in ephebis conſiſtunt, iis qui temperatum locum inhabitant. In corporum quoque naturis ad ætatum ac regionum differentiam, pilorum ratio

Pannonia Auſtria.

Ænobardi.

Coloris pilorum cauſa & differentia.

Lib. 2. De Temper.

ac diſcrimen ſe habet. Tenella enim ac puerilis ætas nuda pilis eſt, aut tenui tantum lanugine, quod aut nullus exiſtat in cute meatus, per quem erumpere exhalatio poſſit, in pilorum augmentum, ac deſit effluxus ſeu excrementum fuliginoſum, ex quo elaborari ac deduci pilorũ ſtamina ſoleant. Quum vero pubeſcere incipiũt, paruos atque imbecillos proferunt. At quæ floreſcit, ac viret ætas, valentiori efficitur capillo, tum numeroſo ac nigricante, quod iam meatus ac ſpiracula pateſcere incipiant ac dilatari; denique fumida exhalatio in his partibus redundat, & generandis, producendiſque pilis ſunt accommodæ, vt ſunt caput, mentum, alæ, pudenda; nam tametſi thorax, brachia, fœmora hirta conſpiciantur in his qui impenſe calent, & fuliginoſus vapor redundet; minus tamen copioſe aut affluenter pili erumpunt, nec in vllam longitudinem porriguntur, quod in locis quibuſdam aridis ac muſculoſis, nempe ſuperciliis & palpebris liquido perſpici poteſt. Copia itaque ac denſitas capillorum ex humorum redundantia atque influxu; color vero a calliditate intenſiore prouenit. Omnes itaque illæ partes in corpore humano maxime hirſutę ſunt ac ſetoſæ, quibus calor ineſt vberior: nam is vaporoſos halitus qui ex humoribus emanant, allicit, atque in piloſam naturam effingit: eoque fit vt adoleſcentium plerique nullo ſint barbæ apparatu, nec vllæ partes pilorum ſegete ſilueſcant. Quocirca qui me adeunt, ac conſilium captant, quo pubeſcant, venuſtaque lanugine mentum decoretur, meatus laxos efficio adhibitis iis quæ calorem in his partibus excitant, humoreſque eliciunt, atque in vſum pilorum immutant ac concoquunt. Tale enim linimentum a me confici ſolet, quod recipit radicis arundinis, quæ Theophraſto *Donax* dicitur, Latine *aquatica canna*, radicis bryoniæ, betæ, raphani, iridis, cepæ, ſingulo-

Cur pueri imberbes.

Unde capillorum copia.

Quid crines eliciat.

Arundo Riet.

ſingulorum partes æquales, ſeu trientem, hoc eſt, vncias quatuor, ficus pingues minutatim inciſas ſex, adianthi, quę vulgo capillus veneris dicitur, abrotani, anethi, ſingulorum faſciculum manualem, hoc eſt, quantum manu complecti poſſis, coquantur in vino odorifero, deinde effuſo expreſſoque liquore, piſtillo ſubacta per cribrum adigantur; adde butyri recentis non ſaliti, mellis electi ſingulorum ſextantem, ſeu vncias duas, olei amygdalini dulcis & amari, olei ſeſamini vnciam plus minus vnam, oxymel. ſcyllitici ſemunciam, farinæ ſeminis lini, melanthii, vulgo nigillæ, fœnugræci cribro pollinario accurate excuſſi, pugillum vnum, ladani vnciam vnam; hæc igni admota tantiſper bacillo aut rudicula agitentur, dum in linimenti formam coaleſcant. Elicit enim crines cuicumq. etiam corpori adhibetur, ac mento maliſq. glabris, ſi eo delibuta eſſe contingat, decoram barbam conciliat. Relaxat ſiquidem cutem denſam, atque humoribus, ex quibus calor emoliri ſolet pilorum germina, facilem tranſitum perficit, ac vias patefacit. Quod non ætatis aut ſenectutis ratione, ſed vel ex morbo, aut vitioſis humoribus, vt corporibus morbidis, ac lue Venerea contaminatis aſſolet, caluitium contractum eſt, quibus vndique omnique ex parte, etiam abditiſſima, crines defluunt, vt arboribus folia, vbi ſalſugine, aut venenato aliquo liquore radix perfuſa eſt, præſentaneum etiam remedium adfert, modo corpus a contaminatis fœdiſque humoribus primum vindicetur, atque adhibitis purgationibus ſordes internæ eluantur. Cæterum, vt incepta perſequar, mulieres eadem qua impuberes ratione toto corpore glabræ ſunt, ac læuore perpolitæ, præter caput ac verticem in quo capilli affatim erumpunt ac cumulantur, quod vapores in ſublime affluenter aſſiliant. In cæteris vero partibus pilis nudata cutis eſt, quod humor calorem ſuperet.

Ad producendam barbã remedium.

Simile a ſalſugine conſp.

Mulier capite capillato, non cute.

Quæ vero inter has prurire incipiunt ac tentigine
affici, in abditis partibus, ipsisque faucibus ac vesti-
Mulier crinita salax.
bulo quo viri illas ineunt, copiose frondescunt, ac
densa pilorum segete luxuriant: eoque fit vt quo
densius fruticentur pili, eo sint congressus virilis aui-
diores, magisque fœcundæ. Quod autem nonnullæ
non concipiunt, licèt excremento genitali abun-
dent, caloris penuria efficit. Vt enim in solo palu-
Simile a terra & semine.
stri ac vliginoso, terraque plus satis humida suffocan-
tur sata, nec in stirpem emergunt; ita in vtero lubri-
co conceptus non perficitur. Simili ratione iuuenes
quidam inito primum coniugio, infœcundi sunt, ac
quamlibet se concubitu fatigent, a generandi spe
excidunt, ac speratæ prolis desiderio frustrantur;
quod virili robore destituti sint ac genitura frige-
scat, ipsaque sit, quam par est, dilutior. Caloris ita-
Unde sterilitas, & generandi impotētia.
que ratione hirsuti sunt viri, & magis, quam sexus
muliebris, audaces. Quod si supra mediocritatem ca-
lor in virili corpore augescat, atque accensæ bili san-
guis inflammetur, in desperatam feritatem ac rabiē
nonnumquam deuergit. Quo fit vt pleriq. irritati, ac
vel publicis vel priuatis odiis lacessiti, crudeliter in
Calor audaciam parit.
hostē sæuiant, atq. immani furore grassentur. Quo-
circa quo quisq. plus satis calescit, atq. vltra tempera-
menti moderationem excurrit, eo corpore magis
hispido est, animoque ferociore. Quod Iuuenalis
scite expressit,
Sat. 2.

Hispida barba quidem, & dura per brachia seta
Promittunt atrocem animum. ——

Intensus siquidem calor animosos homines effi-
cit, feroces, iracundos, callidos, versipelles, industrios,
solertes, quibus non solum in extimo corpore, sed
internis etiam partibus pilos innasci proditum est.
Quod de Aristomene Missenio refert Plinius; *qui*
stratagemate ac astu militari integras cohortes solus profligasse
Lib. 11. cap. 37.
memoratur. Est autem id quū calliditatis atq. astutiæ
tum

tum eximiæ admirandæq. fortitudinis argumentū: *Quum enim vir is ter centum Lacedæmonios confecisset, atq; ab illis semel atq; iterum captus esset, per cauernam elapsus est, angustos vulpium ac mustelarum aditus sequutus. Rursus deprehensus, sopitis sepultisq; somno ac vino custodibus, ad ignem aduolutus, lora quibus deuinctus erat, cum corpore excussit. Tertium capto Lacedæmonii pectus dissecuerunt, videndi causa, hirsutumq; cor repertum est.* Ex his coniicito, quantum virilis caloris ac roboris Sampsoni inerat, *qui mandibula asini mille viros confecit, qui auulsis postibus ac repagulis, vrbis portas in mōtis cacumen extulit; qui ruptis funibus ac loris, quibus vinctus erat, se insidiatoribus intrepide opposuit, qui cōuulsis columnis quibus tricliniū fultum erat, numerosam hominum multitudinē oppressit.* Nec minus spectabilis aut admirāda Dauidis virtus extitit, *qui impetu facto in leonem & vrsum, quū pecori inhiarent, vtrumq; prostrauit; deiectoq; formidabili hoste, opima spolia, amplaq; trophæa ac victoriæ insignia in vrbem retulit.* Quo nomine etiam apud Hebræos Sangar Anathi filius nobilitatus est, *qui sexcentos Palæstinos vomere* (vel vt alii verterūt) *fuste, quo boues stimulantur, confecisse memoratur.* Et quamquam huiusmodi conditionis homine magnas ex parte excelsi inuictique animi magnitudine ac robore existant, plerique tamen eorum præcipites ac temerarii improba quadam cupiditate ad patranda facinora impelluntur; qui cum virtute duce ad res præclaras eniti possent, nec his consectandis desint adminicula, ad vitia deflectunt, atque insidiis, dolis, fraudulentiis, rapinis, cęde, sanguine, ad opes, ad imperia, ad potentiam, sibi aditum patefaciunt, qui a magnanimitate ac fortitudine alimenti, audaciæ potius ac crudelitatis, quam fortitudinis nomen merentur: præbent quidem se animosos in adeundis periculis, atque audaces in obeundis rebus arduis, sed cupiditate priuata ac crudelitate inhumana, sic vt omnes suos conatus ac molimina non

Aristomenis astutia.

Sampsonis virtus. *Iudic. 16.*

1. Reg. 17. Dauidis robor. *Iud. 3.*

Ingenia proba improborum commercio deprauari.

Temeraria audacia.

ad vtilitatem communem, aut Reip. commoda, sed ad suas cupiditates, priuatasque libidines referant maximo ciuium ac populorum detrimento. Sic plerunque obseruamus summæ expectationis maximæ spei adolescentes, in quibus elucet generosæ mentis indoles, improborum commercio ac consuetudine degenerare, atque a morum integritate desciscere; qui cum virtute possint innotescere ac celebres effici, malis artibus potius id tentare pergunt, in quibus non minus se præbent industrios ac solertes, quam vbi ad res præclaras aditum sibi patefaciunt. Et quemadmodum homines ignaui mentisque inertis ac somniculosæ in neutram partem memorabile aliquid moliri solēt, nec sublime quiddam vel aggredi, vel meditari: sic isti ad quæuis sunt appositi, seu vitia, seu virtutes spectes, nec quicquam in conspectandis perficiendisque rebus illis aut operosum est, aut difficile; adeo vt quacumque via grassari velint, qua ratione ac modo se illustres præstare, id facile assequantur ac perficiant. Quo mihi recte Plato iudicasse visus est; *Nefanda scelera ac perditam profligatamq; nequitiam non ex ignauo stupidoq; ingenio, sed generoso potius educatione corrupto procedere.* Sunt autem huiusmodi conditionis homines calido corporis habitu, qui illis ad obeunda facinora est incitamento. *Nam frigidi, quod meticulosi existant ac timidi, numquam,* vt habet Prouerbium, *trophæum statuunt, nec quicquam egregii aggredi, aut experiri audent.* Quibus itaq. corpus qualitate calida imbutū est, ii ingenio sunt vario ac versatili, viuido, alacri, erecto; lingua fluxa ac flexanima, quæ articulate ac significanter verba proferat, sonitu vocis non exili: nam robustam vocē efficit partim pectoris ac vocalis arteriæ amplitudo, partim insitus calor, vnde emergit impetus animi, mentisque ardor & concitatio. Quod si proba desit educatio, nec animo cultus adhibeatur, versipelles plerum-

Virtutibus vitia permixta.

Lib 6. de Rep.

Prouerbiū in ignauos.

Quid vocē robustam efficiat.

plerumque euadunt, veteratores, ſubdoli, aſtuti, in compilandis rebus mire dextri, animo inquieto ac tumultuoſo; ingenio vero vafro, verſatili, ventoſo, mobili, infido, rerum nouarum auido,

—— *cui triſtia bella,*

Iræq, inſidiæq, & noxia crimina cordi. *Æneid. lib. 1.*

Et quoniam calor lumbos incitat, ſunt hi magna ex parte impendio ſalaces, atque in Venerem proni, omneſque corporis voluptates profuſiſſimi. Cui vitio ſi impotentius ſuccumbunt, ac ſupra mediocritatem ſunt dediti, ob immodicam humoris profuſionem, præmature calueſcunt; atque in anteriori capitis parte quæ ſynciput dicitur, efficiuntur glabri; color quoque iis defloreſcit; oculi caligant ac lippitudine vitiantur; tempora collabuntur; tibiæ cluneſque graciléſcunt atque extenuantur; labaſcit vigor; facies macie deformatur, omniſq. corporis decor ac venuſtas obſoleſcit ac deperit, multiſque aliis incommodis ſunt expoſiti. Primum καχεξία hoc eſt, ſquallido maloque habitu, febri hectica, quę intimis partibus infixa, atque oſſibus medulliſque penitus inhærens, corpus tabe conficit. Quod ſi eiuſmodi conſtitutionis homines tuendæ conſeruandæque ſanitatis rationem habeant, ac corpori mentique vllam curam adhibere pergant, præ cæteris valetudine fruuntur inculpata, nec facile morbis eos tentari contingit, aut aliquos humorum aceruos congeri, qui corpori putrefactionem aut corruptelam inferant: ab iis enim moderata caloris innati ſubſtantia illos liberos præſtat atq. immunes. Quocirca optima inſtituenda victus vitæque ratio, & pręter hæc quæ corpus humanum conſtituunt, ſex illæ res quæ nos conſeruare poſſunt, modo iis commode vtamur (nam id noſtræ electionis & arbitrii, naturæ parens eſſe voluit) accurate obſeruandæ: vocantur autem Galeno *cauſæ conſeruatrices, quod corporis*

Veneris moderatio.

Res non naturales.

nostri constitutionem conseruare idoneæ sunt, modo iis cõmode atq; opportune vtamur. Recentiores medici res nõ naturales vocant; non quod præter naturam existant, sed quoniam extra nos constitutæ sunt, nec nobis insitę; tum quod vsu effectuq. suo, ac qualitatis aut mensuræ ratione naturam, eiusq. facultates vel lædant vel vitient si sinistre ac parum apte adhibeantur. Cuius generis sunt aër qui nos ambit, alimenta, motus & quies, somnus & vigilia, excretio & retentio, affectus animi, quæ calor natiuus ad sui conseruationem ac tutelam exigit. Primum enim aër subinde tacite ac latenter, subinde manifeste in corpus se ingerit, ac spiritus cum fœdo halitu, tum salubri afflatu vel vitiat vel reficit. Plus autem detrimenti infert aër insalubris, auraq. contagiosa & pestilens, quam venenosæ qualitatis cibus; iste enim vomitu excuti potest, quum aër ac liquida quęq., si quando vitalia corripiunt ac venas subeunt, ita inhærescant, vt ægre expugnari queant: quum itaq. circumfusus aër corpora nostra varie afficiat, (nam præter exhalationes pestiferas, quæ se pulmonum fibris inferunt, vel plus iusto calefacit, exiccat, frigefacit, humectat) sedulo sibi quisque prospiciat, ne quid noxæ aut incommodi ex illo contrahat: nam quum temperatis corporibus saluberrimus aër accommodus, qui nulla extranea aut vitiosa qualitate infestus est, aut temperiẽ vitiat, ita a temperamento delapsus is aër inducendus in quo cõtrariæ qualitates exuperant: sic calido æstuantique corpori frigidus, sicco humidus accommodatus, quod etiam arte moliendum est, vbi ille desit, aut alius obtineri nequeat. Quocirca in morbis calidis ac siccis, aut statu cæli æstuoso,

> *——quum Sirius ardor*
> *Ille sitim morbosq; ferens mortalibus ægris*
> *Nascitur, ac læuo contristat lumine cælum.*

Quo ardores abigi arcerique possint atque æstus mitigari

Artis medicæ 85.
Causæ conseruatrices.
Aeris vis.
Aura pestilens.
Aer vitiosus cibo nocentior.
Contraria contrariis expugnari.
Æneid. 10
Canicula ...

mitigari, irriganda pauimenta scaturientibus aquis, sternendi carices, ac frondibus virentique gramine aut pampinis adornanda cænacula; quod quum Belgæ factitare soleant, tum nulli, quam Britanni, quos Anglos modo vocant, decentius, aut apparatu ornatuque magis spectabili ac visendo: quum enim æstate superiore eo me contulissem, partim vt Insulam opibus virisque heróicis cum primis illustrem spectarem, partim vt Guilielmi Lemnii, cui, vt æquum est pari, vnice afficior, consuetudine fruerer, multa mihi in ipso aditu (nam ad Cantium promontorium delatus partim equo, partim nauigio Londinum deuectus sum) conspecta sunt & obseruata, quæ quemuis ad collustrandam hanc regionem possent allicere. Siquidem quum D. Lemnius qui ob singularem medendi artem, quam felici successu, magnoque procerum ac popularium applausu exercet, huic genti charus acceptusque est, in cœtum ac clarissimorum virorum consessum me deduxisset, cœpit ilico ex optimatibus quisque erga hominem exterum, & qui numquam illas oras attigisset, humanitatis officia exercere, ac prehensa dextra in amplexus ruere, atque effuse aduentum gratulari. Sunt enim in prouectioris ætatis homines, & quibus est aliqua doctrinæ existimatio, mire propensi; quod non facile persuaderi posset iis quibus sunt suspecti nationis huius mores & conditio. Itaque vt ingenue fatear, amabilis mihi visa est incredibilis gentis huius comitas, affabilitasque sermonis; oblectabat me elegans & exquisita dignaq. spectari rerum domesticarum mundicies, recreabant triclinia virgultis herbisq. redolentibus passim constrata, nec non fasciculi manuales ac olfactoriola ex flosculis versicoloribus concinne congesta, quæ culcitris thorisque inspersa suaui halitu conclaue

Angliæ laus.

Angli doctis & senibus afficiuntur.

Anglorũ vitæ conditio.

vndique complebant. Quo effici credo, quum alimenti tum aëris saluberrimi ratione, vt indigenę colore florido existant, oculis, facie, vultuque, atque oris specie, quæ honestatem ac decus præ se ferunt; voce blanda quidem, sed moderatione temperata nullisque lenociniis indecoris, aut verborum illecebris corrupta. Et quum in accubatione epularum, ac sympoſiis sumptuosi existant, tum potu se minus onerant, nec quemquam immodice vrgent, sed patiuntur pro suo quemque arbitratu, sapidissimo quo fere vtuntur, liquore madescere atque irrigari. Quod vero ad vrbium frequentiam, soli vbertatem, fontium scatebras, fluminum rapidissimos decursus, armentorum ac pecudum greges, texendi artificium, iaculandi peritiam attinet, superuacaneum est referre quidquam: quum negotiatores qui apud hos mercaturam exercent ac nundinantur, aut legationes obeunt, abunde testari poterunt nihil earum rerum quæ in hominum vsum ac commoditatem expeti possint, deesse illis, aut desiderari. Cæterum vt argumentum incœpti operis prosequar, quemadmodum de aëris, ita alimenti quoque ratione statuendum, ac cibi potusque similis habenda consideratio. Quocirca vt corpus non facile morbis tentetur, vllisque febribus sit expositum, optimis quisque cibis assuescat, qui nihil succi vitiosi, aut humoris praui pariant, eosque assumat quum tempestiue atq ordine, tum quantitate moderata: *Quemadmodum enim,* Columella teste, *imbecilliorem agrum esse decet, quam colonum vel agricolam; quoniam quum sit colluctandum cum eo, si fundus praualeat, allidi dominum:* ita cibum infra naturæ vires esse conuenit, quo minimum negotii ventriculo facessat alimentorum redundantia, ac maturius concoctio digestioque perficiatur: quod ipsum ægre obtineri potest, vbi immoderatius cibos ingeri contingit, illique vel vitiosi sint,

Cur Angli florido colore.

Cibi & potus facultas.

Lib. 1. c. 3.

Simile a cultura agri.

ſint, vt repugnantium inter ſe qualitatum; denique nec obſeruata temporis, conſuetudinis, horæ, ætatis, menſuræ, ordinis ratione ac modo. Quod in exercenda Venere iis quoque preſcribendum cenſeo, qui inito primum matrimonio frequenti concubitu domari poſſe nuptas credunt, quum illæ non ſatientur, ac viros funditus exhauriri contingat. In victu autem inſtituendo hoc cum primis obſeruandum, præſertim vbi corpus temperamenti limites non excedit, nec a moderatione delapſum eſt, vt ſimilia ac naturæ quam maxime conſentanea exhibeantur; nam contraria dediſſe, cum primis noxium eſt ac pernitioſum: quod ſane in omni ætate, tempore, regione, cõſuetudine quæ aſcititiam naturam gignit ſummopere ſpectãdum. Sic pueri humidum victum exigunt, illiſque impenſe calida & exiccanda præſcribi non debent, quod incremento officiant, ac corpora prohibeant adoleſcere. Quocirca Plato & Galenus illi ætati vinum interdicunt, ac ne guſtare quidem permittunt; quippe quod hauſtum, corpus calefaciat, & caput halitu impleat damnumq. menti inferat; adeo vt etiam adultis parce id exhibendum cenſeant, quod ad iram ac libidinem præcipites faciat, ac partem animi rationalem, hebetem turbidamque efficiat. Qui vero pubeſcunt, quoniam in optimo temperamento conſiſtunt, victum ſalubrem ac temperie medium expoſcunt, qualis eſt vitulina caro, ouilla, ſuilla, gallinacea, hædina, oua gallinacea, panis primarius ex laudatiſſimo tritico confectus: iuuenilis autem viriliſque ætas quoniam ad caliditatem ac nonnullam ſiccitatem deuergit, illiſque æſtiuis potiſſimum menſibus ferueſcit ſanguis, moderate humidus calor diluendus eſt; cuius generis ſunt bugloſſus, atriplex, malua, aut lapathi id genus quod a ſpinoſo ſemine Spinachium dicitur, hippolapathum, & hydrolapathum, cuius naturæ nobis vo-

Pueri victum humidum exigunt.

Lib. 2 De Legibus.

Lib. I. De tuenda valetud.

Vinum pueris noxium.

Quæ ſanguinis feruorẽ temperant.

vocata est patientia, lactuca, portulaca, melones, cucumeres, cerasa, corna; quorum nonnulla, ne stomachum offendant, ac ventriculo nocumentum inferant, elixari possunt; aut vbi iis crudis in acetariis vtimur, erucam, nasturtium, mentham, sisambrium, & quo nunc passim horti nitescunt, drococellam admiscere. Sic enim obtinebimus, ne calor plus satis inualescat, atque humiditatem natiuam depopuletur. Vbi itaque in calido aut alterius qualitatis statu ad intemperiem lapsus est, alterare naturam ad contraria expedit; nam similibus morbos acciri, atq. intemperie foueri contingit. Siquando igitur habitum corporis mutare consultum erit, ac morbos demoliri, contrariam victus vitæq. rationem imperabis; sic tamen vt pedetētim natura ad diuersam consuetudinē transferatur. *Ut enim sapientis est*, Cicerone teste, *amicitias quæ minus delectant, minusq; probantur, sensim potius dissuere, quam repentè præcidere*: ita in veterata inolitaq. consuetudo lente certaq. ratione mutanda est. Subita enim ac repentina innouatio non absque insigni valetudinis iactura inducitur, præsertim in corpore: nam in animo ab improbis moribus ac flagitiosa vitæ consuetudine confestim resiliendum. Porro quum in iuuenibus omnia sunt ad temperamenti amussim reducenda, ac nihil non agendum, quo errores emendari, habitusq. corporis ad iustam symmetriam seu conuenientiam reduci possit; tum in senili corpore nihil temere moliendum, vt cui vtilius est rebus consuetis inhærere, etiamsi modice noxiæ sint, quam in victu vitæque genere quidquam innouare: contra iuuenibus ea mutare quæ nocent, tentandū, etiam si a puero iis maxime assueuerint: possunt enim eorum vires moderatam mutationē perferre; & quoniam multum vitæ superesse posset, sperandum est aliquem eos fructum ex ascita meliore consuetudine ac viuendi instituto consequuturos.

Draconitis hortensis, vulgo Dragon.

Lib. 1. Officior.

Simile ab hominum moribus.

Mutatio subita quando vtilis.

Mala consuetudo sensim mutanda.

euros. At senex siquid tentare pergat, ac longo vsu familiarem ac domesticam vitæ rationem vel excutere, vel immutare velit, prorsus operam luserit: siquidem tametsi aliquem progressum fecerit, & nonnihil obtinuisse visus est, deficiet tempus, ac per exiguum vitæ spacium restabit, quo optatis bonis perfrui possit. Simile enim quiddam is animo concipit, vt qui exacta ætate, decursoque æui spatio, ac metæ proximus, quo Catoni nihil visum magis absurdum, eo plus viatici parare sibi pergat, quo minus vitæ peragendum restat. Frustra enim is operam insumit non aliter, vt apposite Galenus, quam si quis iam deuexa atque inclinata ætate artem quampiam addiscere velit, quum properandum sibi, ac non multo post sarcinas sibi colligendas meminerit atque emigrandum. Quum itaque senilis ætas nullam ex permutata victus vitæque ratione commoditatem sit perceptura, præstat quocunque modo illam fulcire, atque appositis alimentis corpus frigidum siccumque calefacere atque humectare, quam ambigua dubiaque via insistere, ac præter ætatis rationem quidquam aggredi: quum senectus inualida sit, parumque firmis viribus, nec leuissimum errorem perferat, in quem si labi contingat, ægre admodum poterit eluctari. Cæterum quum motu seu exercitatione vbi ea moderata existit, calor natiuus augescat, ac virile robur concipiat; corpus vero animusq. humanus occupatione molesta, ac negotiosa cura defessus, quiete se atque otio reficit, pusillumque laxamenti sibi constituit: horum vt in quouis habitu (nam singulis hæc pro naturæ suæ conditione accommodari possunt) ita in calido corporis statu, quo valetudo firma consistat ac stabilis, habenda ratio. Nihil enim agitatione corporis, motuque decenti ac composito salubrius. Siquidem reuiuiscit eo vigor animi, ac spiritus sopitus lan-

Periculosa mutatio in senibus.

Cicero in Senectute.

Lib. 5. De tuenda valetud.

Exacta via viaticum quærere.

Exercitii commoda.

Exercitationis commoda.

guidusque excitatur, exhilarescit mens, omnesque partes corporis ac sensus quum interni, tum externi agiles efficiuntur. alacres, erecti, atque ad obeundas actiones expediti, color efflorescit, appetentia acuitur, recluduntur meatus, ac venarum conceptacula dilatari incipiunt, humoresque liberius vltro citroque commeant, excrementa commode expurgantur, concoctio maturius perficitur, ac succi elaborati in habitum corporis distribuuntur; postremo, quum mens sit sedatior, somnus accedit placidus, nullisque nocturnis imaginibus interruptus, modo omnia opportune ac legitimo tempore adhibeantur, hoc est, concocto cibo atque excrementis accurate expurgatis, quæ intensiore motu in habitum corporis rapiuntur, ac meatus exiles angustosque obturant. Quum autem exercitationem aggredi visum erit, præparandum corpus flexuosis gestibus, neruosæque partes quæ ob intermissum forte exercendi vsum ad motum obriguerunt, agiles præstandæ: sic enim nulla molestia, nullaque lassitudine illam obire poterit, ac tantisper agitationi corporis insistere, dum membra intumescant. ac color floridus se proferat, rubentique specie, cutis sudore madefacta appareat; quæ quum spectari incipiunt, sisti ilico ac cohiberi exercitatio debet: si enim vltra progreditur, nec conquiescat, confestim color euanescit, ac corpus aridum fit ac strigosum. Et quemadmodum si calidæ conditionis homines citatiore vtantur motu, atque in agitandis exercendisque membris incalescant, ac plus satis sint feruidi, corpore efficiuntur gracili, atque absumpto humore naturali ad siccitatem inclinantur: ita, si otiosam vitam agant, ac veterno torpescant, aut denique luxu, vitæque intemperantia, languore, ignauia, deliciis, socordia, segnicie, desidia, inertia eneruati, ab exercitatione desistant, humoribus vndique turgescunt, atque

Exercendi modus.

Desidia noxia.

atque opimi obesiq ; euadunt. Hæc fortasse videbor fastidioso lectori disseruisse verbosius; verum eo intelligat spectare consilii nostri rationem, vt quum omnes, tum maxime philomusos virosq. patricios, & qui literis continenter sunt addicti, commonitos velim, ne laboriosas validasque motiones subeant, præsertim ieiuni, vel statim a sumpto cibo; nec intempestiuis lucubrationibus sint dediti, vitaq. vmbratili implicati, spiritus annales, omnesque naturales facultates attenuent: vtrobique enim deesse illis modum obseruo; qua de re vberius in sicco temperamento tractare institui. Porro quum sint varia exercitationum genera, nec quæuis omni ætati vel apta est', vel decora; seipsum quisque exploret, ad quam natura maxime sit appositus,

Quid studiosis faciendum.

Quid valeant humeri, rursus quid ferre recusent.

In arte Poet.

Nam & luctari, disco vel pila ludere, globos torquere, decertare cæstibus, immensa pondera librare, atque in sublime efferre, iaculari, equitare, cursu, saltu, ballistis, aut natandi peritia cum æqualibus contendere; in equestri certamine vibrare hastam, ac commilitones in pugnam lacessere, inter robustorum hominum exercitationes referuntur; quamquam earum nonnullæ, quoniam violenter ac valide obiri solent, aliquando ex plausibili spectaculo luctuosum funestumque exitum consequuntur, vt superiori anno in Galliarum rege Henrico, eius nominis secundo, excelsi inuictique animi viro contigit; qui multa quæ perficere destinarat, meditatus, dum in pompa nuptiali incitato equo congreditur, soluta casside, ac galeæ ligulis, lanceæ fragmentum capiti impactum est, ac lætale vulnus inflixit; siquidem post dies aliquot oborta febri, vt in huiusmodi calamitate assolet, ex plaga sublatus est. Sunt autem alia minus operosa, minusque molesta exercendi corporis genera, nempe vectiones quæ

Varia genera exercitationis.

Henrici 2. Galliæ regis mors, anni 1559.

Mitiora exercitia.

vel vehiculo vel nauigio perficiuntur; frictionum complures differentiæ; ambulatio quę vel lento, vel citatiore ingressu peragitur; cantilenæ ac musici concentus qui viua voce, vel instrumentis modulate resonantibus aures animumq. suauitate permulcent, ac discussis nebulis, spiritus sopitos excitant, mentemque depressam erigunt. Quod si certis interuallis accedat clara lectio, ac vocalis sonique intensioris canora declamatio, vt Comici nostri factitant, qui Rhetoricam rhythmis metiūtur, dici vix queat, quātum pectori eiusque musculis commodi attuleris: nec minorem fructum perceperis in dilatandis pulmonum fistulis, ac discutienda fuligine quæ iis partibus inhæret, si cohibito parumper anhelitu ac labris excitato popismate, sonituq. bomboso spiritum explodas; verum id ex Galeni sententia moderandū in iuuenibus vsque ad ætatem consistentem, ac prima luce seu antelucano, vbi corpori nulla subest repletio, nec nocturni labores, qui in concubitu amplexuque mutuo obeundi sunt, hominem afflixerunt. Hæc quoq. exercitatio his potissime conuenit, qui vel vitio naturæ, vel nutricum incuria gibbo sunt deformati: nam quū thoracis musculi pulmonumq. folles retracti ac curuati in dorsum delitescant, hac respirandi ac dilatandi pectoris ratione leuamētum percipiunt, minusque efficiuntur anheli. Quin & equi vbi incitati calcaribus gressum glomerare incipiunt ac cursu incalescere; quod homines ore inflatisque buccis moliuntur, id illi spirante sonitu ac narium flabris perficiunt exploratissimo generosæ indolis argumento: sic hippopolæ, hoc est, qui equos, venales exponunt, quo sonitum eliciant, nares vellicant; quem si incunctanter proferant, nihil subesse latentis occultique vitii persuasum est: nam in cursu minus agilem esse ac calcitrosum, pedibusque rigidis, aut visu caligante, oculorum iudicium exigunt,

Musica mentem exhilarat.

Rhetorica popularis.

De valet. lib. 5.

Gibbosis apta exercitatio.

Generosi equi naribus sonitū excutiunt.

Vt generosi equi explorandi.

gunt, aut aliis argumentis explorari debent. Possem equidem plura oblectandi genera referre, vt quæ resonante fritillo, quæ tesseris, vt quæ in pyrgum missis, quæ saliente alea, aut enumerandis chartis nonnullos recreant. Sed quoniam ea sunt otiosorum hominum auocamenta, qui statariam potius aut sedentariam, quam motoriam fabulam exoptant, de his nihil inserendum putaui. Siquidem spectatæ probitatis viri ea potius oblectamenta, has a rebus seriis vacationes requirunt ac consectantur, quæ ab honestatis actionibus non sunt aliena, vt sunt ruris amœnitates, atque agriculturæ occupatio; quæ non solum voluptatem, sed emolumentum etiam, quæstumque præbet vberrimum nullo tædio aut laboris molestia: nihil enim necesse est hero fundique domino agris desertis culturam adhibere, noualia sementi præparare, occationi, subigendisque glebis insistere, agrum repastinare, ablaqueare arbores, quum herus leuioribus occupatus, colonis villicisque ea demandare poterit, atque ad pensum diurnosque labores illos instigare, ac quid effici velit, voce, manu, nutibus præscribere atq. indicare. Quod illud Terentii edocet;

Oblectatio minus honesta.

Rusticatio laudata.

Quod in opere faciundo, operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

Heaut. scena 1. Actus 1.

Fertilissimus enim in agro oculus domini; cuius etiam vestigio saginantur iumenta ac pinguescunt. Iam vero vbi ab exercitatione desistimus, atq. ad cibum potumq., quo vires instauramus, deuentum est, summa cura euitanda satietas ac redundantia: quum enim sæpe vtilis nimia inedia, tum numquam vtilis nimia satietas, ea siquidem ventriculum distendit ac crudelitate afficit, quæ parit oppilationem atq. humorum putredinem, vnde pullulant febrium omniumq. morborũ examina. In constituenda autẽ valetudine firma ac stabili, omnia ordine, ratione ac modo, adhibi-

Prouerbiũ rusticum.

Satietas vitanda.

Ordo in sanitate tuenda.

Epedim. 6. Aphor. 5.

toque delectu ac iudicio peragenda, sic vt ex Hippocratis sententia; *Labor seu exercitatio, cibus, potus, somnus, Venus omnia mediocria sunto, suoq; ordine incedant ac perficiantur:* quocirca sanitatis tutelam ab agitatione motuque corporis auspicandam censet, quem subsequi debet cibus & potio, deinde somnus, mox Venus: in his, vt Galenus ait, quibus ea ex vsu est, minusque incommoda, vt iuuentuti floridæ; nam prouectæ ætati ac senili, tum siccis corporibus cum primis noxia ac perniciosa. Nec vero calidis temperaturis satis tuta est, præsertim si intempestiue vel immodice, tum statu cæli calido illi assuescant. Vernis autem mensibus salubrior, vbi moderato cibo potuque concalefactum atque irrigatum corpus, antequam somnus obrepat, Venerem exerceat. Sic enim lassitudo quæ ex concubitu contrahi potuit, obdormiscenti statim remittitur ac relaxatur.

Veneris incommoda.

Inanitio & repletio.

Hæc quoque moderatio etiam in aliis rebus obseruanda; si quando corpus cibo potuque refici vel humoribus oppletum inaniri postulat ac euacuari, exploratis viribus & quid natura perferre posset, tum quo prodire ac progredi liceat; quod etiam in venæ sectione, prouocando sudore, deiectione alui, proluendisque intestinis, in ciendo vomitu spectari debet, obseruata temporis, ætatis, consuetudinis, naturæ, regionis ratione ac modo. Nec quisquam vlli horum assuescere debet, aut temere quidquam in se moliri, nisi res vrgeat, aut aliqua subsit humoris redundantia, quæ vel purgationem vel euacuationem exigat. Sunt enim in omnibus fere regionibus qui singulis anni partibus vel venam secari, vel cucurbitulas scarificata cute sibi admoueri patiantur, maximo valetudinis detrimento; siquidem vna cum sanguine vitæ thesauro non minima spiritus vitalis portio emanat atque excernitur; quo fit vt tota moles corporis

Vena non temere incidenda.

Sanguis & spiritus vitæ thesaurus.

corporis ad frigiditatem deuergat, naturæque opera ac functiones perficiantur deterius. Sic alii nullo Medicorum consilio catapotia, quas pilulas vocant, subinde deuorant, ac medicatas potiones ebibunt, quibus vires sibi deiiciunt, ac præmaturam senectam accelerant. Quod ipsum nonnullis in vomitu identidem prouocando vsu venit, qui persuasum sibi habent, semel aut bis in mense salubre esse sentinam exhaurire: quum sanis non expediat, aut consultum sit, in belluinam illam consuetudinem deuenire, aut tale quiddam præscribenti acquiescere. Nam quod plerique Hippocratis autoritate id stabilire pergant, non videntur mihi viri illis mentem satis excussisse. Quum enim inter illos versaretur, ac medicinam factitaret, qui pergræcari solent, hoc est, Genialem vitam agere, atque affluentius cibo potuq. perfundi, non præscripsit illis vomendi leges: sed si grauari illos contingat, ac crapula distendi, consultius censet, vt is qui singulis mensibus vomere consueuit, biduo id continuet potius, quo secundus dies prioris reliquias excutiat, quam vt interpositis quindecim diebus illud tentare pergat. Sic enim contractam ex ingluuie atque intemperantia, humorum plenitudinem, euacuabit, ac corpus a morbis tutum reddet. Ita is senex neminem ad vomitum hortatur salubritatis ratione; sed huiusmodi excretiones illis vsui censet, qui ex crapula, ingestoque immoderate cibo grauari ventriculum sentiunt; vel ex cruditate, ac cibi corruptione acidos vel nidorosos ructus percipiunt; quorum illud in frigido; istud in calido ventriculo fieri consueuit. Sic sapiens Hebræus quum ad frugalitatem nusquam non hortetur, tum si largius quam valetudo exposcit, cænatum sit, atque ex accubitu vis a conbibonibus illata est, ad vomitum excitat. Quod si, inquit, ad Intemperantiam fueris coactus, teipsum subducito, ac vome, ne cor-

Sani ne medicamentis assuescant.

Vomitus raro prouocandus.

De ratione victus li. 1.

Pergræcari.

Quando vomendũ.

Nidorosi & acidi ructus.

Eccles. 31.

pus tuum morbis exponas; sed non vult vt illi rei
quis assuescat, aut in illam consuetudinem deue-
niat: quisquis enim velit ad maturam senectam per-
duci, ne saepius id iterare pergat, praesertim si longo
teretique collo sit; si corpore vel nimis gracili vel
obeso, vel astricto pectore, thoraceque angusto: qui-
cunque autem temperanter vitam instituit, nihil
necesse illi erit aliqua ex vomitu valetudinis praesi-
dia comparare.

Vomitus quibus noxius.

Somnus & vigilia.

Par est somni ac vigiliae ratio; quae si moderata
sint, atque intra mediocritatis limites consistant,
plurimum commoditatis conferunt. Est autem So-
mnus animalis facultatis quies, atque a diurnis a-
ctionibus respiratio, qua virtutes languidae, ac vires
resolutae instaurantur, defessaque corporis membra
ac sensus eriguntur. Siquidem vegeta erectaque vi
naturali, calor natiuus intro collectus vires concipit,
ac validè concoctioni incumbit, quam non solum in
ventriculo, sed per totius etiam corporis habitum
perficit, cuius vapore, suauique halitu madescit ce-
rebrum, ac vapore rosido irrigata sensuum instru-
menta in somnum resoluuntur. Quocirca nihil cor-
pori humano post alimēta moderare absumta tem-
pestiuo somno salubrius: nam vires delassatas reficit;
spiritus sopitos excitat; animum recreat, ac moero-
rem diluit; mentemq. placidam reddit & quietam.
Nec sane vlla sui parte constare possit, tueriq. sanitas
absque somni & vigiliae, amabili grataq. vicissitudi-
ne, qua nobis nunc a rebus seriis laxamentum queri-
mus, ac statis horis somno dediti, erigendis viribus
fomenta paramus: nunc vero excusso somno ad oc-
cupationes, ad corporis animique intentiones de-
nuo nos conferimus. Quî enim subsistere posset hu-
manae mentis vigor, si desint harum vices, ista vitae
varietas, atque a diurnis actionibus, quae somno per-
ficitur,

Quid Somnus.

Somni commoditates.

Grata vicissitudo.

ficitur, otiosa cessatio? Hæc enim efficiunt ne hominis conditio molesta sit atq. onerosa, nec vitæ tædium nos capiat aut sacietas. Siquidem vt apposite Ouidius;

Quod caret alterna requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaq; membra nouat.

Heroidum epist. 4.

Nam emerso Sole, luceq. nobis rursus exhibita, confestim se proferunt varia oblectamēta, innumera mundi ac naturæ spectacula, quæ nobis molestias excutiūt, curasq. edaces anxiis ac solicitis animis eximunt. Quod autem interdiu occupationes, id noctu somnus nobis præstat. Vt enim dies vigiliis exercendisq. negotiis, atq. obeūdis laboribus dicatus, corpus exercet, ac spe somni omnia leuiora efficit; ita nox quieti omnia destinata, diurnarū obliuionem adfert, ac laboriosis molestiis finē imponit. Quocirca harū rerum non oscitanter habenda ratio; ac ne ordo desit atq. inuertatur, suum cuiq. tempus, suus modus assignādus; sic vt somnus nocti attributus, certis horarum spatiis, nēpe plus minus octo absoluatur, vel vbi liberalius cænatū est, paulo sit productior; quamquam in nonnullis illum metiri soleā non tam horarum numero, quam profunditate, vt sunt baiuli, nautæ, pugiles, vectores; hi siquidem & quibus cerebrū affluenter humore perfunditur, in vtramq. aurem, vt dicitur, dormiunt; somnoq. altissimo oppressi ægre excitari possunt; quod nimia exercitatione resoluta naturæ virtus somno refici postulet, atq. humiditate quæ a cerebro defluxit, instaurari; quo fit vt sopita facultate animali, atq. occupatis deuinctisque sensuum instrumentis arctissime somnus illos complectatur: quod autem in his qui se exercent aut immodicis conficiunt laboribus, efficit lassitudo ac defatigatio; id in ebriis ac pueris adfert humiditas ac refrigeratio: vtrobiq. enim retracto calore ad cor vitalis facultatis fontē, impletoq vapore capite, somn⁹

Dies labori, nox quieti dicata.

Somnus octo horarum.

Qui ægre excitētur.

Qui profunde dormiant.

Pueri & ebrii quur somnolēti.

Qui cito excitētur. obrepit. Qui vero tenui humore imbutos habent cerebri sinus ac cauernas, hi vel leuiter vellicati expergiscuntur, atque euigilant; quod vapor rarus, halitusque tenuis ac minime densus qui capiti incumbit, cito euanescat ac dissipetur. Noui siquidem multos quum studio immodico, tum febri ac Venere extenuatos, qui assidentium voces inter dormiendum plane intelligerent; sic vt minimo strepitu experrecti, complura eorum referrent, quæ ab iis essent enarrata; non equidem eorum more ac consuetudine qui in conuiuiis ebrios somnolentosq. se esse simulant: illi enim (quod facile ab oculatis, emunctæq. naris hominibus obseruari potest) quasi somno vinoq. sepulti, ac prorsus sopiti insidiose odorantur atq. obseruant quæ in conuiuiis prolixioribus, incalescente vino animo, agitari, atq. incautius effutiri solent; vt quadruplatores atq. excursores emissarii factitant, qui omnia passim explorant, atque in aliorum vitam moresque inquirunt non contemnendo sane quæstu ac præmio: nam ex delatione atq. accusatorio munere ac artificio quarta bonorum pars illis decernitur: quæ res illos admodum sagaces reddit, atq. in consectandis insequendisq. iis, ex quibus emolumentum sperant, atq. opibus inhiant, eorum acuit industriam. Hunc morem etiam vsitatū fuisse lenonibus, & qui tacite prostituebant vxores suas mercedis spe; vel quum nonnullos haberent suspectos, indicat Iuuenalis optimus vitiorum castigator: quo enim mœchi licentius perfrui possent contactu coniugum suarum, concubituq. potiri, tanquam aliis rebus intenti, menteq. atque oculis alio conuersis, quasi spiritus atq. animales facultates in alias cogitationes essent defixę contemplati sunt laquearia, aut graphice expressas in cænaculis imagines. Sic enim, vt ex vno conuicias cæteros, quendam carmine Satyricus illustrat,

Simulatores in conuiuiis.

Quadruplator.

Delator.

Iuuenalis locus explicatus.

doctus

—— doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso. Sat. I.

Quod ipsum quoque designat Ouidius, sed capta alia occasione;

Si bene compositus somno vinoq; iacebit,
Consilium nobis resq; locus dabunt. Lib. I. Amor.

Cæterum, vt ab excursu ad institutum regrediar, nihil æque corporis animiq. vires fulcit, instaurat, erigit, ac somnus nocturnus, qui sesquihora plus minus a peracta cæna, quo subsidat cibus, dextri primum lateris incubitu perficitur; quamquam & in ventrem inclinatio, prono nonnihil corpore, concoctioni non sit inutilis, præsertim vbi immoderato cibo turgescit ventriculus. Quod si protuberante laxoque ventre ac sinuoso, non omnino extento constituatur corpus; dici vix queat quantum commodi in conficiendo cibo, in mitiganda stomachi inflatione ac dolore, in sopiendis intestinorum torminibus perceperis. Supinus autem decubitus, atque in dorsum deuolutus, nocentissimus: nam quotquot ad eum modum se componunt, hiante ore, patulisque oculis, atque inconuenientibus palpebris stertunt, nec placide suauiterque dormiunt, aut somno reficiuntur ob contractos pectoris ac ceruicis musculos; quibus hoc etiam accedit incommodi, quod plerumque incubo, ac comitiali morbo opprimantur, tum paralysi, spasmo, apoplexiæ reddantur obnoxii; qui morbi hos quoque comitari solent qui meridianis horis lecto affixi, diem somno transigũt. Quocirca nemo assiduitate quotidiana diurno somno assuescat, nisi lassitudo ex æstu ac labore contracta vires afflixerit; aut nox pridiana intempestis vigiliis, atq. intempestiuis symposiis peracta sit. Tũc enim citra incommodum admitti potest meridiatio. Et quemadmodum somnus nisi opportune adhibeatur, siue is diurnus sit, siue nocturnus, ac modus

Decubitus in somno forma.

Supinus decubitus nocentissimus.

Diurnus somnus noxius.

Meridiari i. capere somnũ diurnum.

desit, stupidos homines efficit obliuiosos, languidos, inertes, grauedinosos, nullo ingenio, nullaque memoria: ita vigilia, nisi intra mediocritatem consistat, cerebro siccitatem adfert; sensus afficit; memoriam labefactat; oculis caliginem offundit; spiritus depopulatur; humorem natiuum exhaurit; concoctioni officit, omnem corporis speciem ac venustatem abolet.

Vigilia moderationẽ exigit.

Perturbationes affectusq; animi.

Affectus vitiosi homini noxii.

Quid detrimenti, quantamque iacturam menti inferant perturbationes, atque enormes impetus, odium, ira, indignatio, inuidia, timor, tristitia, gestiens atque effusa lætitia, angores, solicitudines, curæ, anxietates, multique alii turbidi animorum motus rationi non obsequentes, nemo non vel in se est expertus, vel in aliis obseruauit: quis est enim in tanta humanæ naturæ imbecilli ac lapsu, qui horum aliquo non vrgetur vel afficitur? Et quamquam alius alio melius affectibus vel obsistere nôrit, vel mederi, nullus tamen est mortalium, quin iis sit expositus. Quam vero sint affectus in nonnullis qui his impotentius indulgent, violenti ac feroces, tumquam grauiter non modo mentem, sed corpus quoque conuellant ac deiiciant, quotidiana exempla commonstrant. Nam multis furor, iracundia, pudor, effrenata lætitia præsens exitium attulit; quod cor sanguine ac spiritu vitali destitutum labascat ac dissoluatur: quod ipsum etiam, sed diuersa ratione in metu, pauore, mœstitia, repentino subitoq. terrore euenit, oppresso corde copia atque affluentia sanguinis, spirituque vitali suffocato: Ira vero, qua nihil furori, nihil insanię magis affine, ac proximum, quid efficiat, quantumque habitum corporis, atque externam speciem immutet, indicant inprimis vultus, color, aspectus horridus, oculi truces ac scintillantes, spirantes ac corrugatæ nares, os rabidum,

Omnes affectibus expositi.

Affectus quas noxas inferant.

Ira vis.

Irati habitus.

artus

artus tremuli ac vacillantes, inceſſus inſtabilis, vox titubans ac tremebunda; quæ animi affectio vel perturbatio potius, vbi excuſſo rationis imperio, ingraueſcere incipit atque efferari, quum aliis ſit infeſta, tum proprium corpus vel in mortem, vel periculoſas ancipiteſq ægritudines coniicit. Quocirca moderanda ratione ac temperantia mens eſt, ne affectibus cedat, parandaque optata illa animi ſecuritas, & quæ Cicerone teſte, *caput eſt ad beate viuendum tranquillitas*: qua frui certe non poteſt humanus animus, niſi domitas habeat cupiditates, ac vitiorum tyrannidem excuſſerit; quod non aliis viribus efficere poterit, quam firma in Deum fiducia, ſtabili eius verbo, cæleſtique ſpiritu fulta; qua conſequetur vt omnium cupiditatū moderatrix Temperantia, a libidine, ab inſolentia, gaudio immodico, effuſa lætitia, odio, iracundia, vindictæ cupiditate, auaritia qua inflammata mens auiditate inſtabili ad conquirendas opes impellitur, aliiſque affectibus vitioſis auocet atque abducat. Sic enim vtraq. hominis pars, nempe corpus & anima, quæ ſympathia, hoc eſt, mutuo conſenſu ac conſpiratione inter ſe cohærent, incolumes ſubſiſtent, nec vllis morbis, vlla ægritudine vexabuntur.

Tuſcul 5.

Tranquillitas.

Temperantia quid efficiat.

Doctrina cæleſtis affectus ſedat.

De frigido corporis habitu.

CAP. VIII.

QVoniam Calidæ conſtitutioni frigida ex diametro opponitur, nec eſt vlla deterior, atque ab optimo ſtatu remotior; de hac proxime diſſerendum, quo aliò reuocari poſſit, & ſi fieri queat, in meliorem reduci. Siquidem quum vita in calidi humidique temperie conſiſtat, qua augeſcunt corpora ac virile robur capeſſunt, decentemque magnitudinem conſequuntur; merito hæc deterrima cenſeri debet, atque inter poſtrema referri, quod

nulla sui parte ea quæ ad fouendas vires, tuendamq. valetudinem spectant, promouere possit, aut iis ad incrementum aliquid adiumenti adferre. Quum enim illi desit calor, omnique vi ac facultate naturali sit destituta, non potest alimentum humidum allicere atque elaborare, vtque assimiletur corpori ac membris coalescit, perficere, instrumentis inualidis, atque ob imbecillitatem torpescentibus, collapsisq. organis. Vt itaque calor natiuus omnium facultatum corporis nostri vehiculum & instrumentum ad perficiendas functiones efficacissimus; ita frigiditas illi contraria, nulli functioni idonea, præsertim si actiones naturæ circa nutrimenti alterationem spectes. Nihil enim vtilitatis aut commodi ad corporis conseruationem ac tutelam confert, seu cōcoquendi digerendique munus obserues, seu reliquas naturæ virtutes ac potentias proferas. Huic tamen qualitati, quamlibet ab integritate ac temperie delapsa sit, semper aliquis subest calor, sed languidus, & qui frigore rigescit, atque obtunditur. Si enim illi deesset calor, aut is penitus esset extinctus, nullaque inhæreret huius qualitatis portio, nō posset vita subsistere, atq. ab interitu se ipsam vindicare. Itaq. non penitus absumptus est in hoc corpore calor, sed eum superat frigiditas quæ in mixtura cæterarum qualitatum intensior est ac potior; eoque fit vt ab ea nomen atque appellationem sortiatur. Quocirca dum aliquid vitæ superest, ac nonnulla vitalis caloris portio corpori inhæret, omnibus modis excitanda fouendaque natiua caliditas appositis alimentis atque exercitatione, ne a frigiditate opprimatur: nihil enim ignauia vitaque otiosa ac cibis frigidis iis nocentius, vt paulo post indicabimus. Mirum autem nonnullis videri existimo, quî possint subsistere, vitamque tueri huiusmodi constitutionis homines, quum frigescente sanguine animalis spirabilisque vis concidat

Vitā quid fulciat.

Calore vita subsistit.

Frigus vitæ pernicies.

Frigida vniuntur calore.

Frigidis corporibus non deest calor.

cidat atque emoriatur. Verum hoc quiſque obſeruet, multa animantia frigidiſſimæ eſſe naturæ, vt ſunt Salamandra, pyranſta vermiculus, torpedo marina, ac nonnulli piſces; quorum pleraque, quoniam ſunt algidiſſima, ignem contactu extinguunt, vt glacies; nonnulla ſtuporem torporemque membris inferunt. Nullum eſt autem piſcium genus, quod obſeruaſſe me teſtari poſſim, cui calidus ſanguis ineſt, præter balenas, focas, vituloſque marinos, quos noſtrates *canes* vocant, piloſo tegmine, deniq. thynnos ac delphinos, & quotquot vel pilo veſtiuntur, vel coreacea cute exiſtunt, vt ſunt inter amphibia, hoc eſt, aquatica ſimul & terreſtria, fiber ſeu caſtor & lutra, quibus ferueſcit ſanguis, quum reliquis gelidus exiſtit; eoque fit vt belluæ marinæ aquis exemptæ diu viuant ob inſitum calorem, ac feruidi ſanguinis copiam; alterius vero generis piſces quum marini, tum fluuiatiles aquis deſtituti, eueſtigio moriantur, aut in littus delati, paululum modo ſpirantes animam efflent, firmiſſimo argumento illis plurimum frigoris ac concreti humoris, caloris vero minimum ineſſe; quo fit vt non diu aſſeruari poſſint, ſed cito putreſcant, niſi confeſtim, nullaque interiecta mora ſale obruantur. Ex his coniicito, qua ſint valetudine, quo corporis habitu, qui continenter piſcibus victitant, atque a commercio ac conſuetudine hominum alieni, ſolitudini ac ſilentio ſe addixerunt; interdictoque eſu carnium, quem naturæ parens omnibus indulſit, ſalſamentis plerumque putridis veſcuntur; quibus ego ſuadere ſoleo, nam multos annos huiuſmodi inſtituti homines me vſi ſunt medico, vt meraco vino illa perfunderent, excuſſoque otio atque ignauia exercitationi inſiſterent. Obſeruaui enim ex his complures qui lethargum, apoplexiam, ſpaſmum, paralyſim, oris torturam contraxerint ex craſſa tenaciq ac glutinoſa pituita. Nec

Animantia tactu frigida.

Piſcibus ſanguis friget.

Vituli marini, Seehunden.

Fiber, Beber.

Lutra, Otter.

Qui piſces diu viuant mari exempti.

Piſcium eſus ſolitariis noxius.

Geneſ. 1.
Actor. 10.
1. Tim. 4.

est ex eorum sodalitio quisquam, qui nō phlegmate scateat, atque excrementis pituitosis obruatur; quæ efficiunt vt somnolenti existant, obliuiosi, corpore animoque tardi, colore exangui, atque albescente, nisi aliquando amicorum aduentu vino incalescant, mentemque exhilarari contingat. Sic enim effloreścit color, atque animo veternus excutitur. Itaque si frigidæ constitutionis homines describi tibi velis, huiusmodi conditionis homines ob oculos constitue, qui ex instituto vitæ ac victus consuetudine in talem habitum deueniunt, etiamsi ab hac prius fuerint alieni: viuunt illi quidem, sed vt cochleæ, vt limaces, ac testudines; quæ quum ex liquore concreto, coactaque humiditate consistant, tum in illam liquescunt ac soluuntur; quod obseruari potest, vbi iis animalculis salem aut nitrum, aut alumen inspersceris; confestim in tabem resoluuntur. Cæterum vt homines atque animantes, sic stirpes nonnullæ & frutices hac qualitate imbuti sunt, quæ deleteria frigiditate animantibus perniciem adferunt, vt hyoscyamus, mandragora, napellus, solanum mortiferum, aconitum, papaueris nigri succus seu opium; quæ licet temperamenti atque elementaris qualitatis ratione frigida existant, abscessu quarto, graduque extremo, calore tamen vitali qui se a cælestibus rebus in hęc inferiora diffundit, viuunt ac virescunt. Insidet autem quum omni, tum præcipue humanæ naturæ vis quædam cælestis ac diuina, præter eam quæ ex semine maternoque sanguine constituitur. Siquidem spiritus calorificus, quem paulo ante toti mundo, eiusque partibus infusum ostendimus, elementis incumbit, cunctaque animat, ac vita imbuit; deniq. eam virtutem atque efficaciam confert, qua propagationi insistunt, ac similem speciem emoliuntur, eiusdemq. naturæ animal conforment. Quum enim prima animantium procreatio

Solitarii apoplexiæ obnoxii.

Cochleæ vitam viuere.

Venenatæ herbæ.

Frigida quomodo subsistunt.

Rerum natura spiritu diuino perfusa.

ex elementari concretione, ac progenitorum ſemine, quod purioris excoctique ſanguinis pars eſt, producatur, tum natura cuius ſolertiam nulla ars, nulla manus, nec vllus opifex conſequi imitando poteſt, ſuperne originem ſortita, operi inſiſtit, omniaque perficit, ac facultates animales, vitales ſpiritus, vireſque efficaces in ſubiectam materiam deuehit; quorum miniſterio artus omnes cōſummat, lineamenta membris inducit, eamque ſpeciem atq. effigiem rebus animatis confert, qualem quotidie oculis noſtris conſpiciendam exhibet. Hæc admirabilis naturæ vis, quam aliàs teſtati ſumus ab vberrimo Diuinitatis fonte promanare, vndique diffuſa, corporis molem agitat, mentem atque animum regit ac moderatur, variiſque actionibus inſtruit: cuius munere etiam quæ frigore torpeſcunt, viuunt ac ſubſiſtunt, licèt calor ſubſit languidus; qui ne prorſus flacceſcat ac ſopiatur, nec frigida qualitas, cui ſicca affinis, plus ſatis ingraueſcat, calidis fomentis excitandus eſt. Siquidem exhauſta humiditate natiua, atque inſito calore extincto, mors imminet, totaq. moles ſpectat ad interitum. Fit enim quod eleganti ac concinna ſimilitudine indicat Solomon, *vt ſoluta corporis compage, eneruatiſq; viribus reuertatur homo in terram, vnde deſumptus eſt, ac ſpiritus demigret in æternam ſuam ſedem, atq; ad Deum a quo originem eſt conſequutus, regrediatur.* Cæterum vt cuiq. innoteſcat huius cōſtitutionis natura ac conditio, eius notas atque indicia, quibus deprehendi poſſit, obiter cōmonſtrabo. Frigida autem qualitas, ſi calidæ conferatur, omnia cōtraria obtinet. Vt enim calor vndiq. diffuſus, humores ſua qualitate imbuit, ac corpus eiuſq. partes rubicundo colore illuſtrat; ita frigus ſuā qualitatē membris atq. humoribus impertit, tum pallidum minuſq. ſuauem colorem inducit. Atqui ſi ſingulatim omnes notas obſeruare libeat, nihil non in frigido corporis habitu a calido diuerſum deprehendes; ſiqui-

Lib. I. De natura miraculis cap. I.

Eccleſ. 12. Simile a contignatione aduū.

Frigidi habitus ſigna.

dem corpus glabrum est, nullisque pilis obsitum; capillus laxus ac mollis, rufi albique coloris particeps, & qui cito euanescat. Cutis tactu frigida, cui nonnulla adipis portio subest: quum enim calor in corpore humano languidus fit atque hebescit, adeps ac pinguedo innascitur; quod quum muliebri sexui, tum plerisque aliis vsu venire solet, qui vitam desidem agunt, atque otiosam, quorum cuti, internisq. membranis adeps subnascitur; eoque fit vt moderata corporis frigiditate pinguescat corpus, atque adiposum efficiatur; calore vero immodico, quod eo pingue liquescat, macilentum fiat atque aridum. Sunt autem quam plurima non natura, primaque ab origine hominibus insita, sed aduentitia, atque aliunde ascita, nempe vel ab immutata vitæ consuetudine, ac victus ratione, vel ab æstu, labore, desidia, solitudine, ignauia, metu, mœrore animi, ac plerisque aliis quæ multifariam statum corporis immutare sunt idonea; eumque nunc gracilem efficere, ac macilentum, nunc pinguem atque obesum; quæ etiam in colore conciliando non minus momenti obtinent; quæcunque enim calorem natiuum excitant, vt risus, lætitia, exercitatio, vinum, colore florido faciem perfundunt; quæ vero refrigerant ac calorem opprimunt, vt aër frigidus, auraque plus satis gelida, immodicus aquæ potus, somnus immoderatus, frigidorum ciborum nimius vsus, timor, tristitia, solicitudo, pauor, albo colore corpus imbuunt. Sic qui frigido corporis habitu constant, albescunt, ac candore perfusi sunt, nisi hæc qualitas ingrauescat, aut intendatur. Sic enim ad liuidum accedit, ac plumbeum, qualem fere obseruamus hibernis mensibus flante Aquilone in hominibus, quorum genæ, nares, labia, digiti, aures liuescunt, ac frigore rigent fœdoque squalore deformantur; hoc tamen illi præstat frigus, vt cibi sint auidissimi, ac non facile sa-

Otium & desidia obesum corpus reddit & frigidū

Vnde color bonus vel malus.

Calor colorem excitat.

Frigus colorem depopulatur.

Color quis frigidis.

Liuidus color.

tia[n]

tiari queant, licet illum minus concoquant: quod si ventriculi tunicæ vna cum frigiditate acido humore sint imbutæ, insatiabili torquentur edendi cupiditate, ac nunquam finiendo ciborum desiderio: qui affectus Canina appetentia dicitur, quem sedat vini meracissimi potus. A cui autem frigiditate appetendi vim, declarant acetaria, tum alia quædam condimenta subacida, quibus æstiuis mensibus appetitum excitamus. Cæterum quum calor insitus agiles atque actuosos homines efficiat, tum frigus desides, oscitantes, inertes, ignauos, somniculosos, atque ad subeundos labores vllasque actiones perficiendas ineptos; quod iis desint instrumenta quibus aliquas functiones aut munia obire possint. Est enim huius constitutionis hominibus lingua inexercitata, parumque expedita, vox mollis ac muliebris, facultates naturæ inualidæ, memoria minus firma, ingenium obtusum, mens stupida, animus ob caloris penuriam, ac spiritus vitalis exilitatem, pauidus ac meticulosus, quique ad leuissimum strepitum expauescat. Hæc autem, & si quæ alia se proferant naturæ vitia, pro virili corrigenda, adhibita salubri diæta, atque exquisita victus viuendique ratione, quæ consistit in calidi humidique temperamento. In primis autem in hoc corpore excitare ac fouere insitum calorem expedit cum exercitatione ac vino meraco; tum alimentis calorificis, cuius generis sunt alites quæ se volatu exercent, passerculi, miliariæ, frigilli, vulgo *Fincken*, columbæ, perdices, phasiani, merulæ, turdi, ficedulæ; atque inter cicures, capi ac galli gallinacei: nam anates, olores, anseres, fulicæ, mergi, ardeolæ, aliæque aquaticæ volucres valentem ventriculum exigunt. Quæ vero quadrupedum generi adnumerantur huic naturę accommoda, sunt vituli, verucces, porcelli, cuniculi. Inter arboreos vero foetus, & quæ ex terra cultu atque industria ho-

Canina appetentia.

Frigida appetitum excitant.

Frigidi minus agiles.

Medela frigidi corporis.

Alites concoctu difficiles.

Cibi apti frigidis.

minum proueniunt, amygdalæ dulces & amaræ, nuclei persicorum, dactyli seu palmulæ, ficus aridæ, vuę passæ, exemptis vinaceis, passulæ Corinthiacæ, nuclei pinei. Et quoniam hortorum prouentus multa nobis in hunc vsum suppeditat, ea quoque referre visum est, quod passim obuia sint, ac minime sumptuosa, aut vllius pretii: cuiusmodi sunt apium hortense, quod petroselinum vocant; pastinacæ aliquot species, eringium, sisarum, carduus, cinara, & articoccus dicitur, napi, raphanus, seu vulgaris radicula, cicer, nasturcium, eruca, mentha, absinthium Ponticum, & quæ brumali tempore in condimenti vsum veniunt, cæpe, allium, porrum, aqua macerata, quo graueolentiam deponant; aut si quis horum grauitatem ferre nequeat, exotica aromata, quod passim Germani ac Britanni factitant, vt sunt zingiber, crocus, piper, cardamomum, casia, quæ veterum cinnamomum creditur, nux myristica; aut si tenuioris fortunæ homines sumptum ferre nequeat, ea quæ illis facultate ac viribus respondent, ex domestico fundo decerpant, nempe rosmarinum, ocymum, vulgo basilicum, cunilam seu satureiam, origanum, amaracum, vulgo maioranam, anethum, saluiam, melissophyllon: his enim ac plerisque aliis expugnari possunt naturæ vitia, ac corpus sensim ad securiorem habitum reduci. Si enim huic qualitati accedat siccitas, non potest vita quæ in calido humidoque sita est, diu subsistere; sed necesse est illam e uestigio morte terminari; qua de re sequenti capite fusius differere institui.

Prouentus hortensis.

Cōdimenta calida.

De sicco aridoq; corporis habitu.

CAP. IX.

QVum sicca corporis habitudo frigidæ affinis sit, & cognata, illique proxime assistat; quid de hac statui debeat, & qua ratione expugnari possit, obiter

obiter indicabo. Sunt autem duæ qualitates pari propemodum interuallo ab optima temperie remotæ, in quamcumque etiam ætatem inciderint, licet in senectute sicca intemperies ægrius expugnari possit, quam in adolescentia, vbi ex morbo is habitus contractus est, aut ex incontinentia, vitæque intemperantia huc deuentum est. Vt enim senes ætatis ratione, atque annorum decursu, effœto, arido atque exhausto corpore efficiuntur; ita iuuenes ex deprauata vitæ institutione, ex intempestiua vigilia, immoderata Venere in frigidam, siccamque intemperiem incidunt, atque absumpto vitali humore non secus, quam senes, licet properantius, atque ætate immatura, naturali morte vitam finiunt; quæ ea ratione naturalis dicitur, quod omnibus immineat, ac declinari euitarique nequeat. Neque enim senium aut hominis interitus naturalis statui debet, vt auctio & nutritio, quæ naturæ opera existunt, & quibus se facultas naturalis propagat ac tuetur: sed quod necessario, ac naturæ cursu atque ordine consequatur. Ille siquidem est naturæ ordo ac series, rerumque existentium fatalis quædam continuatio, vt omnia orta occidant, & cuncta senescant; alioqui improprie parumque apposite mors naturalis diceretur, quum præter naturam potius sit, vitæq. nostræ aduersetur. Si enim morbus, quem mortis instar deputo, est habitus contra naturam, qui actionem eius vel vitiat vel impedit; quanto magis mors, quæ vitam abolet, ac despoliat, censeri debet naturæ contraria? Nihil enim naturæ legibus repugnantius, quam extingui, luceque suauissima ac spiritu priuari. Quod in se quisque experiri potest, si quando subit animum eius rei cogitatio, quæ eam trepidationem, terrorē, formidinem incutit, vt nisi mentē alterius vitæ certissima spes & expectatio fulciat, nisi foret humana

Senectus præmatura.

Mors naturalis qua ratione.

Mors contra naturam.

Si morbi formidabiles, ergo & mors.

vita calamitosius, nihil afflictius. Siquidem quid nobis metum, anxietatem, desperationem, diffidentiam eximeret, ni concepta in Deum fiducia, in æternas sedes mens esset defixa? Mortem autem non inuexit natura, communis rerum parens, summique opificis instrumentum; sed vitiorum corruptela, ipsaque a prima mundi origine peccati labes hanc cladem, hoc mortiferum vulnus, hanc letalem plagam inflixit. Itaque mors non naturæ, sed consequentiæ ratione naturalis dicitur, quod *omnibus ex æquo impendeat, illiusq; finibus omnia concludantur*. Quum autem duo constituantur mortis discrimina, alterum violentum, naturale alterum; ea mortis species philosophis ac medicis naturalis dicitur, quæ citra vllum doloris sensum senibus, & quotquot in senilem affectionem, hoc est, frigidum & siccum habitum deuenerunt, obuenire soleat: in his enim corpus moribundum animam, non anima corpus deserit, quo vt sensim placideque sopiantur, & quodammodo obdormiscant; quum alii qui casu, ruina, igni, ferro, angina, pleuritide, peripneumonia, aliisque morbis qui in humorum plenitudine consistunt, opprimuntur, violenta morte intereant, atque acerbe cum illa colluctentur; sic vt anima corpus derelinquere cogatur, vti hospes ædes ruinosas, vi tempestatum conquassatas ac conuulsas. Hinc apposite Cicero, adolescentes, quique in ætate florida constituti, succulento corpore existunt, ac vegeto, sic obrui statuit, vt quum affluentiore aqua flamma opprimitur: senes vero vt ignis, qui sua sponte, nullaque adhibita vi extinguitur. Quantum autem fumi ac fuliginis, quas fauillas in aera diffundi videmus? quos edi strepitus ac stridores? quæ ex concursu scintillarum crepitacula? vbi luculentum ignem, aut incensos lignorum aceruos effusa aqua restinguere tentamus. Ex quibus coniecturam facere licet, quanta sit in iu-

uenili

Mors quibus formidabilis.

Peccatum morbos ac mortem inuexit.

Sapien. 2.

Galen. De marcore.

Plato in Phædon.

Duo mortis genera hominum pendent.

A ruinosis ædibus simile.

De Senectute.

Elegans comparatio.

uenili corpore luctatio, quam acris pugna, qui tumultus, quæ concertatio; cum violentia morbi, vel alio fati genere inexhaustus naturæ vigor, calor feruidus, spiritus alacres ac viuidi suffocantur: quo spectat scita illa ac concinna Ciceronis comparatio; Quemadmodum poma ex arboribus si cruda sunt, vi auelluntur, matura ac cocta, sponte vel leui attactu decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Hæc quoniam ab instituto non sunt aliena, præfari visum est, atque inculcare studiose, quo quisque ab ineunte ætate, primisque annis declinet quæ corpori infesta sunt, ac minus cōmodam valetudinem constituunt, seu extrinsecus incidant, seu ex internis causis proueniant. Quisquis itaque præmaturam senectam euitare velit, ac vitam pro ferre longius, eamque quam maxime diuturnam efficere, quum multis quæ vitæ nostræ insidiantur, tum potissime siccæ corporis habitudini obsistere curet, ab eaque esse remotissimus; quod qua ratione obtineri possit, post descriptas huius status conditiones ac notas, quam possum dilucide explicabo, commonstrata proxima ac compendiaria via, qua id perfici queat: id enim futurum est philomusis, virisque politicis salubre cumprimis ac frugiferum. Quibus itaque corporis habitus vel natura, vel progenitorū origine, vel ascita aliqua vitæ consuetudine, nempe inedia, solicitudine, vigilia, mœrore animi, labore immodico inductus est, corpore fere conspici solent gracili atque extenuato, cute vbi siccitas augescit, scabra, squalida, strigosa, vt equis assolet, quibus nulla saginandi cura adhibetur; colore deformi, lurido ac giluo; vbi ad extremum deuentum est, aspectu horrido, vultu tetrico, facie cadauerosa, illuuie obsita ac macie confecta; obiter tali prorsus specie, qualem expressit Ouidius in describenda Inuidiæ larua; siquidem,

Vt corpus diu subsistat.

Notæ sicci habitus.

Simile ab equis macilentis.

Lib. I. Metam.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes,
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus; excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitq́ videndo;
Successus hominum carpitq́, ac carpitur vnà.

Caluitium ex humoris penuria.

Et quoniam siccitas humorem omnem depascit ac depopulatur, capillo sunt raro, & qui cito defluit; vnguibus aduncis atque incuruis; voce obtusa atque exili, quæque aliquando stridore quodam prodeat siccitate exasperante vocalem arteriam; pulsu languido; ingressu tardo; oculis reconditis atque excauatis; labris pallidis; collapsis temporibus; genis pendulis, frigidis contractisque auribus; statura minus procera: somno vero, qui est omnium laborum ac solicitudinum suauissimum perfugium, ob cerebri squalorem tenui ac modico. Quod si cerebrum penitus arescat, ac si torridum, nulla fere memoria existunt, sed obliuiosi, ac mente ignaua, minusque erecta: quum enim spiritus desint; qui, vt vapor lucidus & syncerus, ex sanguine puriore caloris munere emanant, vim conferant in exercendis actionibus, fieri nequit vt facultates naturales illorum viribus destitutæ suas functiones obeant. Sin vero nonnihil vigeat animalis virtus ac potentia, nec cerebrum caliditate prorsus sit destitutum, memoria stabilis est ac firma. Quum enim humiditas immodica obliuioni causam præbet ac desipientiæ, vt infantes ac temulenti demonstrant, tum moderata siccitas memoriam fidam animique prudentiam parit modico calore adiuta. Splendor siquidem siccus mentem prudentissimam statuit; quantum autem humoris accesserit, tantum prudentiæ adimitur; quod etiam in cælo minus sereno perspicimus: non enim collucent astra aut splendescunt, nubibus aut nebulosa caligine offusa. Quod autem nonnulli senectutis metas,

Cerebrum aridũ quid efficiat.

Memoria stabilis vn de.

Ab astris simile.

metas ingressi delirent ac sint obliuiosi, quum hæc ætas maxime sicca prædicetur, non ob siccitatem id euenit, sed frigiditatem, quæ omnibus palam muniis animi officit atque aduersatur: ex illa enim amentia, alienatio mentis, stupor, deliratio, ac sensuum inopia proueniunt, quibus naturæ virtutes ita obruuntur, vt vel languidæ, vel nihil omnino functiones suas obire possint. Quum itaque memoria periit, vel affecta est, frigida subest intemperies, quę expugnari debet moderate calidis; nam humectare aut arefacere consultum non est: sed si frigiditas humiditati copuletur, exiccare; si ariditati, madefacere atque irrigare. Cæterum si non prorsus firmata sit ac radices egerit ista qualitas, hæc iam memorata signa atque indicia non exacte, nec ad amussim descriptioni respondent: verum inualescente sensim intemperie, indies magis magisque se ostentant ac proferunt; quod iis potissimum vsu venit, quibus hic habitus non naturalis, sed aduentitius est, aut fortuito atque ex accidente, vel morbosa aliqua affectione atque animi ægritudine aduenerit; nam temperamenta multiplices variasque mutationes sustinent: plerisque enim calor dum humorem absumit, siccam intemperiem adfert; nonnumquam nimia humiditas calorem extinguit; multis intensa frigiditas siccitatē inducit: quæ intemperies naturę aduersissima, vt quæ intempestiuo senio ac prætura morte hominem conficiat. *Corpus autem cuiusque intrinsecus siccum efficitur, quum nec adtrahere in venas alimenta valeat, nec iis sufficienter frui:* quo fit vt præcipuæ partes ac viscera concoquendis cibis destinata arescant; reliqua vero excrementis purgandis accommodata humoribus pituitosis redundent: quæ res nonnullis imposuit, qui senes humido esse corporis habitu sunt suspicati, quum solidæ partes, arteriæ, panniculi, membranæ, nerui, musculi non

Quomodo memoria instauranda.

Habitus corporis mutationibus obnoxius.

Galen. li. 5. De tuend. valet.

humescant: sed ipsę capacitates ac sinus, turæ meatus qui corpori subsunt, ac homini ad excernendos humores superuacuos inseruiunt, humiditate aliena implentur, eoque fit vt corpus ob calorem imbecillem atque inualidum nutriri desinat; denique in extremam siccitatem deuoluatur. Quare non iniuria Galenus hunc corporis habitum deterrimum censet; siquidem quod temporis spacio senescentibus accidit, id adolescentibus nonnullis statim ab initio contingit: quocirca illos humectare ac calefacere oportet exercitatione moderata, nutrimento humectante & calido, præsertim vino calorifico ac subdulci: austera enim & acerba (quale est nostrum Pictonicum) quum huic constitutioni, tum maxime senibus inimica, nisi zaccharo aut melle dulcescant; quod etiam in lacte exhibendo obseruari debet: cuius vsus illis commodus, vbi huiusmodi condimenta adhibentur. Sic enim nulla ex his incidit obstructiõ, nec vllus futurus est in renibus calculi metus: quibus nequando obnoxius esse contingat, quod ex crasso lentoque humore, ac cibo concoctu difficili euenit, quæ oppilationes expediunt, ac lotium moliuntur præscribenda, vt sunt apium hortense, asparagus, vesicaria, gingidium, cuius naturæ nostrum chærephyllon, saxifragia, crithmon, vulgo *Crista marina*, quæ in Galliis copiose prouenit, betonicã, adianthos, rosmarini flosculi; & si aluus sit astrictior, mercurialis, fumaria, cnicus, vulgo carthamus cum ptisana, brassica marina, ex carnium elixarum liquamine, malua, atriplex, blitus, lapathi genera, vrticæ, lupi salictarii, ac sambuci turiones seu cacumina, vernis præsertim mensibus; aut si quæ alia æstate atque autumno vigent, vt sunt cerasia, pruna, ficus, mora, primis mensis illata: nam quod Horatius docto quidem ac eleganti carmine mora commendauit, eaq. postremo peractoque prandio edenda consuluit, non

Lib. 6. tuẽ. valetud.

Vinum minus generosum.

Lactis vsus.

Vrinã prouocantia.

Quæ aluũ soluunt.

Mora quo modo edenda.

on ex artis medicæ, aut salubritatis ratione id fecit, d ex communi vsu ac vulgata consuetudine, quum quit,

—— ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore solem.

Lib. 2. Sat. 4.

Hæc siquidem, vt vuæ, persica, corna, & quæcunque æstate diu asseruari nequeunt, cibos præire debent; nam præpostere assumpta putrescunt, ac corpori corruptelam inferunt, ventremq. flatibus distendunt. Brumali quoque tempore multa obuia sunt, quæ aluum laxam efficiunt, quæque intestina proluunt, vt est mustum, caricæ, hoc est ficus aridæ, atque vuæ passæ, quæ in fiscellis reconditæ ex Hispaniis in has oras deferuntur, pruna Damascena, eaque vel elixa, aut liquore aliquo macerata, cui plusculũ zacchari aut mellis admixtum sit; quibus accedunt quæ exiguam medicamenti vim obtinent, Sena, polypodium, mel aëreum, vulgo manna, epithymus, cassia fistularis, ac cylindracea, rhabar. atque hebeni, hoc est, ligni Indici dilutum, myrobalani, thamar seu dactyli Indi, eaque omnia vel ex sero lactis, vel iure gallinaceo. Et quoniam non solum senibus, sed omnibus qui morbosę alicui affectioni obnoxii sunt, nihil resina terebinthina in sanitate tuenda, profligandisque morbis salubrius, hæc quoque prædictis annumeranda. Siquidem non solum aluum citra noxam soluit, sed viscera omnia, internasque partes, iecur, splenem, renes, pulmonem expurgat, modo perlucida sit, non adulterina, nempe ex latice pinea vel abiete lecta. Sum enim efficacissimam hanc expertus in eliciendo suppresso lotio, in comminuendis calculis, in stranguria, atque vrinæ stillicidio, hulceroso ac fœdo, quem Belgæ vocant, *Den druyper*; in podagra ac chiragra, in pudendorum atque obscœnarum partium affectibus etiam a contage Venerea

Terebinthina efficacia.

contractis; in expugnandis internis doloribus, quos idem morbus inuexit, quorum nonnulli ossibus videntur infixi, quod membranæ, nerui, musculi, tendones qui ossibus adhærent, humorum sæuitia contundi ac dilaniari contingat. Quum autem Galenus nucis Ponticæ, vel auellanæ magnitudine, nonnumquam duarum aut trium hanc exhibere soleat, tum ego quo commodius dimanare in venas partesque corporis vniuersas subire possit, in potionis formam conficio, ac liquore aliquo stillaticio, aut vino diluto: absque igni enim liquescit, candoremq. eximium agitatione continua asciscit, quod in hunc modum perfici solet: Terebinthinæ Pisticæ, hoc est, probatæ, & cui tuto citra vllam fraudis suspicionem possis fidere, vnciam aut sextantem in mortario pistillo dissoluo, adiecto lutei seu vitelli oui pusillo, deinde admisceo certis vicibus aquæ vesicariæ, vel apii, vel alterius liquoris (vt exigit morbi natura, aut hominis conditio) vncias duas aut tres, hæc tantisper subigo, dum omnia coalescant, mixtura tam suauiter candore lacteo albescit, vt collostro, aut Belgis vocato cremori prorsus reddatur assimilis, nec aliud esse sibi persuadent, quibus huiusmodi potiones ebibendas offero. Soleo quoque eam in orbiculos ac catapotia, quas pilulas vocant, redigere, atque inuolutam pane azymo ex amylo confecto, qui læuore perpolitus Pontificiis canonibus *hostia* vocatur, quod hoc sacra peragantur, deglutienda exhibere; vel denique Cydoniato (carnes Cotoneorum vocant) incrustare, prius terebinthina aqua rosacea, aut feniculi elota, quo resinatum saporem exuat. Cæterum quum nihil sit huic constitutioni quam describendam suscepimus; somno placido salubrius, quod eo membra vndique irrigari contingat, ac tepori perfundi, illi in culcitra mollius subacta largius ac liberalius indulgendum: est enim nocturna quies

Galen. li. 3. Tuē. valet. Lib 5. Tuē. valetud.

Terebinthinæ præparatio.

Terebinthina in liquorem redacta, poculenta fit.

Bieſt. Roem.

Somni vtilitas.

corporis

corporis mentiſque laxamentum ac refocillatio,

Pax animi quam cura fugit, quæ corpora duris
Feſſa miniſteriis mulcet, reparatq; labori.

Quod ſi diſcuſſo ſomno, frictioni inſiſtant inter mollem ac durum mediocri, dici vix queat, quantum commodi ex ea ſint percepturi. Siquidem vitale robur excitat ac moderate calefacit; denique efficit vt diſtributio in corpus fiat facilior, ac nutritio promptior, præſertim ſi vncta manu vel ſubuido panno ac villoſo perficiatur: quis enim non percipit manus, genas, brachia, collum, aures confricatas rubeſcere, atque effuſo in illas partes ſanguine calorem concipere? Et quamquam defricandi vngendique vſus apud nos in diſſuetudinem venit, atque exoleuit, eo tamen veteres in conſtabilienda valetudine, firmandisque viribus crebro vſi ſunt. Sic Auguſtus Cæſar aliquando conſpicatus Pollionem comitem annum centeſimum prætergreſſum, ſciſcitatus eſt, qua ratione obtinuiſſet vires tam validas, tam crudam viridemque ſenectam: qui reſpondiſſe dicitur: Intus vino, foris oleo. Neque enim ad luxum atque effœminatas molleſque delicias vnguentis atque oleo abuſi ſunt ſuperioris ætatis homines, ſed in ſanitatis tutelam, & quo morbis minus eſſent expoſiti. Vnctiones enim & frictiones certa ratione ac modo adhibitæ (ſunt enim Galeno teſte complures differentiæ) corpus vel denſum præſtant, ne aëris ac ventorum impulſu feriatur; vel rarum, ne interna humorum fuligine ſtranguletur. Sic dura corpus cogit ac condenſat: Mollis, laxat ac reſoluit: Multa, extenuat atque imminuit: Mediocris, augendi implendique vim obtinet: Aſpera, ad extimas partes elicit: Lenis, nihil adimit, ſed vim in partibus retinet. Ex his frictionum generibus illa quæ in mediocritate conſiſtit, ſeniculis ac macilentis ex vſu eſt. Vt enim

Frictionis vſus.

Pollionis ſcita ſententia.

Intus vinum, foris oleum.

Lib 2. Tuend. valet.

Frictionũ differentiæ ſex.

Simile a rigido corio.

ocreæ duriores ac coria quæ obrigeſcunt ac ſitu obducta ſunt, macerata oleo molleſcunt; ſic ſenum atque aridorum corpora, intus vino, foris oleo perfuſa ac mitigata, ſeueritatem exuunt. Quod autem olim multiplex fuerit vnctionum vſus, præter Euangelicas conciones, præter Solinum & Plinium, Strabo quoque teſtatur, qui Indorum mores conſcribens; *Medicina*, inquit, *plurimum apud eos per cibos perficitur, non autem per medicamenta; ex medicamentis maxime vnctiones probari & cataplaſmata cætera, vt illi ſentiunt, maleficii non eſſe expertia.* Illis enim morbos propulſare ſolent, æſtum mitigare, laſſitudines diſcutere, ac defatigatas vires, ſopitoſque ſpiritus erigere, quemadmodum nos odoribus animam fouemus, ac facultates naturæ collapſas inſtauramus. Nec minus vtilitatis huic corpori adfert aquæ dulcis calidum balneum; humectat enim & calefacit; laſſitudinem diſſoluit; duras denſaſque partes emollit; humorum redundantiam quæ cuti ſubeſt, per halitum diſſipat; flatus reſoluit; ſomnum allicit: quoniam madore ſuaui, ac roſido vapore cerebrum imbuit. Naturalia vero balnea, ſeu thermæ quæ ab alumine, ferro, calce, ocra, ſulphure, nitro, bitumine, plumbo, ære, cupro vires ſortiuntur, non vſque quaque huic naturæ accommodæ, niſi quis conſulto fido expertoque medico, corporis ſui conditionem illi exponat, atq. explorandam offerat, quo poſſit diſpicere, an tale quiddam aggredi expediat. Venus autem ſeu concubitus quum ſiccis omnibus naturis inimicus, tum iis qui præter ſiccitatem frigidi quoque exiſtunt, nocentiſſimus; nec minus noxia nimia exercitatio, laſſitudo, vigilia, ſolicitudo, inedia, mœror animi, iracundia, qua raro quidem horum mens exardeſcit; at vbi incanduit, quæ non facile ſedari queat. Et quoniam intempeſtiua lucubratio ſtudioſos fatigat, ac corpus macie conficit, illi quoq. modus ſtatui debet.

Luc. 7.
Lib. 15.
Vnctionis vſus vetuſtus.
Artificiale balneũ.
Naturale balneum.
Quæ præter Venerẽ ſiccis noxia.
Nocturnæ lucubrationes noxiæ.

Videre ſiquidem eſt nonnullos qui literis continenter addicti, nullam valetudini, cuius fulturis animus ſubſiſtit, operam impendunt, colore eſſe exangui, minuſque florido, corpore extenuato, ventriculo inualido ac languenti, attritis deiectiſque viribus: nam quum ſe nocturnis vigiliis macerant, ac ſtudia in multam noctem producunt, ex intentione immodica ſpiritus animales reſoluuntur, atque humiditas natiua exareſcit. Quocirca adhibenda moderatio, ac ne corpus aſſiduo meditandi labore exhauriri contingat, illius incolumitati ſedulo inſiſtendum; nam vt Plutarchus aſſerit, *Omnium bonorum quæ præſtat homini cultura animi, nihil excellentius dari poteſt corpori, quam vt omni careat impedimento vel ad virtutis cognitionem, vel ad vſum vitæ neceſſarium.* Siquando enim morbus incidit, aut capitis vertigo oboritur, confeſtim mens corporis adminiculo deſtituta langueſcit; nec ſe alacrem ac vegetam præſtare poteſt in exercendis animi muniis, ſed vna cum collega, omniumque laborum ſocio ac comite afficitur, parique incommodo inuoluitur. Quo recte monuiſſe Platonem accepimus, vt neq. corpus quis exerceat abſq. animo, nec animum ſine corpore; ſed veluti coniugii cuiuſque æquilibrium conſeruet, ac conſenſum vtriuſque, æqualitate maritali conſpirantem. Quum itaque inſitus calor exercitatione motuque corporis augeſcit ac vires concipit, animuſque fit erectior, ac reuiuiſcit; danda cum primis opera, vt ſtudioſi quique, & quotquot valetudine vacillanti ſunt ac dubia, huic aſſueſcant, præſertim illi exercitationis generi, quod nullam adfert laſſitudinem, atque intra mediocritatem conſiſtat; qualis eſt concinna vocis modulatio, ac clara, ſonique intenſioris lectio vel declamatio; dici enim vix queat, quantopere illa ſpiritus excitent, ac fuliginem denſaſque nebulas cordi offuſas diſcutiant. Interim hoc accurate obſeruari

Cura corporis non negligenda.

De Tuend. valetud.

Corpus & animus mutuo afficiuntur.

Simile a conſenſu cõnubiali.

Salubris exercitatio ſtudioſis.

debet, ne quis vuidus, ac vino immodice perfusus, ciboque distentus, incondite vociferetur. Siquidem inæqualis spiritus, ac violentus clamitandi impetus vocalem arteriam exasperat, ac nonnunquam vel inflammationem gutturis, vel ruptis venarum fibris, cruentum sputum inducit. Non desunt autem alia oblectamenta, quibus huiusmodi conditionis homines se reficere possint, remissisq. studiis atque occupationibus, animum relaxare moderatis conuiuiis, atque inter hæc festiuis lepidisque sodalibus qui seueritatem rebus seriis, iocosis leporem adhibere norint, ac sermones, dicendiq. peritiam tempori, ætati, personæ, vitæq. vtilitati accommodare; sic vt ea proferant quæ tam sint vsui auditori, quam oblectamento; in quo pleriq. a decoro deflectunt, nec magnam apud conuiuatores gratiam fauoremque ineunt, quod eos sermones mensis inferant, qui nec tempori deseruiant, nec vtilitate ac venustate auditores afficiant. Quum enim de rebus anxiis ac tortuosis disserant, difficilesq. atque arduas quæstiones agitent, assidentibus graues sunt ac molesti: Sic pleriq. in vehiculis, pistrinis, compitis, nauigiis, imo inter spumantes pateras, de rebus diuinis controuersias mouent, ac de religione disceptant, sed vt saturi de frugalitate, quod genus hominum iure optimo perstrinxit olim Persius in re minus seria, quum inquit;

Moderata conuiuia non improbanda: Relaxatio animi.

Decorum in sermone couiuiali.

Satyr. 1.

—— ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narret,

Quin potius Horatio sic admonenti acquiescant;

Lib. Ser. 2. Satyr. 2.

Discite non inter lances, mensasq. nitentes.
Quum stupet insanis acies fulgoribus, & quum
Acclinis falsis animus, meliora recusat;
Sed verum impransi semper disquirite; cur hoc?
Dicam si potero: Male verum examinat omnis
Corruptus iudex.

Hinc

Hinc enim eſt, quod multi qui verſantur in ſumma rerum diuinarum ignoratione, affectibus impotentius indulgeant; quod ſcopum in quem defigenda mens, non attingant; quod ſcrupulis ſe torqueãt; quod de rebus manifeſtis ambigant, ac dubitationem mente concipiant; quod animus doctrina parum ſyncera imbutus, ac ſuperſtitione cõtaminatus vacillet ac fluctuet, nec in tutum portum, fidamque ſtationem, ſed in humanarum opinionum atque errorum ſcopulos deferatur. Quoniam itaque mens hominis varie intra ſe tumultuatur, nec in opinionibus, dictis ac factis, omnique vitæ ratione ſatis firmiter conſtantiam tuetur, nulli non perſuaſum cupio, ſi pacatus eſſe velit, vitamque ſuauiter agere exoptet, vt omnes ſuas actiones, conſilia, mentiſque conceptus ac cogitata, quæ vel aggredi vel perficere meditatur, in certa ac diſcriminata tempora partiatur ac diſtribuat, ſuaſque vices cuique functioni aſſignet, nec alterum alteri admiſceat aut inuoluat; quæ etiam Eccleſiaſtæ mens eſt, ac ſententia, qui rerum tempora ex ordine vitæ diuidens, cuilibet eorum quę geruntur, officium attribuit, ſicut nox quieti deſtinata, excuſſis quę obrepunt phantaſiis, ſomno tranſigatur, nec patiatur quidquam diurnorum negotiorum menti inhærere. Edendi vero tempus, reficiendi corpus, viribuſque inſtaurandis aſſignatum, ita obſeruet, vt auerſa a rebus aliis cogitatione, excuſſiſque moleſtiis, in patinas oculos habeat defixos, nec ſinat ſe interpellari, aut a ſuauioribus ferculis ac ſalubri victu abduci. Sic in delibandis concionibus, in perficienda precatione, in obſeruandis obeundiſque ſacris, ſingula quæ tale quiddam meditanti officere poſſunt, excludi debent, atque abigi, quo mens ſola in Deum erecta, non alio quam in maieſtatem numinis rapiatur. Hoc quoq. in publicis priuatiſque rebus, in forenſibus ac domeſticis,

Quid a pietate nos abducat.

Ne animus curis diſtrahatur.

Eccleſ. 3.

Actiones quotidianæ ſuo quæq; tempore atque ordine procedant.

in exercenda mercatura ac negotiandi industria, obiter si tecum quid agas, aut cum aliis contrahas, obseruari debet; quod hac instituendæ vitæ ratione ac stabilitate maxima commoditas, ac fructus vberrimus, in peragendo huius æui stadio percipiatur.

De Humido corporis habitu.

CAP. X.

QVoniam autem Humidum primigenium natiui caloris fomes existit, vitamque alit ac conseruat, vt oleum in elychnio flammam, temperamentum non prorsus pœnitendum constituit. Est enim quum Medicis, tum Philosophis humida temperies laudata, nec penitus visa a naturali dispositione aliena; quamquam enim in initio ac primis annis paulo deterior censeri possit, ætatis tamen ac caloris accessu, præstantior euadit. Siquidem humiditatis calorem prompte concipit, atque illius actionibus obsequitur, vtque argilla vda, subigi se fingiq. patitur. Quocirca ad nutritionem mirifice confert, atque ad longitudinem, proceritatem, augmentum, plurimum adminiculatur: tametsi enim humiditas cæteris functionibus officiat, atque perficiendis actionibus suapte vi nihil adferat adiumẽti, sed prorsus inefficax sit & inualida, quum nec attrahere idonea sit, nec continere, nec expellere; calore tamen perfusa nonnihil efficit, atque in alterandis iis quæ inter se coniuncta sunt, illi qualitati assistit, atque auxiliatur. Vt enim aqua, quæ non minus frigida, quam humida percipitur, ignis ardore concalefacta cruda elixat, eaque esculenta efficit: vt denique oleum, subditis sartagini prunis, aut accensis carbonibus feruet, ac pisces frixos esui efficit idoneos; sic insita corpori humano humiditas calore natiuo imbuta, multa in corpore perficit, vt Luna in terra Solis radiis ac splendore illustrata. Quemadmodum enim hoc sidus menstruo decursu saltus reficit ac nemora, rebusque

Humidi status conditio.

Simile ab argilla.

Simile a feruenti aqua & oleo.

rebusque terrenis auctus & incrementa confert; æstus marinos concitat, sinus, portus, stationes, littora, accessu recessuque reciprocante fluctu nunc implet, nunc deserit, vt ostrea, conchylia; sic salutaris vitalisque humor membris vndique perfusus corpus madidum efficit, atque irrigat: eoque fit vt huiusmodi naturæ homines longæui efficiantur, atque ætatem in multos annos proferant, si accedat moderatio, nec humiditas calore destituta plus satis inualescat. Vt enim affluentior aqua ignem extinguit; ita nimia humiditatis copia calorem natiuum opprimit. Quod si moderate inter se hæ qualitates consistant, nec humor, quam par est, sit redundantior; nec calor plus satis remissus, aut languidus qui humiditati incumbit, omnia naturæ munia exactissime perficiuntur. Siquidem quum calor humorem obsequentem habeat, cibum attractum optime concoquit, atque in roris speciem reductum, in intimos abditosque corporis recessus recondit, vtque assimiletur membris ac coalescat, efficit: itaque humiditas caliditatis munere ad nutrimentum conferendum mirificam vim obtinet, atque vt corpus tum augescat, tum extendatur præsidium adfert, in cæteris functionibus imbecillis atque inualida: neque enim vlla attrahendi, concoquendi, alterandi, digerendique vi pollet, sed nonnullam expellendi facultatem obtinet, ob lubricæ naturæ conditionem. Videre siquidem est illos, qui obesi sunt ac succulenti, vdoque corporis habitu, cita fere aluo esse ac profluenti ob retinentem facultatem parum firmam, & quod meatus laxiores humoribus transitum patefaciunt. In calidis vero siccisque corporibus contrarie euenit, vt quibus retinendi virtus robusta sit, expultrix vero ob ariditatem, & quod meatus collapsi sint, languida existat; quo fit vt in deiiciendis excrementis, ac proluendis

Calor humidus. Soli, humor Lunæ cõparatur. Lunæ vis in inferiora.

Simile ab aqua.

Calor humorem obsequacem habet.

Sicci astricta, humidi laxa aluo.

intestinis, in tussi, screatu, vomitu, irritos aliquan- do labores subeant, nihilque promoueant. Humida itaque constitutio siccæ aduersaria, omnia fere cõtraria obtinet, vt pueri & senes. In ętate enim pueri calor innatus sensim augescit, atq. affluenti humiditate perfusus, vsq dum adoleuerit ætas, ac virile robur cõsequuta est, auctus atq. incremẽta concipit. In senili vero paulatim calor deficit, absumtoq. humore in frigidã siccamq. intemperiem, deniq. in mortẽ homo deuoluitur. Quarum qualitatum conditio cum paulo ante a nobis descripta sit, orationis continuatio ac series exposcit, vt quibus argumentis, quibusq. indiciis humida constitutio deprehendi possit atq. obseruari, demonstrare aggrediar. Constituit autem hæc temperies, corpus contra quã sicca, molle, non scabrum nec asperum, cute candida atq. albescente, tum glabra, venis articulisq. parum expressis, nec satis conspicuis, capillo plano, denso plerumque ac numeroso, quod in sexu muliebri perspici potest: nam & in puellarum vertice, modo sint progressæ paululum ætatis, coma densior est, ac magis quam adolescentibus, longa; hoc tamẽ huic corpori nonnumquam vsu venit, quod solo palustri atq. vliginoso, in quo ob immodicam humiditatẽ nulli innascuntur frutices, nulla virescũt gramina, vt nec in arida, terraq; ieiuna ac siticulosa. Siquidẽ vbi humiditas affluentior existit, quam par est, rari emergunt crines, quod desit calor, aut is sit impotẽtior, aut minus efficax, quã vt humorem qui cuti subest, in capillamentum possit elaborare, ac laxatis meatibus foras producere; qua ratione etiã efficitur vt crines colore albo existant, vel spiceo, vel flauo, aut deniq. ruffo: qui tamẽ progressu ætatis, & vbi calor fit auctior, modice incipiunt nigrescere, quibus frons subest læta & serena; oculi fere cęsii ac subglauci, qui color ex viridi & albo contẽperatur; prominentes ac vegeti, ob

Pueri & senes inter se cõtraria.

Humidi corporis signa.

Mulier cur viro magis comata.

Simile ab agris vel humidis vel siccis.

Oculi glauci unde.

crystal-

crystallini humoris puritatē splendidi, gratiosa venustate blandi; quæ omnia integritatis, placidi ingenii, sedatæ mētis, animi aperti ac simplicis, minimeq. fucati, postremo bonæ indolis (quæ humanitatis specimen non dubiū nec fallax exhibet) sunt indices atq. argumēta: nihil enim iis subest fellis aut amarulētię, vt choleræ aut atræ bili obnoxiis, quibus maligni humores ad turbulentos affectus sunt incitamento: nam humido temperamento homines minus irritari contingit, nec ira, nec vindictæ cupiditate diuexari. Siquidem quum calor humorem non accendat, minus feruescit animus, pauloque mens est quam illis, sedatior. Quod vero ad corporis decus, ad speciem, formamque ac figuram spectat; sunt fere huius notæ homines statura mediocri, ampla magis, quam procera, ventre obeso ac protenso; quod non solum a natura consequuntur, verumetiam a vitæ consuetudine, ab otio, atque exercendi dissuetudine, a victu humectante, ac prolixiore somno, tum plerisque aliis, quibus corporis moles optima sit, atque ingrauescit. Possem equidem reliqua partium humani corporis signa, quæ se in humido habitu proferunt referre, vt nasum fere simum ac depressum, circa extremum atque ima sui parte, qua in cartilaginem tractabilem desinit, obtusum, inflatas tumidasque buccas, mentum rotundum, tum pleraque alia, sed ea singularem partium, non totius qualitatem ac naturam indicant, sic vt ex vna particula non liceat de toto corpore pronunciare: verū de quoquo membro proprio sumenda cōsideratio, tametsi magna ex parte membra naturam suam ac temperamentum ex principe ac præcipuo viscere sortiuntur, nempe corde & hepate. Quod vero ad internas notas attinet, Mens huius naturæ hominibus, quemadmodum & lingua eius interpres, minus agilis & expedita; quod immodicę humiditati

Humidi corpore nō malitiosi.

Humidi ad iracūdiam minus procliues.

Quæ forma ac figura humidis.

Quæque pars suum temperamentum obtinet.

Animi conditio in humido corpore.

immersa, non facile proferre se aut illucere possit; ingenium nec acre nec eximium; animus humilis ac demissus, qui nihil sublime meditatur, ob imbecillitatem caloris, qui stimulos atque incitamenta ad res præclaras admouet; eoque fit vt viri magis, quam fœminæ sagaces sint, solertes, industrii; nam mulier omnia deterius perficit, nec ea vtitur dexteritate in negotiis peragendis ac contractibus; quo spectat ac referri potest id Sapientis; *Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens*, caloris scilicet ratione, atque effectu; quo qui sunt destituti, eumque languidum obtinent, molles plerumque existunt, effœminati, inertes, somnolenti, ignaui, eneruati, atque ad excitandas proles minus appositi; quoniam diluta sit genitura, ac plus satis iusto humida; quo fit vt nequeat coalescere cum muliebri semine ac conglobari. Quamquam enim Veneris intemperantia vt plurimum ex lubrico vdoq. corporis habitu proficiscitur, illique hominum generi minus sit noxia, cum tamen calor humorem segnius impellit, nec genitales partes spiritu turgido impleat, ad concubitum segnes sunt, aut non magnopere illo afficiuntur: atq. hinc est quod mulieres optimæ atq. obesæ æstate magis sint salaces ac pruriant, quam hieme; quod calor æstiuus humorem accendat, ac Venerem stimulet; in viris vero extinguat: nam calore immodico virile robur resoluitur ac flaccescit. Pari ratione thymus, ruta, ac pleraque impense calida & sicca viris vim concubandi eripiunt, quod humorem genitiuum depopulentur; in fœminis vero acuant irritentque inducta obscœnis abditisque partibus caliditate; quo fit vt vbi genitalia frigescant, atque humor gignitiuus ab insito calore non incitetur, nec incalescat, ea exhiberi debeant quę lumbos incitent, ac concitata tentigine humorem genitalem in excursum extimulent. Qua autem ratione isti valetudinem

Cur viri feminis prudentiores.

Eccles. 42.

Venus æstate viris noxia.

Ruta in fœminis Venerem acuit, in viris extinguit.

Quæ vis lumbos incitet.

dinem tueri debeant, atque a morbis se præstare immunes, obiter indicabo. Principio, quoniam in calidi humidique temperamento sanitas consistit, conseruari debet ea constitutio humido victu, hoc est, alimento illi familiari ac cognato, cui plusculum caloris inest; quale est vinum subdulce, lac, panis siligineus, oua subliquida, caro vitulina, ac suilla, porcelli, atque adultiores agni, aues aquaticæ & palustres, fabæ, castaneæ, cicer, palmulæ, vuæ passæ, ficus, amygdalæ, nuclei pini, vuæ pensiles ac dulces, quales sunt Apianæ, quæ vulgo *Muscatulæ* dicuntur, pisces marini, cerebella. Ex oleraceis, lactuca, atriplex, rapa, daucus, pastinaca colore rubenti aut purpureo, quæ *carota* vulgo dicitur, melones, cucumeres; quorum tamen nimius vsus interdicendus, ne corporis humiditas plus satis inualescat. Siquidem ex immodica humidi victus ratione pituitam coaceruari contingit, humoresque frigidos ac glutinosos, qui letales morbos adferunt; nempe apoplexiam, spasmum ex plenitudine ac phlegmatis redundantia, lethargum, paralysim, epilepsiam, stuporem, qui excussa facultate animali, sentiendi mouendiq. vim eripiunt; sic vt animal derepente, tamquam irati numinis vltione stranguletur, oppresso spiritu ac facultate animali; quocirca intra sanitatis ac temperamenti terminos limitesque conseruari debet huius corporis status, adhibita exercitatione, excussoque otio atque ignauia; inprimis autem expurganda sunt corporis excrementa, atque exonerata aluo ac vesica, diluculo horisque matutinis obire exercitationes expedit, ac concitatiore motu, vel ambulatione insitum calorem excitare. Quod vero ad somni rationem attinet, moderatus huic corpori is esse debet, nec sex horarum spatio productior; præstat enim somno frui parcius, ac vigilia nonnihil macerari, quam illo immodice turgescere ac saginari. Siquidem videre est

Quem victum exigant humidi.

Victus plus satis humidus noxius.

Moderatus somnus vtilis humidis.

Humidis parce dormiendum.

illos qui ſomno ac ventri liberalius, quam par eſt, in-
dulgent, tam obeſos effici ac corpulentos, vt menti
pectori committatur, ac vt ait Perſius,

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

Quo fit vt nonnunquam inopinatis ſubitiſque
morbis opprimantur: nam quum venæ his & arteri
exiles ſint, & anguſtæ, tum ſanguine & ſpiritu vacuę
cito ipſis vel paruam ob cauſam calor natiuus ſuffo
catur; quod Hippocrates deſignat, quum inquit; *Qui*
natura admodum craſſi ſunt, nec citius intereunt, quam qui
graciles; quod iſti laxiores obtineant meatus, ac ſan
guinis conceptacula ampla, ſic vt nõ facile ab exter
nis interniſque cauſis offendantur; qui tametſi e
delicatiore victu, vitaq. otioſa, ac ſomno immodic
ad corporis plenitudinem nonnumquam deueniāt
minus tamen periclitantur oborta ægrotatione al
qua, quam quibus ab ineunte ætate is habitus obti
git: licèt enim pinguedo, caro, adeps, iis adnaſcatu
qui primis annis gracili, tenuique corporis context
extiterunt; venæ tamen & arteriæ, tum meatus r
liqui ampli perſiſtunt ac patentes; quod perſpici p
teſt, ſiquando inclinata valetudo venæ ſectionem
expoſcit: nõ enim in aſcititio habitu, quamlibet ol
eſus ſit effectus, venæ deliteſcunt, vt in iis quibu
craſſitudo naturalis eſt, ſed ſe proferunt ac comm
de ſecandas exhibent. Quamquam itaque humid
corporis ſtatus, vbi illum calor foueat, laudabilis ſi
quod vitam diuturnam ac longæuam efficiat, quo
ſenectutem remoretur, ac corpus exiccari proh
beat; ſi quando tamen ad ſummum progreſſus e
atque in extremo conſtituerit, periculoſius. Quu
enim oppletis venis corpus nutriri deſinat, natur
que facultates quæ alimenta diſtribuunt, ceſſe
atque ab opere deſiſtant, nec habitus vlterius pr
greditur, neceſſe eſt, vt velut ruina quadam prolab
tur in deterius, ſic vt vel repentina mors imminea

V

Lib. 2. Aphor. 44.

Obeſi periculo expoſiti.

Humidus habitus quando noxius.

vel vaſorum venarumque ruptura incidat. Quocirca mature ſoluere hunc habitum expedit, atque euacuatione moderata, inedia, vigilia anticipare periculum; adhibita præſcriptaque ea victus ratione, qua corpus ad ſecuriorem, minuſque ancipitem ac periculoſam conſtitutionem poſſet reduci. Statui enim debet corpus ea ratione debere eſſe humidum, non ob excrementi atque humorum redundantiam, ſed a partium omnium ac totius humiditate temperata, qua calor natiuus tamquam fomite vtitur, ac vitam maxime longam efficit.

Habitus periculoſus.

Humor caloris fomes.

Libri primi De habitu corporis finis.

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZÆI, DE HABITV ET CONSTITVtione humani corporis,

LIBER SECVNDVS:

In quo quisque graphice, atque ad viuum expressam naturæ suæ conditionem atq. imaginem, tamquam in speculo, poterit intueri.

SENATVI AMPLISSIMO AC SPEctatißimis Coss. Ioanno Nicolaidæ reconditæ eruditionis ac singularis ingenii, exactiq; iudicii viro, Adriano a Lissa Liuini F. viro sagaci atq; industrio, cæterisq; ciuibus ac populo Zirizæo, Magistratui addictißimo,

L. LEMNIVS MEDICVS S. P. D.

QVONIAM a me alias viri amplißimi scriptis ac literarum monumentis illustratum est ciuitatis huius decus & ornamentum, adeo vt exteris quoq; innotescat, quo Magistratus vtatur consilio, qua dexteritate ac successu, in constituendo Reip. statu; in constabiliendis sacratißimis legibus; in spectandis fouendisq; ciuium ac popularium commodis; in emendandis vitiosis erroribus, qui olim irrepserunt vel conniuentibus, vel parum oculatis legum conditoribus; superuacuum mihi visum est hac in re plus operæ ac laboris impendere, aut ambitiose multa congerere; magnoq; atq; operoso verborum apparatu

paratu honores ac dignitates vestras amplificare, quum nihil aliud mediter, quam vt secundum lucubrationum nostrarum partum vestro ordini atq; amplitudini dedicarem. Neq; enim eius est conditionis vel animi vester LEMNIVS, vt ex vna fidelia, iuxta prouerbium, duos parietes dealbare velit: quod nonnullos factitare video, qui singulos libros singulis Patronis consecrant dedicantq; vel emolumenti spe, vel insidiosa quadam ciuilitate & aucupio, vt qui eblandita oratione, ac sermonis cũ lenocinio, tum illecebra captent aliquid ac venentur. Quod quam sit alienum a nostris moribus atq; ingenio, superioribus annis editi a me libri abunde testari poterunt. Hoc enim vnice specto, idq; sedulo eniti non desino, vt viros primarios obsequio possim demereri, meisq; ciuibus, quorum potissima pars literis existit, ac doctrinæ studiis affatim exculta, huiusmodi munere gratificari. Siquidem quum septem continuatis lustris rem Medicam apud vos exercui, nostramq; operam infimis æque ac summis præstare studui; hoc in tanto annorum decursu potissime fuit in votis, vt ars nostra, cui ex professo sum addictus, omnibus esset exposita, ac me pro virili parte exhiberem iis quibus cum versari soleo, cum fidum Medicum, tum syncerum minimeq; fucatum amicum. Ita enim edoctos decet esse nos, eaque persuasione imbutos, vt nullæ nõ humanitatis officia prompte & alacriter, nulloq; habito delectu in singulos exerceamus. Quæ res effecit, vt propensa in meos ciues voluntate, ac iuuandi studio, non dimidiata operis nostri pars, aut semissis, sed totum opus ex asse (vt Iurisconsulti loquuntur, quum herciscundæ partiendæq; hæreditati insistunt) cederet atque asscriberetur. Quamobrem viri integerrimi gratum acceptumq; esse cupio hoc munus quod vobis offero, vestriq; nominis fauore ac patrocinio plausibili effici, omnibusq; studiosis commendari. Quod ipsum euenturum non vana spe, sed certa prope atq; explorata ominor, quum operi rudi ac primum inchoato multi inhiarent, atq; auidissime eius gustu explere sese cuperent. Valete, Calendis Ianuariis, anno redempti orbis, 1561.

Vna fidelia duos parietes dealbare.

Ex Christi ac Pauli documento. Ad Roman. 5.

LIBER SECVNDVS LEVINI LEMNII MEDICI.

De composita humani corporis habitudine ac temperamento.

CAP. I.

COmposita temperamenta ac iugata in quibus geminatæ qualitates inter se implicatæ ac connexæ peculiarem corporis statum constituunt, quatuor, vti & simplices, differentias complectuntur, Calidam & humidam; Calidam & siccam; Frigidam & humidam; Frigidam & siccam; quibus totidem humores subsunt atque inseruiunt, per corpus vndique diffusi, Sanguis, Pituita, Flaua bilis, & Atra seu Melancholia; quæ alimentis vel augescunt vel comminuuntur, ac pro nutrimenti natura alias qualitates concipiunt, atque alii in alios prompte transeũt ac commutantur. Et quamquam humores isti, quorum vis corpus varie ac multifariam afficit, mentique etiam plerumque tetro atque insuaui halitu infesta est, vt vitiosum vinum cerebro elementa censeri nequeant, nec temperamentum constituere, elementari tamen qualitate ac virtute imbutæ sunt; vtque tota moles subsistat ac conseruetur, non leue adiumentum adferunt. Vt enim ignem fomite nutriri, atque accensas tædas, faces, funalia, lucernas, aliaque ignita affuso oleo, aut resinata pinguiq. materia ali videmus; sic elementares qualitates omnisq. naturæ vis & facultas ex vitali progenitorum semine in nos deriuata, nutrimentis indigẽt; nisi enim alimenta corpus fulciant, atq. humoribus, quibus

Humores alimentis augescunt vel diminuuntur.

Humorum fuligo mẽti infesta est, ut vini vapor.

Simile a rebus ignitis.

quibus singula membra irrigantur, vires ac fomenta ministrēt, cōcidat necesse est, ac dissoluatur humani corporis compago & concretio; omnisq. naturæ vigor effluat, atq. in suum quodq. simile ex quo cōflatum est, aut cuius naturam in se continet, euanescat, seu ignis, aëris, terræ, aquæ sit particeps, aut vlli horū cognatum ac familiare. Omnia vero a se mutuo dependent, atq. alterum alterius subsidio fultum, stabilitatem consequitur. Nec est vlla pars in corpore humano tam minuta, tam vilis & abiecta, quin ad decorem ac conseruationem totius spectet, suoq. munere atq. officio non perfungatur; quod non solum de membrorum ac singularum partium vsu atq. vtilitate accipi velim, sed de humoribus qui corporis temperamentum alimentorum prçsidio fulciunt, omnibusq. membri caloris natiui facultate ac viribus auctus & incrementa conferunt. Quocirca Hippocrates & Galenus non absurde quatuor humores naturales, quum nihil iis vitii subest, nec sunt deprauati, animantium sanguine præditorum elementa statuunt; ex his enim secundaria procreationis nostræ origo producitur. Siquidem materiam elaborandi fœtus conferunt vberem quidem & copiosam, si corpus optimis cibis saginetur, ac subinde vino incalescat: absq. illo enim languescit Venus, quod indicasse visus est Terentianus adolescens Chremes, qui sobrius odisse cœperat scortum; at vuidus affici eo cœpit, nec prorsus a contactu abhorrere, quo prouerbiali sententia profitetur,

Concentus & harmonia in corpore.

De natura humana.
2. De semine.

Humores aliquo modo elementa hominis.

Verbum hercle hoc verum est,
Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Eunucho Act. 4. scen. 5.

Nam testes partesq. genitales ex præcipuis membris humores inquisite elaboratas, in conficiendi seminis vsum alliciunt, quod efficaci atq. affluenti vndique spiritu perfusum, caloris, omniumq. facultatum est opifex, ac præcipua propagandę sobolis parēs

Seminis efficacia.

effectorque existit. In eo enim consistit diuinitus infusa conformandi figurandique fœtus vis admirabilis, sic vt speciosum producat opificium, ac spectabile, omnibus suis numeris absolutum, modo ex salubri corpore profluat: monstrosum vero ac deforme, si ex morbido ac purulento dimanat ac deriuatur. Quocirca vt orationis series lectorem magis afficiat, ipsumque argumentum sit plausibilius, ac magis populare, dominantium in corpore humorum naturam & conditionem depingam, vt quibus similes qualitates incumbunt: nam Sanguis calidi & humidi; Flaua bilis calidi & sicci; Pituita frigidi & humidi; Melancholia frigidi & sicci est particeps. Itaq. temperamentum calidum & humidum sanguineo homini accommodari non absurde potest; Calidum & siccum bilioso, obseruata de reliquis eadem ratione ac modo; sic tamen vt hominis temperiem non ex aliis, quã ex elementaribus qualitatibus fateamur conflari: ab illis enim appellationem sortiuntur, non ab humoribus. Primum itaque elementa statuuntur, Ignis, Aër, Terra, Aqua, rerum conditarum primaria initia; proxime qualitates, hoc est, calidi, frigidi, humidi, sicci mixtura, a qua temperamentorum differentiæ emergunt: postremo humores quatuor, quorum vim ac naturam semen in se complectitur, cui præter qualitates quæ instrumenti nõ opificis vice existunt, formandarum partium, secundum DEVM, ac diuiniorem superne originem, causa tribuitur. Sunt autem liquores hi salubres, ad conseruationem tutelamque vitæ ac sanitatis cumprimis necessarii atque vtiles: nam ex iis solidæ animalium partes constant, ac nutriuntur; quo fit vt numquam homini, dum superest ac spirat, deesse possint absq. summo valetudinis detrimento ac iactura. Qui tamen pro temporis circumacti ratione, annique circuitu ac decursu, pro ambientis aëris quali-

Ex sanis sana produci.

Humores qualitatũ quatuor participes.

Elementa, qualitates humores quatuor.

qualitate,ac loci conditione,pro ętatũ natura,modo augeſcunt, modo diminuuntur. Siquidem ſanguis ſuccorum optimus ac calore humoreque præditus vere viget, florenti ætati quæ fere ſanguineo rubentique colore perfuſa eſt, peculiaris ac propria,tametſi aliis etiam naturis non deſit. Phlegma ſeu Pituita, aquæ affinis, frigidæ humentiſque naturæ, hieme incrementum concipit, ſuique generis morbos parit. Cholera ſeu flaua bilis, calida & ſicca qualitate imbuta, igni proxime accedit, atque æſtiuis menſibus inualeſcit; quæ tametſi aſpectu tactuque humida appareat, vt vinum Creticum,quod Maluaticum vulgo vocant, colore fuluo, poteſtate tamen & effectu calida eſt vrentiſque naturæ. Melancholia terræ non diſſimilis,frigida & ſicca, autumno augeſcit ac vires concipit; eſt autem ſiccior denſiorque pars ſanguinis, ac fæculenta eluuies. Hæ omnes humorum differentiæ ſecta vena (neque enim ſyncerus ſanguis ex hac promanat) omnibus conſpici poteſt. Primum enim antequam refrixerit, aereum ſpumantemque ſpiritum qui confeſtim euaneſcit, oculis exhibet; deinde defæcatum ac ruboris exuberantiſſimi liquorem qui purus putuſque ſanguis eſt, cui flaua bilis innatat; ac nunc glutinoſa lentaque pituita, nunc liquida pro hominis conditione ac natura; poſtremo ſi maſſam inuertas,atro colore Melancholia. Ita humor quiſque in corpore redundans,ſuo ſe colore prodit,ſic vt aliquando qui ex venis promanat ſanguis,in bilem vel pituitam liqueſcat,ac diſſoluatur, aut in melancholicum humorem denſeſcat, nullumque aut perexiguum ſanguinis colorem exhibeat. Quod ſi cui deguſtare humores libeat,vt colorem illorum oculis, ita lingua ac palato ſaporem diiudicare poterit. Eſt enim dulcis ſanguis, ac tantum non lactis ſapore, quod illi affine ac cognatum: Amara flaua bilis ex fellis natura: Inſipida, atque vt

Sanguinis natura.

Pituitæ conditio.

Choleræ vis.

Melancholiæ qualitas.

Sanguini cæteri humores immixti.

Inciſa vena omnes humores conſpici.

Humoribus color et ſapor ineſt.

aqua, omnis qualitatis expers pituita, modo ne computruit, aut aliis humoribus permiscetur; tunc enim vel salsa efficitur, vel acescit: Acerba atque acida, melancholia: has omnes saporum qualitates nemo non aliquando percipit, vbi incitato vomitu aliquis horum eiicitur: quin & in sudore ac saliua sapores hi manifesto deprehendi solent; concipiunt enim ex his humoribus vires & facultates, illorumq. qualitatibus sunt imbutæ.

Saliua & sudor ex humoribus vires concipiunt.

De Calido & humido corporis statu ac temperamento, obiter de sanguinei hominis conditione ac natura.

CAP. II.

POST descriptas simplices temperies, quæ ex vna tantum præ cæteris eminente qualitate appellationem consequuntur, propositi susceptique operis ratio exposcit vt compositas quoque tractare aggrediar. Siquidem in ipso statim argumenti ingressu, primoque aditu, atq. orationis vestibulo absolutum omnibusq. numeris consummatum corporis habitum commonstrare, ac perficere instituí; omniaque amoliri ac propulsare incommoda quæ valetudinem conuellere atq. ab optimo statu dimouere possint, aut vlla ex parte sanitati officere. Itaque calidum & humidum temperamentum huic ordini ac loco inserere visum est, quod optimo sit affine ac proxime assistat: nullus est enim corporis status, si summū ac præcipuum demas, hoc commendatior, magisque laudatus, aut qui vitam longius proferat, ac senectutem magis remoretur, modo intra temperamenti, hoc est, calidi & humidi limites consistat. Quocirca cum hic habitus inter compositos præcipuus censeatur, accuratius de illo disserendum, eoq. magis quod pleriq. medicorum quatuor tantum discrimina statuant; quibus non prorsus futili ratione persuasum est, fieri non posse, quod Galenus etiam testatur, *vt tem-*

Tuen. val. lib. 6.

vt temperies vlla, vel intemperies diu sola ac simplex subsistat. Quandoquidem necessario sibi asciscat alteram: nam & calidum, dum humiditatem absumit ac depopulatur, siccitatem parit; frigidum, dum nihil consumit humoris iucremento quodammodo confert. Simili modo sicca qualitas per eas ætates quibus augescit animal, calidius ipsum efficit; vbi vero decrescit ac deficit, vergitque ad interitum, refrigerat ac siccat quidem solidas corporis partes; at capacitates ac humorum conceptacula excrementis implet, quod in senibus liquido apparet, qui pituita redundant, ac sputo muccoque os ac nares habent oppletas. Quod recentiores ac nostræ ætatis medici etiamnum obseruantes, reiectis simplicibus, quas tamen obsolescere atque obliterari non expedit, quatuor duntaxat nempe compositas temperaturas statuunt; quibus non a qualitatibus, sed parum apposite ab humoribus illis famigeratis, ac nulli non cognitis appellationem assignant, nempe Sanguineam, Cholericam, Phlegmaticam, Melancholicam, ad quarum amussim quatuor hasce temperamenti differentias exigunt; quod vt populariter faciunt ac doctrina plausibili, ita non ex eorum arbitrio ac censura, qui in vrgendis dogmatibus rigidi sunt. Interim vt controuersæ opinionis medicos, atque in studia partesque distractos conciliem, quod vtinam, in componendis religionis dissidiis obtineri possit, næ tam multi periclitentur: patietur vtraque pars Calidæ & humidæ temperaturæ (temperatissima semper excepta, in quam tamquam in scopum defigenda mentis acies, vt suam quisque naturam ad hanc exploret) principem locum assignari; quæ vbi in suo vigore persistit, ac qualitates suas tuetur, sanguineum hominem producit. Sic paruo discrimine, quodque neutri parti fraudi futurum sit, Calidam & humidam temperiem appellaueris,

De temp. & Temperamenta mutationi obnoxia.

Senes sicci natura, conditione humidi.

Periculosa opinionum dissensio.

aut ſanguineum hominem, qui humoris ſalutaris beneficio illas qualitates in ſe ipſe complectitur; quamquam ſanguis ipſe, vt omnia ſuis finibus ſint limitata, non pariat nec producat caliditatē & humiditatem, ſed calor & humor ſanguinem. Eſt autem ſanguis ſuccorū optimus, homini familiare ac cumprimis domeſticum alimentum, vitæque pabulum: ſiquidem per arteriarum venarumq. riuos ac decurſus ſpiritus vitalis impulſu, qui natiui caloris fomes eſt & vehiculum, vndique diffuſus, corpus alit ac vegetat. Et quoniam ſyncerus hic & defæcatus, aſpectuq. amabilis liquor quodque animal conſeruet, in eoque conſiſtat vita ac ſpirabilis omnis naturæ vigor, ob id Hebræorum legiſlator Moſes ex Dei præſcripto *ſanguinis vſum interdixit*, quod ſua cuiuſque animalium anima in ſanguine demerſa ſit, ac vita ſanguine ſubſiſtat, illoq. foueatur, vt ellychnii flamma affuſo oleo; argumento quod immodico ſanguinis profluuio homo vndique frigeſcat, totuſque exanguis, ac tantum non exanimatus animi deliquio periclitetur: noui enim complures exhauſto vnà cū ſanguine vitali ſpiritu, in ſummum vitæ diſcrimen adductos. Quocirca hic vitæ theſaurus ſolicite conſeruandus eſt, quod nullus ſit humor illo præſtantior aut magis ſalutaris. Cæterum vt arteriæ, quæ ſpiritu vitali affluentius, quam ſanguine turgeſcunt, a corde: ita venæ quæ plus ſanguinis cōtinent, quam aërei ſpiritus, ab hepate oriuntur, ac longe lateque exporrectos ramos ac propagines in vltimos membrorum receſſus diffundunt. Eſt autem Hepar craſſi turbulentique ſanguinis officina, atque architector, licèt prima origo cordi aſcribatur; cuius vi ac facultate ſanguis elaboratur, vitalique ſpiritu imbutus, calorem natiuum ad ſingulas partes deuehit. Viget autem ſanguis ac vitalis ſpiritus vberrime in florida virentique ætate, tametſi nulli ætati deſit, licèt

Sanguinis vtilitas.

Leuit. 17.

Quur ſanguine abſtinendum præceperit Moſes.

Sanguis non temere detrahendus.

Vnde venæ & arteriæ oriātur.

Hepar ſanguinis officina.

Cor fons ſanguinis.

licèt in effœto corpore frigeſcat, nec tam calido atque efficaci ſpiritu perfuſus ſit, quod vt ex actuoſis geſtibus, ac crebra corporis eiuſque partium agitatione, tum maxime ex colore obſeruari poteſt, qui in adoleſcente ac iuuenili corpore, vbi optime conſtitutum eſt, rubicundus eſt & floridus: In prouectioribus, aut iis qui ab hoc temperamento ſunt remotiores, minus ſpecioſus, vt quibus omnis decor ac venuſtas defluxit, aut ex prauis humoribus, occultaque labe aliqua, longe quam illis, deterior ſe proferat. Sic plerique ex ſplenis, vteri, hepatis, ventriculi, pulmonis vitioſa affectione colore conſpiciuntur vel pallido, flauo, luteo, giluo, muſtelino, vel alia quauis coloris ſpecie deformati: *Nulla eſt autem*, Galeno teſte, *ſucci animalis conſideratio certior, quam qua ex colore atq; externo corporis habitu ſumitur*. Si enim corpus plus ſolito albeſcit, pituitoſum abundare ſuccum indicat; ſi vero pallidum aut flauum ſit effectũ, reſtagnante bili, bilioſum ſubeſſe humorem declarat; rubicundum autem ſanguinem effloreſcere: quod ſi ad nigrum vergat, nigram ſupereſſe bilem, atque aduſtam choleram oſtendit, maxime vbi nihil forinſecus inciderit, vt ex æſtu, labore, laſſitudine aſſolet, aut nullus ſubſit animi affectus, vel irę, lętitię, mœroris, anxietatis, ſolicitudinis: iſtis enim humores in cutem modo irruunt, nonnumquam deliteſcunt, ac ſe recondunt: quo fit vt non ex ægrotatione aut vllo vitio, ſed humorum motu atque agitatione iracundi caleſcant, palleſcant vero pauidi ac mente perculſi: videre præterea eſt nonnullos ceu plumbi colorem, oculis ſpectantium exhibere; alios ex albo liuidoque confuſum, aliquando liuorem ſolum ſine albo conſiſtere; nonnumquam varios colores ſe oſtentare; quæ omnia crudos dominari ſuccos declarant, vel ex vitrea, vel alterius generis pituita, aut plurimos in corpore coaceruatos putridos hu-

Color humores indicat.

Tuẽ. valet. lib. 4.

Affectus colorem immutãt.

Verſicolor ſpecies quid deſignet.

mores, qui suis se indiciis in externa specie produnt. Qui itaque calida & humida constitutione existunt, ac quibus sanguinis copia suppetit, purpureo ac velut roseo colore suffusi sunt, cute tangẽti calida ac molli: statura decenti ac magnitudinis moderatæ, corpore carnoso, modice hirsuto, capillo subnigro, barba rufa vel rutila, cæsarie comaq. decora, quali corporis habitu ac specie Dauidem fuisse Scriptura testatur, *qui quum reiecto Saule imperio destinatus, a Samuele in regem consecratus est*, rubenti decoraq facie describitur, atque aspectu eleganti, vultuque amabili ac gratioso. Quale oris decus ac speciem superiore anno Zirizææ nobis exhibuit inuictissimus Hispaniarũ Rex & Belgarum princeps Philippus, non sine maximo mitissimi ingenii ac sedatæ mentis argumento. Accedunt vero huic constitutioni complures notæ atque indicia, quibus tamen non tutò possis fidere, vt quæ ætate & annorum decursu, omniq fere momento immutari soleant; sic tamen vt certa semper & indubitata optimi quondam status argumenta appareant, atque immutatæ vel collapsæ constitutionis vestigia quædam conspiciantur. Quemadmodum enim magnificæ ædes vbi conuulsæ ac labefactatæ corruerunt, ruinæ demonstrant quanta fuerit ædificii moles, quam operosa structura, qualis architecti atque artificis industria: ita in laudabili corporis statu atque humanæ naturæ opificio, quod delapsum est, & inclinatum, aliquæ eminent reliquiæ, nonnullæ laudati temperamenti notę atque indicia. Quamquam ex grauissimis morbis, vel ingruente calamitate aliqua externa eam cladem nonnumquam humana natura accipit, vt omnis corporis vigor, omnis formæ decor ac venustas conteratur, non secus quam spectabile ædificium tempestate valida conuulsum ac dissipatum, vel incendio funditus deflagratum. Sic metus, consternatio, repentinus terror

1. Reg. 16.

Philippi Hisp. regis decus, atq. oris species.

Simile a collapsis ædibus.

Corpus mutationi obnoxium.

A conflagratis ædibus simile.

ror, atque inprouisa subitaque periculorum ac mortis intentatæ formido, ita vires & formam depopulentur, vt nonnulli sui prorsus dissimiles appareant. Cuius rei exemplum memorabile nostra memoria edidit iuuenis quidam generosus ac nobilis; *qui quum in aula Caroli Cæsaris versaretur, indecore parumq; reuerenter atq; inhoneste se gessit; siquidem virginis cuiusdam quam deperibat, pudicitiam expugnauit, quod in cœtu consessuq; heroicarum virginum capitale censeri solet, ac morte piandum, tametsi nulla vis illata sit, ac puella tacito quodam consensu, non magnopere repugnare obluctariq; videretur: itaq; in carcerem coniectus est, postridie plectendus capite: nam id rigide obseruare solent, ne quis impune tale quiddam adtentare, ac decus aulicum stupro fœdaq; libidine contaminare audeat. Quum autem ea nocte tædio ac mœrore conficitur, ex angore mentis conceptaq; mortis formidine ita immutatus est, vt sequenti die quum pro tribunali consisteret, a nemine eorum quibus cum familiariter vixerat, ne a Cæsare quidem agnosci potuit: adeo illi mortis horror vitæq; desperatio paucarum horarum spatio colorem vigoremq; corporis ademerat, vt omnis species formæq; decor ac venustas defluxisse appareret, sic vt supra quam credi posset, squallida sit effecta facies, color ex florido luridus & cadauerosus, aspectus horridus, indecora canicies, barba situ & pedore fœdaq; illuuie deformata. Cæsar quum in illum defigit oculos, suppostitium esse suspicatus, ac fucum sibi factum, explorari iussit, an ipsus is esset, & an ementita aut adulterina canicies, barbaq; medicato aliquo liquamine oblita foret ac delibuta: quum autem nihil tale subesse animaduerteret, aspectu viri attonitus atq; obstupefactus ex vindicta in commiserationem animum deflexit, itaq; satis pœnarum dedisse ratus, culpam illi remisit, ac violatæ ereptæq; pudicitiæ crimen condonauit.* Causam autem tam prodigiosæ subitæque mutationis quum nuper a me sciscitaretur in accubatione epulari illustriss. vir D. Nicolaus Micholdius ab Indeuelda, apud summos principes, omnesq. proceres gratiosus, illam in supplicii imminentis intentissimam

Rei gestæ narratio.

Memorabile exēplum de subita canicie.

Vnde subita canicies.

D. Nicolaus Micholdius ab Indeuelda.

cogitationem quæ intimis sensibus penitus inhære-ret, ferendam pronunciaui: ea siquidem animi af-fectio tam fuit illi grauis & acerba, vt propemodum extincto sopitoque vitali calore ac spiritu, singulæ corporis partes amisso florido ac spectabili colore, in despicatum habitum deuenirent, adeo vt capillo-rum radices quæ fumido vapore qui cuti subest, a-luntur ac frondescunt, vt gramina terræ succo, con-cepta frigida siccaque qualitate, arescerent ac nati-uum colorem exuerent. Vt enim arborum folia ac vitis pampini qui vuam a cæli iniuria defendunt, æ-stu, grandine, pluuia, Aquilonio ac Boreali flatu, qui æstiuis aliquando mensibus ingruit, ex viridanti in luteum flauumque colorem elanguescunt ac demu-tantur: sic genuinus corporis vigor, sic color, & ex-terna species deflorescit, ac crines qui non existunt corporis partes, sed appendices, sublata oppressaq. vi qua aluntur, intempestiuam caniciem contrahunt; quod fere omnibus obuenire videmus qui in labore militari, in periculis maritimis versantur, aut cum morbis conflictari solent, in quibus est mortis quod-dam instar: nihil enim aliud meditantur, nihil ani-mo magis concipiunt, vbi stat in procinctu acies, ac res agenda cominus, quam extinctum iri se, nec fa-cile posse eluctari: nisi forte animus longa assuetu-dine ad pericula occalluit, ac sit obfirmatus; quod fere perspicimus in veteranis militibus, atque iis qui tempestatibus ac mari sæuitiæ sunt assueti. Tantæ est autem efficaciæ profunda ac continuata imagina-tio, quod aliàs multis argumentis a me commonstra-tum est, vt mulier infanti notas quasdam ac conspe-ctarum rerum vestigia imprimat; quod etiam viris vsu venire ex ardenti fixaq. cogitatione palam est. Sic erecti in crucem Christi contemplatio Francisci manibus pedibusq lituras ac stigmata impressit, si e-ius instituti assectatoribus qui illi sunt addicti, ha-benda

Ratio cur homines subito coloris speciem exuant.

Simile ab arescentibus foliis.

Nautæ & milites cur cito canescant.

Imaginationis quanta vis.

benda fides: nam picturæ ac statuæ eius nomine expressæ talem in æde sacra exporrectis manibus exhibere solent. Quanta vero Seruatorem oppresserit angustia, quis animum confecerit mœror, quæ trepidatio, vel id cuique documento esse potest, quod mens in præsens periculum defixa, ac velut intuita instantem imminentemque mortem, sanguinolentum sudorem expresserit adeo effuse promanãtem, vt in terram defluxerit, ac solum in quod inclinatus erat, pronusque decubuit, sanguineo madore cruentaret. Est autem horror mortis, si quando hominem corripit, aut eius imaginatio mente concipitur, ipsa morte atrocior: multis enim cum illa vitæ finem imponit, sensus obstupescunt, nec vllum dolorem percipiunt, quod iis accedit qui apoplexia, vel lethargo opprimuntur, vel deliquio animique defectu velut conniuentes somno consopiuntur atq. obdormiscunt, nullo spectantium oculis exhibito doloris sensu. Sic in adeũdis terra mariq. periculis quæ mortis imaginem oculis ac menti obiiciunt, nemo non contremiscit ac trepidat, metuq. exalbescit, refugiente ad intimas partes sanguine: quum enim omnes corporis partes vitali succo destitutæ sint, nulla satis probe suo officio fungitur, sed titubãt vacillantq. pedes, caligant oculi, labascit vigor, mens hebescit, animus deiectus est, genæ pendulæ sunt ac flaccescunt, lingua hæsitat, dentes crepitant;

Pauor Christi.

Lucæ 22.

Metus mortis ipsa morte acerbior.

Quibus mors placida.

Vnde tremor in periculis.

Lib. 3. Æneid.

Arrectæq. horrore comæ, vox faucibus hæret.

Adeo nullus est quamlibet constantis robustique animi, cui non repentinus aliquis casus sit formidabilis, ac mentem concutiat, sic tamen vt confestim discusso metu, ac concepta diuinitus fiducia intrepidus interritusq. subsistat, ac si res poscat, quæque ingruunt aduersa, declinari nequeant, alacri atque infracto animo se illis opponat. Nulli itaque naturæ spirabili mors non horribilis ac formidolosa, quod

Sapiens metu concutitur.

Mentis stupor, doloris sensum priuat.

interitum adferat, nisi quibus mens obstupescit, ac sensus minus vigent; vt sunt decrepiti, infantes, stolidi, amentes, deliri, quibus non subit vlli rei formidandæ cogitatio, nec vt cæteri quibus cerebrum est firmum, nec vitiata animalis facultas, dolorem percipiunt, præsertim qui lethargo, apoplexia opprimũtur, vel qui deliquio defectuque animi velut conniuentes somno sensim consopiuntur, nulloq. doloris sensu placide obdormiscunt. Huc autem spectat longius, quam par est, producta narrationis series, vt quamlibet multa speciose se proferant in corpore humano, variaq eluceant animi ornamenta, innumeris tamen casibus vita humana exposita nusquam non aliquam cladem accipit, ac laceratur, omniq. ex parte ea ingruunt, quibus vigor labefactari solet ac labascere. Quod si nihil incommodi alicunde irruat, in multos annos subsistere potest, & obdurare inculpata temperies frugalitate vitæ, atq. omnium cupiditatum temperantia stipata, sic vt etiam in senilem deuexamq. ætatem optimi habitus vestigia se proferant, quod in quibusdam obseruari potest qui cruda viridiq. senecta existunt, atque animo iuuenili, ac corpore, quam adolescentes, minus effœto. Cæterum quum ætas adulta, quæ in calidi humidiq. temperamento consistit, omni fere ex parte, præter exactum illud, moderata atque æquabilis est, suasq. actiones inculpate exerceat; tum etiam quod ad somni rationem attinet, nihil magnopere culpari potest: est enim is placidus, ac minime turbulentus, cui nulla subest intemperies, aut inquies nocturna. Siquidem suauis halitus madido rore cerebrum irrigat, reficitq, sic vt animo nihil absurdi obseruetur, sed diurnæ tantum actiones, ac quotidiana vitæ munia, quorum occupatione dies nobis transigitur: hæc enim antelucano, primoque exacto somno qui fere profundior altiorq. esse solet, quam vt quis somnio-

Quis somnus sanguineis.

rum

rum possit reminisci, menti se ingerunt: quod si alia quædam sit animi ac spiritus agitatio, aut quid occurrat inter somniandum a negotiis quibus interdiu implicamur, alienum, aut insuetum: vitiosos humores redundare in corpore declarat, ex quibus spiritus turbidi in arcem mentis delati confusas imaginationes ac visa quædam vana ac futilia offerunt, ex quibus euentus aliquos ariolari, ac temerarias interpretationes comminisci ineptum est, nec minus impium, quam superstitiosum, vt Scriptura palam testatur. Nonnumquam tamen somniis, sed quæ diuinitus immittuntur, aliqua subest diuinatio ac rerum futurarum non fallax nec inane præsagium. Vellicat enim subinde sopitas atque oscitantes mentes supremus opifex, ac visiones somniaque obiicit nunc læta, nunc luctuosa ac funesta, quæque nobis vel salutaria, vel noxia denunciant, quo animos nostros exploret, an illius monitis ad extremum futuri simus obsequentes, aut ab illius præscriptis defecturi. Multi enim nugis hominum ac commentitia doctrina dementati, a Deo eiusque verbo desciscunt, ac relicto vberrimo atque inexhausto aquæ viuæ fonte, arentes riuulos consectantur, aut vt Hieremias ait, *effodiũt eruuntq; sibi cisternas dissipatas ac perfluentes, qui nullum salutaris doctrinæ liquorem continent.* Iobus quoque exercitatus ille miles queritur se tumultuosis insomniis inquietari. Quum enim somnus sit laborum omniumque molestiarum lenimen, atque diurnis occupationibus relaxatio, illas non ademit illi nocturna quies; sed auxit ac conduplicauit animi ægritudines, mentem scilicet somniorum terrore exagitata: has enim effundit querimonias in celebri illo Dialogo, vel potius Tragicomœdia: Quod si cogito fore, vt meus me lectulus consoletur, ac dolorem mitiget, meumque cubile, sopito pauore ac tædio, omnia leniora efficiat, tu autem in somniis

Cur in initio somni, somnia nõ percipiantur.

Leuit. 19.
Deut. 13.

Somnia diuinitus immissa.

Cap. 2.
Cap. 7.

Somnus in quẽ vsum.

perterres me, ac viſionibus ſpectriſque nocturnis,
horrore concutis, adeo vt malorum omnium finem
morte terminari cupiam. Cæterum quod ad in-
ternas huius corporis notas, atque animi propenſio-
nes attinet (nam intus & in cute homo exhiberi ſpe-
ctariq. debet) calida & humida qualitas quæ ſangui-
ne inſidet, illiuſque operam expoſcit, varias homi
num naturas producit, ac pro humorum aliorum vel
parciore vel affluentiore mixtura, varios mores con-
ſtituit. Qui enim mere ſanguinei ſunt, ac nihil au
perexiguum melancholici vel bilioſi humoris admi-
xtum habent, vt qui proxime acceduut ad naturam
ſenſumque pecudum, ſtolidi fere ſunt, ac ſtultitia
nota inſigniti, aut ſaltem quibus non admodum
multum ineſt prudentiæ. Nam quum Galeno teste
Acrimonia animi ac ſolertia a bilioſo humore profi
ciſcatur, conſtantia ac firmitas ex melancholico: Pi
tuita vero ad formandos fingendoſq. mores inutilis
tum ſimplicitas ac ſtoliditas ex ſanguine emergit
Sic animantes iuniores quibus præ cæteris humori
bus plurimum ſanguinis ineſt, magna ex parte inſul
ſi ſunt, inepti, ſtolidi: vt hœdi, vituli, ouiculæ, agni
capreoli, catelli felis ac reliquorum animalium pul
li: inter homines vero, quo quiſque propius accedi
ad brutorum naturam, eo magis illorum conditio
nem ac mores exprimit, quod ex oculis & vultu
(quorum quodque mentis ſpeculum eſt, & anim
index) quiuis in naturæ operibus vel tenuiter exe
citatus diiudicare poterit. Eſt enim pleriſque cum
cæteris animantibus magna cognatio & affinita
qui quanto remotius a temperamenti puritate dil
buntur, tanto minus in illis viget ratio, iudicium, in
telligentia, recti voluntas, mentis præſtantia, del
ctus rerum, omniumque eorum quæ belluis com
munia ſunt, efficiuntur participes: Sic nonnulli v
tio ac deprauatione vel educationis, vel naturæ i
bellu

Sanguinis vis in conſtituenda animi natura.

Pure ſanguinei ſtultitia perfuſi.

Comment. 1. de natura humana.

Homo belluis affinis.

Homo lupus.

belluas degenerant, atque in omnibus actionibus quiddam obtinent simile. Siquidem nonnulli vt lupi, sanguini inhiant, ac prædæ auidi sunt. Plerique vt leones, crudeles, feroces, immanitate sæua & efferata, qui vt Micheas ait, *sanguini insidiantur, ac fratrem suum ad mortem venantur*. Princeps postulat, & iudex in reddendo est, hoc est, Principis postulatis iudex obsequitur. Similiter Ezechiel; *Ioachimus*, inquit, *factus est leo, didicit prædas rapere, & homines deuorare, viduas facere, ac domos illarum in desertum adducere*. Sic & simiis quidam assimiles sunt, gesticulosi, ridiculi, ad quiduis imitandum apti atque appositi: nonnulli vulpium naturam imitati, subdoli sunt, astuti, insidiosi, in persequendis innocentibus callidi. Sic alii aliorum animantium naturam ac mores referunt, atque ab integritate ac præstantia humana dilapsi in feras degenerant, aut illis efficiuntur assimiles. Pueri vero & qui pubescere incipiunt ob meracissimum sanguinem spiritu vndique turgido perfusum, inquieti sunt, agiles, lasciui, immodesti, petulantes, petulci, insolentes, inepti, ludo iocisque immoderatius dediti: nam illos vitulari videmus, hoc est, ore, voce, gestu, nutibus, plausu, cantilenis, alacritati inani, atque effusa lætitia, motu incomposito atque instabili, vagæ ac volubilis naturæ conditionem, atque animi mentisque mobilitatem & inconstantiam testari; idque ebullientis sanguinis effectu, qui non secus in venis, quam mustum in doliis, efferuescit. Hinc Belgis enatæ aliquot adagiorū formulæ, quibus denotare solent ac perstringere hilariores quam par est, iuuenes; qui alacritate quadam futili, profusaq. lætitia gestientes, ridiculos moriones, ac ioculare spectaculum astantibus se præbent; ad quę illos incitat nō ratio vlla, aut placidus mentis impetus, sed impotentia animi a temperantia, a modestia, a moderatione dissidēs & auersa, cuius impulsu

Cap. 7.
Homo leo.

Cap. 19.

Homo simiis similis.

Homo vulpinis moribus.

Vnde agilitas in pueritia.

Vitulari quid.

Sanguinis feruor cum musto comparatur.

effuse atque inaniter exultat animus, atq. iactatione quadam puerili se effert insolentius. Quin ex capitis crebra motione, ac continenti manuum pedumque mobilitate inconstantiam quandam, ac mentis animique imbecillitatem præ se ferunt, sic vt nostrates quidam, vesaniæ illos insimulent, mentisq nonnihil imminutæ, aut quæ paululum a sede sua excidit: neque enim vlla re seria occupantur, nec in dictis factisque vel minima se profert prudentiæ pars, sed præter ætatis rationem ac decorum pueriliter iuuenantur ac lasciuiunt, quũ pro exact. temporis ratione frugi esse conueniret, vitamque composite ac decenter agere.

Quid denotet capitis crebra motio.

Hinc sumpta est prouerbialis similitudo a vitulorum natura ac moribus, qui vernis mensibus in viridante prato, vbi pabuli copia suppetit, ridiculis saltibus se exercent, ac nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum solo insultant, nunc corpus in gyrum flectunt, nunc excussis posterioribus, mox prioribus pedibus in sublime saliunt; quorum mores quum iuuenculi in quotidiano vitæ vsu & consuetudine exprimunt, *Vitulari* dicuntur: *Nondum excußisse vitulinos dentes: Adhuc prurire vitulantium mandibulas: In illo cœtu peragitur vitulatio.* Liber autem Sapientiæ, qui Solomoni asscribitur; *Spuria*, inquit, *vitulamina non agent altas radices, nec stabile fundamentum collocabunt.* Quibus loquendi formulis designamus crudam illam ætatem atque indomitam, cui deest tempestiua maturitas, ac nondum adolescentia deferbuit, aut iuuenilis animi impetus resedit; quo fit, vt cum necdum ætate corroborata firmataque existant, adhuc *catullire* ac lasciuius insolescere non desinant, nec quidquam serii meditari, aut animo menteq concipere laborent.

A vitulorum lascivia prouerbium.

Vitulini dentes prouerbium.

Sapien. 4.

Catullire.

Quum itaq ætas adulta ac iuuenilis tota in calidi & humidi constitutione versetur, ac præ cæteris sanguine scateat, huc præcipue referẽda est: neq. enim vllus corporis habitus aptius illi

Ætas iuuenilis sanguinea.

illi poſſit accommodari; nam omnes huius ſtatus conditiones ac notæ illi quadrant; quod Horatium quoq. obſeruaſſe video in depingenda iuuenilis ætatis natura & inclinatione;

In arte Poetica.

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusq́; & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper;
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris;
Sublimis, cupidusq́; & amata relinquere pernix.

Cui ſi accedant improbi conſultores, vt fere in ipſo tirocinio, atque ætatis lubrico aſſolet, facile ægrotum ac mutantem animum in deteriorem partem rapiunt. Quum enim in biuio conſiſtant, atque in virtutis vitiorumque confinio conſtituti, rerum ſint imperiti, ac conſilii inopes, multitudinis errore, ac comitum blanditiis dementati, ad peſſimum vitæ genus impelluntur.

Conſul or improbus.

Per. Sat. 5.

Namq́; iter ambiguum, tum vitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes.

Quod ſi fidus aliquis conſultor optima commonſtret, rectamque ac ſalutarem educationem adhiberi curet (proba ſiquidem eſt materia, atque indoles egregia, ſi probus accedat artifex) in vberrimam frugem ſolet adoleſcere. Eſt enim ſanguinis in corpore humano ea vis ac facultas, præſertim vbi ætatis acceſſu calorem concipit, ac ſpiritu vitali in dies magis magiſque perfunditur, vt expeditam mentis agitationem, celereſque diſcurſus ac ſolertiam pariat, quę quotidiano vſu & exercitatione, prudentiam, multarumque rerum cognitionem quæ ſapientia ſtipata eſt ac munita, conſequitur; quo fit vt naturæ pariter atque educationis beneficio, eximiis dotibus exornari illos contingat; & quod facultate dicendi, ſummiſque eloquendi viribus ſint inſtructi, Reip. vſui ſint atque ornamento. Et quamquam calidæ atque ſiccæ naturæ hominibus, nempe Cholericis nō deſit

Conſultor ſalutaris.
Prouerbiū ab artifice & materia.

Sanguis aliis humoribus vtitur ad formandos mores.

eloquendi peritia, dicendique feruor, & linguæ volubilitas; non tamen tanta est istis sententiarum ac verborum grauitas, minusque affectibus suis moderari norunt, quum sint in perorando acres & concitati, quod in huiusmodi hominibus non solum in pronunciandis vocibus, sed etiam in inceßu plus satis festinato ac celeri perspici potest. Hoc quoque inter hoc est discriminis, quod quum Cholerici amarulenti sint ac dicaces, salibusque dentatis ac scommate obuios quosque feriant, tum Sanguinei nusquam exercent caninam facũdiam, nec quemquam figuratis dicteriis impetunt aut laceßunt, quibus homines offendi solent tamquam lotio perfusi; sed ingenio sunt lepido ac festiuo, excussoq. scurrili lepore, atque obscenis facetiis, vrbano prorsus ac venusto, quin & foro, vt dicitur norunt ac scenæ seruire, rebusque præsentibus sese accommodare, quo fit vt omnibus sint amabiles ac gratiosi, nullisq. graues ac molesti. Quod si sanguinem aliis humoribus dilui contingat, atque ætatis acceßu calescere, flauamque bilem qua incitari humores contingit, illi commisceri, aut alterius humoris effici participem, varii hinc emergunt atque exoriuntur pro mixturę ratione hominum, mores, studia, animi propensiones, vitæ instituta, quibus quisque in deligendo vitæ genere applicare se, atque addicere solet, vehementi quadam ad rem aliquam consequendam auiditate. Sic vbi pars sanguinis dupla existit, seu beßis quæ octo vncias complectitur; bilis vero flaua ac atra æquali portione inter se diuisa, triens seu vnciæ quatuor quę tertiam aßis partem conficit, ex iis tribus ita permistis ea statuitur corporis habitudo, quæ multiplices animi motus, mentisque impetus & inclinationes profert; quæque mentes hominum atque ingenia intus effingit formatq. etiam antequam in verba erumpant, ad quamuis personam quæ vel aßum

Quod discrimen inter Sanguineos & Cholericos.

Cholerici dentati.

Sanguinei non acerbi.

Uti foro.

Unde naturæ propensio.

Sanguis qua mensura dilui debeat aliis humoribus.

a nobis ſolet, vel a natura ac publica functione nobis aſſignari;

Format enim natura prius nos intus ad omnem,
Fortunarum habitum, iuuat aut impellit ad iram,
Aut humum mœrore graui deducit, & angit;
Poſt effert animi motus interprete lingua.

Ex arte Poetica.

Quemadmodum autem natura rerum in producendis pingendiſq. floribus inimitabile artificiũ exprimit, ac tot tantaq. herbeſcentis viriditatis diſcrimina profert; quorum alia lacteo dilutoq. virore nitent; alia ſaturato vergentiq. in atrum virore oculos afficiunt; alia ceruleo, cæſio, glauco, herbaceo, incano, porraceo, colore virent, ſuoſq. effectus ac vires obtinent; ita ſanguis alterius qualitatis humoribus permiſtus, alias vires, alium colorem concipit, licèt ſanguineum non prorſus exuat; ſic vt etiam in animi mentiſq. receſſus penetret, atque ad varias actiones ſit incitamento. Et quamquam aſtra in res inferiores efficaciter vires ſuas exerant, humores tamẽ atque elementares qualitates corporis humani habitum conſtituunt, diuerſaq. ingeniorum ac morum diſcrimina pariunt. Sic iſta qua de loquimur, conſtitutio in hoc orbis theatrum Thraſones producit, paraſitos, moriones, philautos qui inſolentius ſibi plaudunt, aulœdos, perditos, ac profuſos nepotes, hoc eſt, qui patrimonium diſſipant atq. abligurriunt, aleatores, Gnathonicos, qui ſcite aſſentari norunt; obiter mimos ſcenicis comiciſq. geſtibus mire inſtructos, circulatores, agyrtas, hoc eſt, qui plebem ad nugas conuocant; quibus accedit ex promiſcua multitudine immenſa hominum colluuies,

Simile a florum & herbarum artificio.

Aſtra minus efficacia humoribus.

Sanguinei hominis varii mores.

Qui numerum complent, fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoiq.,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

Horat. li 1. Epiſt. 2.

Quum enim vitæ suæ nulla ratione moderentur, nec laudabili institutioni, sed malorum conturbernio assuescant, improbis corruptisque moribus efficiuntur, atque ex sanguinis feruore ac redundantia in omnes libidines atque effrenatas cupiditates effusi, sic vt summum bonum non aliis, quam voluptatis finibus metiantur. Cuius generis sunt omnes Dionysiaci artifices, seu Veneris ac Bacchi affectatores cupediis ac ganearum nidori addicti; quorum omnis industria ac vigilandi labor in antelucanis cœnis exprimitur. Siquidem vt prouerbio dicitur, *Musici ætatem agunt*, ac *Tibicinis vitam viuunt*; hoc est, molliter, laute, delicate, otiose, ac sumptu fere alieno; qui quum cupiditatibus nullum nec modum nec finem statuant, atque ex immodica ingluuie, intempestiua vigilia, concubitu immoderato lassescant ac defatigentur, morbis qui in plenitudine humorum consistunt, efficiuntur expositi, vt sunt angina ac faucium tumores, tonsillarum atque vuulæ inflammationes, condylomata, ac mariscæ, hæmorrhoides, sanguinis e naribus profluuia, pleuritis ac laterum dolores, pulmonis inflammatio, multaq. alia quę venæ insectionem exposcunt; quibus accedit febris ephemera seu diaria, sic dicta, quod vno die sisti soleat, licet aliquando ad quartum producatur, ad quã referri debet sudor Britannicus, cuius morbi symptoma seu accidens est cardiaca syncope, vel animi defectus qui ex stomachi morsu contractus non minori affectu hominem conficit, quam si cor vitæ fontem halitu contagioso forinsecus ingruente opprimi contingat: quod obseruatũ est anno 1529. mense Septembri in pestilenti ephemera quæ ex aëris contagio exorta totam Belgicam inuasit magno terrore, animique deliquio ac cordis palpitatione. Cui hoc accessit incommodi, quod empirici quidam præter artis rationem, nec obseruatis naturæ viribus, duode-

Sanguis ad luxum incitat.

Musice viuere.

Tibicinis vita.

Morbi ex plenitudine.

Diaria febris.

Sudor Anglicus ephemeræ febris species.

Sudoriferus morbus in Belgica quando.

Sudoriferi morbi contagium.

Empiricorum error.

duodecim horarum ſpatio in ſudore ægrotos violenter detinerent, ac culcitris etiam puluiniſq. identidem impoſitis opprimerent. Quum autem aër vitiatus infectuſq. huic malo ſeu ephemeræ febri cauſam prębeat; ſymptoma vero atq. accidēs quod comitatur, vt vmbra corpus, cardiacus ſit affectus, atque animi deliquium, tum ſudor ipſe criſis ſtatuitur, quo naturæ robur excuſſa madida olentique fuligine, morbum diſcutit; quocirca neceſſe eſt moderatus is ſit, nec quatuor aut ſex horarum ſpacio productior pro virium imbecillitate ac robore: immodicus enim vires deiicit ac ſpiritus vitales depopulatur. Quod autem morbus hic Britannicus dicitur, vel ſudor Anglicus, hinc enatum ominor; quod in ea regione populares frequentius illo corripiantur, partim ob operoſas lautaſq. menſas, ac ciborum affluentiam qua illos diſtendi contingit, vt Germanos ac Belgas potu; partim (vt ſuperiore anno a me obſeruatum eſt ipſo etiam ſolſtitio æſtiuo) ob aërem turbulentum ac nebuloſum, denſaque caligine paſſim offuſum; quo fit vt concepta intus ac foris morbi cauſa atq. origine non ſine ſanguine & ſudore cum illo colluctentur, quaſi cum valido ac præferoci hoſte certamen ſit initum, quem ſummis viribus excuſſiſſe laborent; hinc corporis animiq. defectus ac deliquium; hinc ſpiritus languidi, ac collapſæ vires; hinc intercepta voce occluſiſq. ſpirandi fiſtulis, vitæ propemodum interitus atque exanimatio. Quum enim gens iſta non ſit obdurata laboribus, nec malis occalluerit, vtpote molli ac delicatæ vitæ aſſueta, cito morbum hunc concipit, ac valide deiicitur, quocirca refocillari debēt ac refici odoribus, vinoq. metaco foueri. Hinc ſiquidem eſt quod huic nationi peculiaris ſit ac prope quotidianus vini Cretici, quod Maluaticum vocant, ac muſcatum, vſus: illo enim languidum ac nimio ferculorum apparatu oneratum

Cardiacus affectus.

Sudandi modus.

Sudor Britannicus vnde nomē adeptus.

Cur Angli ſudorifero morbo obnoxii.

Britanni in morbis flaccidi.

ventriculum erigunt, instaurantque, quod veteres quoq. in medēdis huiusmodi morbis factitasse comperio, qui cordis dolorem ac puncturas, animi deliquium, colicos atque iliacos cruciatus ac tormina tali vino expugnari solent. Sic auari cuiusdam sordidam opulentiam atque inhumanitatem Iuuenalis perstringit, quod amico defectu animi collapso atque ex immodico sudore periclitanti vinum denegaret;

Angli cur meraco vino vtātur.

Satyr. 5.

> *Ipse capillato diffusum consule potat,*
> *Calcatamq; tenet bellis socialibus vuam,*
> *Cardiaco cyathum non porrecturus amico.*

Inuadunt quoque huius constitutionis homines, præter iam memorata incommoda, aliæ febres exitiales ac perniciosæ; quarum altera ex putrescente sanguine accenditur, altera nulla existente putredinis nota in sanguinis inflammatione consistit; vtrumque hoc genus febrium *Synochi* nomine comprehendunt Græci, Latini *continui*, quod continenter affligat, nullis admissis induciis, aut respirandi spatio; ingruente enim primo paroxysmo seu insultu, in multos ille dies absque intermissione porrigitur. Est vero ætas calida & humida præ cæteris huiusmodi febribus obnoxia; promtissime enim ex oppilatione putredinum incipit vernis præsertim mensibus, quibus humores augeri solent; eoque magis si qua subest intemperantia, atque ab exercitatione dissueta residem vitam agat atq. otiosam. siquidem occlusis meatibus ac spiramentis per quę difflari sanguis solet, ac vapores discuti, putrescere illum necesse est, ac vitalia tetro halitu infici. Quemadmodum ædes instructæ ac flatibus ventisque minus expositæ: vt etiam vestes, culcitræ, puluinaria, lodices, tegeticulæ situm contrahunt, ac pædorem asciscunt, nisi concutias atque auræ subinde exponas: sic corpus humanum putre fit atque olidum, nisi labore atque

Synochus seu continens febris.

Putredini obnoxii calidi & humidi.

Simile ab ædibus & vestimētis situ obductis.

agita

agitationi corporis assuescat: hac enim viuendi ratione excrementa euacuari contingit, atq. emanantes ex iis fuligines dissipari. Quo itaque morbis minus periclitentur, nec febribus reddantur expositi, adhibita moderata victus, somni, vigiliæ, Veneris ratione, excussaque ignauia ac veterno, exercitationi tempestiuæ insistant; denique ineunte vere percussa vena sanguinem sibi adimi, aut admotis cucurbitulis cutem scarificari: quod si ad eum modum inaniri recusent, medicamentis quæ aluum leniunt, expurgandi; vt sunt cassia fistularis, syrupus rosaceus laxatiuus, diaprunum simplex, syrupus de epithymo & fumaria, polypodium, mercurialis, manna seu mel aereum, serum lactis. In exercitatione autem obeunda id studiose obseruandum, ne aut humoribus atque excrementis oppleti, aut cibo potuque distenti illam adeant. Siquidem caput a quo vt in imperio grauissimi morbi diffundi solent, fumo ac vaporibus implet, catarrhos ac distillationes excitat, hepati ponderis sensum atq. oppilationem infert; nam motus violentus cibos inconcoctos in venarum angustias adigit, qui quum humoribus transitum intercipiunt, putredini occasionem præbent: tale quiddam vbi inciderit, protinus occurrendum iis quę in viis eius hærentia atq. impedita expediunt, qualia sunt, Galeno teste, absinthii Pontici in vino macerati dilutum, aut vinum absinthites, seridis species, nempe cichorium, & quæ vulgo *Scariola* dicitur, cassuta, argemone, rhabarbarum, anisi & feniculi semen, nuclei persicorum, amygdalę amarę; vuæ passæ acini exemptis vinaceis, oxymel simplex, quorum quodq. exhiberi debet ante cibum concoctione iam peracta. Eadem quoque in re Venerea adhibenda cautio. nam ex immodico concubitu vires deiici contingit, atque oborta inflammatione dolores articulares excitari; sunt enim horum plerique

Quæ aluũ leniant.

Exercitationis modus.

Caput ab insimis mẽbris noxam concipit.

Iecoris oppilatiõ vnde.

Tuend. valet. 6.

Absinthiũ hepati confert.

Quæ oppilationem discutiant.

Veneris incommoda.

qui nulla habita concoctionis aut cruditatis ratione, nullo noctis & diei discrimine, neglectaq. illius rei opportunitate, auide (vt est prurigo moræ impatiēs) hac voluptate perfrui festinant, qui cum nihil non sibi permittunt in obeunda Venere, nec vllas leges moderandæ libidinis sibi præscribunt, totius corporis robur ac neruos elidunt; siquidem coitus illam vim corporis eripit ac depascitur, qua ciborum concoctio perficitur, atq. in sanguinem elaboratur; quo non syncere confecto, plurima redundantiū humorum excrementa congeri contingit, quæ innumeris morbis initia præbent ac seminaria; quamquam plerisque horum, nisi modus desit, Veneris vsus nihil officit; nam magna pituitæ pars atque aliorum humorum colluuies tempestiuo concubitu illis adimitur, quæ præter rationem cohibita, corpori mentique noxam inferre solet; quod in virgunculis quæ serius coniugio destinantur, aut quibus ex voto castimoniam professis aditus ad connubia interclusus est, obseruari potest: nam præter indomitam tentiginem ac flammas, præter latentes tacitosque ardores quibus vri solent, colore quoque inamabili efficiuntur, ac fœdo, menteque tantum non furiosa ex vapore tetro qui sursum rapitur, ac cerebrum obnubilat. Hinc a concepta concumbendi imaginatione ex virorum contuitu contactuque incubus nocturnus, ac seminis effluxus quo se polluunt; hinc cordis tremor & palpitatio ob densissimos fumos ac fuligines quibus pericardion, hoc est, cordis inuolucrum opprimitur, quasi striges ac nocturni Lemures graui mole corpori incumbant. His autem quibus libera est matrimonii lege concumbendi potestas, aut etiam qui inconcessa Venere, vagoque atque illicito concubitu se contaminant, præcepisse expedit, ne impotentius huic rei succumbant, ac postmodum deplorent se eneruatos atque elumbes, exhaustoque

Veneris commoda.

Semē corruptum quid noxæ adferat.

Veneris moderatio.

ſtoque vitali ſucco prorſus effœtos: qua de re extat ſalubris apud Solomonem exhortatio, qua quemque commonefacit; *Ne addicat decus & honorem ſuum ſcorto, nec florentes annos meretrici crudeli dedat*: nam auide & facultatibus & viribus inhiat, vt quæ nec ſaturari amplexibus, nec largitionibus expleri poſſit, ne poſtremo ingemiſcat, ac ſpirio deploret corpus attenuatum, atque opibus viribuſque ſe eſſe exutum. Quo circa ne quid detrimenti ex immodico Veneris vſu accedat, tantum interualli ex Galeni præſcripto intercedat, vt neque reſolutio aliqua ſentiatur aut laſſitudo, ipſeque homo leuior atque erectior, tum exhauſta ſentina, melius ſpirare ſe ſentiat. Tempus quoque opportunum captari debet, quum ſcilicet corpus mediocriter conſtitutum eſt, nec ſupra modum plenum, nec vacuum; qua de re aliàs vberius. Cæterum ſi quem ſanguineum, pietatis amore, celibatus delectat, ſuſceptoque caſtitatis inſtituto pudicitiam illęſam tueri cupiat, huic conſulo vt vires ſuas ipſe metiatur, & an affectum hunc indomitum ac præferocem coërcere poterit, ſtudioſe exploret. Omnibus enim modis in adeunda re tanta prouidendum, ne quid inconſiderate aggrediatur, ne incōſulta temeritas rationis iudicio ac rerum delectu deſtituta, pœnitentiam adducat, vbi ſuſcepti oneris mole obrui ſe percipit. Quum enim genitale ſemen ſit excrementum redundans, atque humor ſuperfluus, qui ex vltimo alimento ſupereſt, ac ſit reſiduus, ipſumque e vaſis teſtium in quibus exacte elaboratur, in progignendæ ſobolis vſum depromitur, naturæ vis ac facultas illam humoris collectionem expurgari cupit, illiuſque exeretione, intolerandi oneris moleſtia leuari, non ſecus quam aliæ partes corporis exonerari cupiunt ſuperuacaneis excrementis ac ſordibus; nempe lotio, oletis, ſputo, ſudore, mucco narium ac faucium pituita. Quocirca

Prouer. 5. Meretrix nec concubitu, nec muneribus ſatiatur.

Artis medicin. 86.

Sanguinei ad cœlibatum parū idonei.

Semen quid.

Matth.19. salubris mihi semper visa est ea Christi, cui & Pauli
1. Corin. 7. est consentanea, admonitio ac cõsilium; vt qui sunt huius rei capaces, ad eamq. perficiendam idonei, illam adeant, arripiant atque amplectantur; non defuturum est diuinæ virtutis adminiculum, sine quo omnis noster conatus inanis est atque irritus, vt præ-
Sapient. 8. ter Paulum Solomon testatur. Nihil autem est ambigendum, quin effici possit, vt domitu deuictoque affectu illo lubrico, tametsi id operosum sit, in eo statu se posset inculpatum præstare, quæq. animo conceperit, perficere, modo cælestis doctrinæ ac pietatis studio id propositum susceptum sit. Qui enim
Continẽtia voluptatũ diuinitus contingit. molestissimis curis sunt implicati, excussaq. desidia atque ignauo otio, vigiliis, inedia, ardenti studio, intentis piisq. precibus, iugi sacrarum literarum meditatione, ac diurnis nocturnisq. concionandi labori-
Matth.17. bus, *quibus hoc genus dæmoniorum eiicitur,* se fatigant ac macerant, non magnopere illius rei desiderio afficiuntur; siquidem sponte & libera voluntate, non coacti, nec vlla superstitione inducti hoc vitæ genus adeunt, quo expeditius munus Euangelicum obeãt, ac sacris functionibus liberius insistant.

De frigidi & humidi corporis habitu & constitutione, ex qua Pituitosi seu phlegmatici conditio eruitur, eiusq. natura explicatur.

CAP. III.

Calidæ & humidæ constitutioni proxima statui debet frigida, & humida temperies, in qua redundat Pituita seu Phlegmaticus humor, cuius post sanguinem non minima pars per corpus vndique diffunditur. accedit vero is humor nonnihil ad sanguinis naturam, illique affinis est cum essentiæ ra-
Pituita sanguinis naturalis materia. tione, tum conceptaculorum societate: est enim velut sanguis quidam inconcoctus, atque inchoati seu imperfecti ac nondum exacte elaborati sanguinis rudimen-

rudimentum: quale nobis ſpecimen exhibet ferueſcens ac recens ex torculari expreſſum muſtum. Siquidem, vt venuſte Galenus ait, id quod tenue atq. aëreum, nempe flos vini ebulluit, atque in ſublime fertur, cui ſubeſt atque innatat humor inſipidus aut ſubdulcis aquæ naturam obtinens, qui excoctus atq. a ſordibus defæcatus, vini naturam conſequitur. Et quamquam pituita albeſcat, nullaq. ſit rubedine perfuſa, excocta tamen, expugnataq. frigiditate caloris vi & efficacia, in rubicundum floridumq. liquorem redigitur. Et quemadmodum pituita naturalis quæ dulcedinis eſt particeps, vi caloris in ſanguinem elaboratur, ac colorem rubicundum aſciſcit: ſic ſanguis in vberibus partim ex loci cui immoratur natura, partim a cordis calore cui mammillæ incumbunt, in lacteum nitidiq. coloris liquorem conficitur. Hinc Pythagoricæ ſuperſtitionis philoſophi præter interdictum carnis vſum ouis & lacte abſtinebant, quod illa inter carnes liquidas referrent: quum poſt paucos dies ſi foueri contingat, alitem proferant, alterum colore immutato ſanguinem eſſe ſtatuerent. Hoc vero viſum eſt nonnullis prodigii quiddam ſimile, quod infantibus etiam maſculis recens in lucem editis, ex papillarum conis vel ſponte, vel leniter prementibus digitis, lac proflueret; cuius rei quum aliquando experimentum facerem, conſului, vt ſubinde id exprimerent, ne colloſtrare ac lapideſcere contingat: colligitur autem in pueris lacteus ille liquor ex copioſo atq. affluenti alimento, quod in illis epiſtomiis ex loci natura, ac cordis qui caloris fons eſt, adminiculo lacteſcit. Quum enim mammillæ ſeu lactis conceptacula fungoſa ſint, & adenes illis innatæ, exangues & albæ, efficacem vim obtinent, ſanguinem qui in illas influit alterando in lactis ſubſtantiam: quælibet enim pars corporis nutrimentum immutat, ac ſibi aſſimilat, cognatumque:

Humorum mixtura muſto comparatur.

Sanguis lactis materia.

Lac ex ſanguine.

Cur Pythagorici lacte abſtinebāt.

Impuberes lac in mãmillis habent.

Adenes vt & Elder..

ac familiare efficit. Sic generatio lactis ac spermatis ex sanguine accurate excocto conficitur, atque a natura illarum partium in quibus elaboratur, candorem asciscit, ac lactescit. Sic hepar quum sit velut sanguis concretus, liquorem rubicundum profert; pulmo spumosum continet; articulorum compagines glutinosum humorem pariunt; lingua saliuam, ossa vero cauernosa atque excauata medullam candidam; quemadmodum & spina dorsi & cerebrum vbi omnia exacte elaborari contingit: nam in agnis atque ouiculis aliisque animantibus minus adultis medulla cruenta perspicitur; ita quæque pars similem sibi humorem emolitur, atque in sui naturam immutat. Quocirca nemini absurdum videri debet, pituitam hepatis vi ac facultate in sanguinem demutari. Habet autem is humor liquidus, fluidusque vsum in corporibus animalium non minus vtilem, quam necessarium; siquidem in venas delatus ac quaquauersum dimanans, sanguinis ac flauæ bilis feruorem temperat diluitque; denique articulis mobilitatem confert, ac ne ariditate rigescant efficit, postremo membra phlegmatica alit, ac vegeta præstat. Et quamquam pituitæ nullæ nullus certus locus assignari soleat, maxima tamẽ pars ventriculum occupat, in quo primum cibus in succum liquescit atque elixatur: videmus enim copiosam glutinosę lentæque pituitæ sentinam vomitu aliquando excuti, aut per intestina prolui in iis qui immoderata edendi bibendique auiditate atque ingluuie ventriculum obruunt; quibus quum caput etiam madido vapore oppleri contingat, atque vt in turbine ac meta distillatitia fumosus halitus in sublime ferri, qui in muccosam pituitam densescunt, cerebri frigiditate, pluribus morbis redduntur expositi, nẽpe grauedini, coryzæ, brancho, raucedini, tussi, multisq. aliis, quorũ genus est catarrhus seu distillatio, quam hibernis mensi-

Pars quæq; suis viribus imbuta.

Vsus effectusq; pituitæ.

Pituitæ locus.

Simile a vasculis distillatitiis.

Pituitæ morbi.

mensibus in Belgica summi pariter atque infimi experiuntur, quorum nemo non

Præcipue sanus, nisi quum pituita molesta est: *Hor. lib. 1. Epist. 1.*

Adeo vt mirari subeat tantam inesse capiti mucci affluentiam, quam modo per os, modo per nares, faucesque natura expurgat. Caput itaque ac stomachus præ cæteris pituitæ excremento scatent, præsertim si quis frigidis humidisque cibis assuescat, atque exercitationi minus se dedat, quo fit vt humor iste plus satis crudus ægre concoqui possit, atque in salutarem succum, quique vsui esse possit corpori, confingi. Siquidem vligo quædam est ac superuacaneum excrementum, quod expurgari potius debet via qua maxime natura vergit, ac qua proxime commodeq. exonerare se soleat. Quemadmodum enim initio ex stomacho, mox a capite prima mali labes, ac fundi calamitas, omnisque malorum scaturigo exoritur (vt obseruare licet in vino affluentius hausto, quod licet in ventriculum deferatur, caput tamen impedit) dãda cum primis opera, vt illę partes quam minimum pituitoso excremento opprimantur: nam malum in totius corporis detrimentum vergit. Vt enim in imperio, in Republ. in cœtu consessuque ciuili, in illustri amplaque familia: ita in corpore humano grauissimus est morbus qui a capite præcipuisque membris diffunditur: redundat enim malum in subiectas infimasque partes, quę insigni incommodo afficiuntur. Exemplum quisque sumat ex ædibus quarum vsu & commoditate fruitur. Vt enim numquam illæ salubres, atque ad tuendam valetudinem idoneæ, quæ stillicidiis ventisque peruiæ sunt, atque imbribus expositæ; aut vbi summa tectorum culmina male materiata ac ruinosa fatiscunt; ita caput fluxionum vitiis obnoxium numquam firmam valetudinem constituit. Quum enim frigidæ sit humentisque naturæ, prompte a fluctuante ventriculo

Caput & ventriculus pituitosi humoris conceptacula.

Corporis & Reip. mala a capite.

A perfluẽtibus ædibus simile.

vapores combibit, atque humiditate imbuitur, qua liquescente subditas partes conspuit, stillantiq. pituita infesta est, *vt mulier rixosa ac iurgatrix viro placido.* Siquidem e capite continenter humores defluunt, atque vt fuligines ex fumario in fauces, aures, nares, oculos, pectus, pulmones decumbunt; hinc oculorũ tumores, lippitudines, caligines, hinc aurium susurri, tinnitus, audiendi grauitas, nonnumquam abscessus pone aures, ac glandularum concretio; obiter variæ ac multiplices exoriuntur ex defluxu in singulas partes morborum differentiæ: nam & linguæ instrumenta affici contingit, ac vocem offuscari, sic vt aliquando immobilis fiat, atque homo obmutescat: nerui enim, membranæ, musculi, venæ iugulares, quæque formandæ voci inseruiunt, immodico humore (quod in tumulentis perspici solet) imbutæ, linguam inualidam reddunt atque impeditam, omnesque artus titubantes, sic vt identidem verba iterata ingeminent, nec articulate ac significanter vocem proferre, sensaque mentis indicare queant: quibus quum aliquando naturæ vitio lingua sit impeditior, tum vuidis vinoq. perfusis hæsitantius illa voluitur, sic vt singultatim verba proferant; quo fit vt tales submisse, tacitaq. voce eloqui nesciant, quod offensaculo quodam vox sisti soleat ac cohiberi. Quocirca maxime illis enitendum est, vt commode atque exerte verba formare consuescant, alioqui lingua imbecillitatis ratione subministrare nequit intellectui verba, nimirum stabilitate destituta: hinc enim efficitur, vt vix pauca verba vno tenore ac continuata serie effari possint, vt quibus nunc cunctanter, nunc præcipiti volubilitate sermone perficiatur. Quod autem istis intemperantia ac bibendi assuetudo adfert, hoc catarrho obnoxiis humorum defluxus ac pituitæ molestia, quæ & compluraalia comitantur incommoda, quæ quiuis emunctæ naris facile obser-

Prou. cap. 17. & 27.
Mulier perstillanti tecto comparatur.
Quos morbos catarrhus pariat.
Temulenti cur balbutiant.
Balbi submisse loqui nesciunt.
Unde lingua balbuties & mentis titubatio.

obſeruare poterit. Nam ſi frigidæ humidæq. qualitatis notas libeat excutere, deprehendet illos ex humoris ac qualitatis illius redundantia ſomnolentos eſſe, deſides, inertes, veternoſos, minuſq. agiles & expeditos; quales fere ſunt qui abdomini, ventrique ſaginando dediti, raro exercitationi inſiſtunt. Videmus autem etiam inter animantes cicures ac ſilueſtres illas præ cæteris inſalubriores atque eſui minus aptas, quæ exercitatæ ſunt atque in latibulis deliteſcunt, aut incluſæ tenebroſis caueis ſaginantur, pingueſcunt illæ quidem, atque in molem attolluntur; verum alimentum minus ſalubre præbent, atque excrementorum copiam adferunt, vt inter aquatilia anguillæ & lubrici alii piſces, qui cœno lutoque inhæreſcunt, nec vlla agilitate ſe exercent; quo fit vt anguillæ exanimes piſcium ſolæ non fluitent, quod paludoſa ſtagnantique aqua paſtæ ſint. Cæterum vt corporis huius ſtatus & conditio cuique penitus innoteſcat, ſuis illa coloribus depingi debet, ſuiſque indiciis demonſtrari. Eſt itaque illis qui in hunc habitum referuntur, corpus obeſum, adipe vndique conſtipatum, modo naturalis ſit ea conſtitutio, non aliunde aſcita; ſtatura non tam procera, quam ampla; cutis mollis ac candida attractanti, glabra, nulliſque pilis obducta, muſculis ac venis deliteſcentibus, quæque ſe non proferant, ſic vt quum res venæ ſectionem expoſcant, nuſquam appareant. Capilli capitis vel albeſcunt, vel in dilutam nigredinem deuergunt, aut ſpiceo colore exiſtunt, qui ſerius quidem defluunt, ac caluitium patiuntur, ac mature caneſcunt ob caloris penuriam ac membri imbecillitatem, quæ excoquere nutrimentum nequit in pilorum vſum ac decorem. Eſt autem canicies velut ſitus quidam pituitæ quæ computruit, aut mucida vligo quæ cuti ſubeſt, ex qua ob caloris defectum emergit incana cæſaries. Exhibent autem

Phlegmaticorum conditio.

Quæ animantia eſui ſalubriora.

Anguilla mortua cur non fluitet.

Notæ frigidi & humidi corporis.

Spiceus color a ſpica vel culmo ordei.

Vnde canicies.

Situs in cibis.

tale quiddam panes & artocreæ ſupra legitimum tempus aſſeruatæ, quæ lanugine ac mucore olido obductæ conſpiciuntur, & fornices ac concameratæ teſtudines, tum ſpecus ſubterranei, aliaq. loca ſqualida, ſenta, opaca, ſitu ac pedore horrida. Lotium vero iis album, ac nullo propemodum aut perexiguo rubore ſuffuſum; alui excrementa atque egeſtiones liquidæ, ſomnus autem profundior, & quam valetudo exigit, productior, quem inſomnia comitantur varia, ex quibus non futili ſane nec fallaci coniectura corporis diſpoſitio deprehendi, atque humorum redundantium decurſus indicari poteſt: nam harum rerum cauſæ & origines ex corpore emergunt, quæ etiamſi in externas cauſas ſint referendæ, aut in diurnas actiones, quæque mens interdiu vel concipit, vel ſecum intente agitat, ac ſubinde verſat, promptum eſt perito expertoque medico, quo ſint euaſura, & quos habitura euentus, explicare. Nam quæ diuinitus immittuntur, nec ex naturæ rebus progrediuntur, non cuiuis procliue eſt, niſi afflatu cæleſti de his quidquam pronunciare: Sic frigidæ humidæque conditionis homines vrinare ſe, ac caput aquis perfundi imaginantur, aut in balneis thermisque verſari, quæ largam ſubeſſe pituitæ copiam declarant ex capite in ceruices, fauces, vocalem arteriam, pulmones primo quoque tempore decubituram. Pari modo ſi grandinem, niuem, glaciem, imbres, per ſomnium mente concipiunt, nunc concreti, nunc liquidi phlegmatis redundantiam indicat. Quod ſi quis ſuffocari inter ſomniandum videtur, aut ſibi vocem intercipi ſentit, huic vel angina, vel linguæ ſtupor ac grauedo, vel denique lethargus, aut apoplexia imminet. Sic quidam, Galeno teſte, ſomniauit alterum crus illi lapideum factum, qui paulo poſt ex defluxu in illum frigidi humoris, paralyticus eſt effectus. Et quamquam anxia nimis ac curioſa ſomniorum

Ex ſomniis corporis ſtatus docetur.

Naturaliũ ſomniorũ interpretatio.

Diuina ſomnia Dei afflatum exigunt.

Quæ ſomniant pituitoſi.

rum obseruatio prohibita sit, nihil tamen vetat ea, quæ in rerum naturalium, quarum Deus autor & conseruator est, ratione consistunt, excutere, exclusa diuinationis vanitate, excussaque euentorum quum spe ac fiducia, tum metu ac trepidatione. Si quando itaque naturalia incidunt somnia, quibus nulla subsunt ludibria ac mentis illusiones, (nam illa erecta in Deum fiducia discutiuntur) commonefaciunt, vt valetudini quisque insistat, atque illa amoliri curet, quæ sanitati vel obsint vel officiant, vel vllas somniorum perturbationes inferant. Siquidem imaginationes, & quæ per quietem simulachra menti obiiciuntur, vel animo obuersantur, ex humorum vapore ac spiritus animalis agitatione excitantur: quorum alii refricant nobis vel diurnarum actionum memoriam; vel humorum abundantiam indicant; vel quarundam rerum auiditatem, quarum desiderio expleri cupimus, commonstrant. Hinc siticulosi affatim se potu reficiunt, famelici auiditate insatiabili cibos deuorant. Sic quibus excremento seminali genitales partes turgescunt, aut interdiu in puellam spectabili forma, oculis menteq. fuerint defixi, Venereo affectui in somno indulgent, ac se imaginaria Venere, effluxuque nocturno coinquinant. Anima enim, corpore oppresso somno, sopitisque externis sensibus, in profundum corporis demersa, diurnas corporis actiones sentit atque intuetur; & quibus se corpus explere cupit, iis tamquam præsentibus imaginatione quadam fruitur. Hinc manasse prouerbium ominor; Canis panem, Canis agros ac venationes somnians. Quæ enim quisque impense expedit, quæque fixius animo menteque concipit, ea in somno meditatur, earumque rerum species noctu obseruantur. Ad quæ allusisse Esaiam verisimile est, quum inanes esse improborum conatus, & consilia indicat,

Leuit. 19.
Deut. 13.

Non temere fidendũ somniis.

Pollutio vnde ac seminis effluxus.

Canis panẽ somnians, prouerbiũ.

Cap 29.

illaque vt fumos ac somnia euanescere. *Vt enim,* inquit, *somniat famelicus se comedisse, experrectus autem adhuc esurit: Et sicut sitiens se bibisse somniat, expergefactus vero vacuus est: Sic accidit iis qui innocentum sanguini inhiant, illoque satiari cupiunt, tamquam enim somniantes frustrabuntur, nec obtinebunt quod impense cupiunt, aut se assequutos opinantur.* Cæterum si quis forte frigidi humidique status ac phlegmatici hominis internas notas atque indicia requirat, illa obiter patefaciam, quaq. sint natura, conditione, moribus, viuendi instituto, commonstrabo, tametsi non est quod de his multa ac magnifica vllus speret, quum perexigua in illis eluceat vis mentis, animi præstantia, acumen ingenii, doctrinę studium, rerum gerendarum scientia, quam cum prudentia ac sapientia coniunctam esse par est. Sunt enim qui in hunc ordinem referuntur, non admodum acri exactoque iudicio, aut *emunctæ naris*, vt a quorum obturatis pituita muccoque naribus: *Obesæ naris*, prouerbium deductum est, a corpore ad animum translato vitio. Vt enim palato minus sapiunt, nec odorantur, aut sensu oblata percipiunt: ita mente quoque insipidi sunt, atque obtusi, stupidi, ignaui, inertes, nec denique natura aut vsu sagaces, vel acuti, vel callidi, quod calor natiuus sopitus sit, immersusque humidæ qualitati, atque humori frigido: quo fit vt memoria quoque sit fluxa ac prope nulla; sermo vt pulsus atque incessus tardus ac remissior. Verum illud præcipue in iis laudem meretur, quod placido sint ingenio ac sedato, quod Veneri minus dediti, quod nec iracundi nec irritabiles; vt qui etiam lacessiti non incandescant: obiter nullis dolis, insidiis, fraude, astutiis, technis, versutiis, sycophantiis vt Cholerici, instructi. Sed quoniam multis variisque morbis tentari soleant, quod sedentarii sint atque otio dediti, post imperatam præscriptamque calidam victus rationem, de qua in frigido

corporis

Esaiæ locus explicatur.

Indicia frigidi & humidi status.

Pituitosi ignaui.

Prouerbii origo, Obesæ & emunctæ naris.

Pituitosi hominis laus.

corporis statu, tum humidi abunde tractatum est, vt exercitationi assuescant, extimulandi sunt. Ignauia enim ac desidia corpus, vt Celsus ait, hebetat, labor siue exercitatio firmat: illa præmaturam senectam, hæc longam adolescentiam facit: quocirca valentiores hi motus exigunt, ne humor plus satis augescat, & calor sopiatur. Itaque matutinis ambulationibus insistant, per accliuia editaque loca ventriculo inani ac vacuo: nihil tamen vetat ab assumptò cibo tale quiddam aggredi, sed has corporis agitationes maxime lentas esse conuenit; meridianas vero magis celeres ac citas,(quod & calidis & humidis obseruare expedit) non tamen vt Galenus ait, quales festinabundis opere aliquo vrgente perfici solent. Hoc quoque iis præcepisse ex vsu est, vt diutius ieiuni persistant, ac cœnent parcius: quum enim omnibus quibus inculpata valetudo obtigit, liberalior cœna esse debet, nisi consuetudo obstet, tum istis parca conuenit ac frugalis, quo cerebrum nocturnis exhalationibus, quæ e ventriculo emanant, minus obnubiletur: istæ enim distillationibus ac catarrhis materiam præbent ac seminaria, ex quibus tanta morborum examina pullulant, quæ vt declinari euitarique possent, phlegmatici humoris differentias, & quo sint effectu, quos illæ morbos pariant, paucis explicabo. Statuuntur autem Pituitæ species ac discrimina quatuor; Dulcis aut si crudior sit, insipida, quæ somnolentos homines efficit, & maiorem somnum conciliat, quam natura exigit, humectato scilicet & frigescente sensuum principio, nempe cerebro: Acida, famelicos reddit: siquidem os ventriculi, seu stomachus vbi illo humore imbutus est, ac ciborum appetentia excitatur: Salsa, quæ siticulosos facit, ac stomachum vellicat: Vitrea vero, quæ & tenacitate & algore cæteros superat, cibi fastidium adfert ad nauseam: harum omnium mitior minusque noxia

Pituitosi exercendi labore, li. 1.

Tuē. valet. lib. 5.

Pituitosis cœna parca sit.

Quatuor Pituitæ species & effectus. Galen. de plenit.

Pituita dulcis.

dulcis est, quæ concoctione domita melioreſcit atq. in ſanguinis naturam commigrat: cui tamen ſuum non deſit virus ac malitia, niſi omne vitium penitus calore excoquatur: nam tumores laxos, molles, inflatos excitat, albos nullaque rubedine perfuſos. tum aliæ quædam pituitæ eruptiones in extima cute emergunt, vt præhumida ſcabies, tum mulierum atque impuberum papulæ puſtulæq. tumentes, quæ nonnumquam in ſaniem ac purulentum humorem erumpunt: verum non magnum pruritum & ardorem excitant, vt ea ſcabies quæ ex ſalſa pituita aut choleræ affluxu contrahitur, quæ acri mordacique ſalſugine imbuta eſt.

Pituita acida.

Acida Pituita, ſucco melancholico qui ſubinde in ventriculum confluit, qualitate effectuque aſſimilis & cognata, minus quam vitrea, magis quam dulcis, frigida; hæc pungit ac ſtimulat ſtomachum, illique morſus infert; ſiquidem quum is exquiſitiſſimo ſenſu polleat, acerbiſſimi humoris qualitate offenditur; tam auſterus enim ſapor illi ineſt, vt ſi vomitu excuti contingat, vti hieme & autumno aſſolet, linguam, palatum, fauces, dentes radat ac ſtupore afficiat: non ſecus, quam vuæ acerbæ ſuccus, quem Omphacion cultiores medici, populares agreſtem vocant, ſic vt ægre expugnari eluique eius ſapor poſſit. Hæc quoque pituitæ ſpecies ſiquando os ventriculi occupauit, ſuoque acore atque acerbitate imbuerit inſatiabilem ac prorſus caninam appetentiam excitat, quæ grauidas fere infeſtat circa tertium a conceptu menſem, præſertim vbi fœmellam geſtant; in quibus quum ſit calor languidus, ac vires flacceſcant, non facile natura pituitoſos humores cõcoquere poteſt; quo fit vt nauſeabundæ ſint ac fluctuationibus, crebriſque ructibus moleſtentur. Quum enim acida atque acerba potiſſime concupiſcant, ventriculum vitiant, multoſque prauos humores coaceruant.

Omphaciõ quid.

Appetitus caninus.

Sun

Sunt autem & præter mulieres viri etiam huic malo obnoxii, quibus cibi calorifici exhibendi sunt, & vinum maxime meracum. Quod si humorem hunc in corpore putrescere contingat, febris excitatur Epiala, sic dicta, quod interiora caleant, rigescant autem ac frigore concutiantur externa; nam is humor accensus, similem flammam edit virentibus humectisque lignis, ex quibus densi crassique fumi humida quadam substantia imbuti assurgunt; adeo vt calor ab humore prohibitus, nequeat erumpere, sic vt non solum colorem ita affectis vitiari contingat, sed etiam in animo menteque aliqua percipere incommoda. Salsa pituita quæ nonnihil affinitatis cum cholerico humore habet, conficitur ex bilis vel salsæ vel serosæ humiditatis commistione, aut putrescente phlegmate, a cuius acrimonia non rigor, sed horror, totiusque corporis concussio oboritur; vbi is accenditur, nulla est autem pituitæ species hac nocentior. Siquidem dolores intensos excitat, vbi in partem aliquam incubuit, ac vi mordaci vlcerosas lassitudines membris infert; cutem denique aridis squammosisque fœdis eruptionibus deformat, nempe mentagra, impetigine, lepra, psora, scabie pruriginosa; vbi vero cum melancholia, aliisque vitiosis humoribus coaluit, elephantiasim parit, quæ Hebræorum lepra est, herpeta, phagedęnam, morbum Venereum, compluresque alios, qui membra erodunt ac crudeliter depascunt.

Epiala febris.

Simile a lignis virentibus accensis.

Pituita salsa.

Pituita salsa noxia.

Vitrea autem Pituita sic dicta, quod eliquato fusoque vitro sit assimilis, omnium frigidissima est; quocirca ęgerrime concoqui potest, atque ad salutarem domesticumq. humorem reduci; obsidet autem magna ex parte caput, ventriculum atque intestina, quibus acerrimos cruciatus infert. Siquidem pungit, vulnerat, dilaniat; quum enim ista pituita glutinosa

Pituita vitrea.

Quæ partes pituitæ obnoxia.

sit, ac visco assimilis, vt est ea materia, ex qua vitrea pocula effinguntur, propter lentorem ac tenacitatem ægre diuellitur, atque angustis conceptaculis adhærescit; sic vt natura cum alieno atque extraneo humore dimicans, acerbos dolores concipiat, priusquam excutere posset infestum corpori humorem, qui varios atque intolerandos morbos secum deuehit, nempe Colicos, iliacosque dolores, intestinorum difficultates, egestiones mordaces, tenesmum, qui nihil aliud est, quam frequens & irrita egerendi cupiditas, quæ magno enitendi conatu & molimine vix minimam vitreę pituitæ partem excludit, ac paucas quasdam sordes ac strigmenta deiicit; quibus affectibus & si quæ alia exoriuntur tormina, ego nulla re efficacius mederi soleo, quam foris adhibitis fomentis, intus vero iniecto clystere quo omnes illæ pituitæ collectiones prolui solent & abstergi. His autem morbi ac valetudinis incommoda in infimis partibus citra febrem vere consistunt, nisi dolorum faces admoueri contingat, quod nulla subsit vel putredo vel inflammatio, ac membrum sit ignobile: verum si in principem aliquam præcipuamque partem hæc pituitæ species decumbit, ac putrefacta inflammari incipiat, febres excitat Lipyrias vocatas, atque in imis visceribus frigus æger percipit, externis calorem. Quemadmodum enim Solis calore glacies, nix, grando, liquescit ac dissoluitur, fluidaque singula efficiuntur; ita æstus febrilis crassum illud & concretum phlegma liquefactum diffindit; quo fit vt in eodem corpore calor & frigus percipiatur, quemadmodum in iis qui humidis madidisque vestibus foco assident, aut manibus niuem vel glaciē attrectant, quorum membra eodem temporis momento frigidam calidamque qualitatem sentiunt. Cæterum quum magna mortalium pars, hibernis potissime mensibus aut vna aut altera pituitæ specie infestari

Tenesmus quid.

Clysteris vsus.

Lipyriæ febres.

Calor humorem, vt Sol glaciē dissoluit.

Simile a madido homine.

infestari soleat, omnibus modis efficiendum, vt calidis cibis assuescat, ac concoctionem exacte perficiat; siquidem ex cruditate & frustrata ventriculi concoctione maxima pituitæ noxa in corpore congeri solet, quæ si quid aliud, euidens certe detrimentum valetudini infert; quocirca quæ impense frigida humidaque existunt, inprimis euitanda, vt sunt Austrini flatus, plani pisces ac lubrici, fructus arbutei; ex herbis lactuca, portulaca, cucumeres, melones, cucurbitæ, fungi, aut siquid horum in vsum veniat, calida condimenta adhibeantur, ac tempestiua exercitatio, tum quæ crassos viscososque humores attenuant, quæ flatus discutiant, ac quam minimum humoris excrementique pituitosi in corpore residere patiantur: nam ii quoque mentem transuersum rapiunt.

Pituita incōmoda omnes obnoxij.

Cruditas pituitam parit.

De Memoria excolenda, demoliendisq; eius detrimentis atque incommodis.

CAP. IIII.

QVoniam autem frigida humidaq. intemperies, tum frigida quoque & sicca, vbi plus iusto inualescit, memoriam obruit, ac lethaliter afficit, huic operi nonnulla inserenda putaui, quæ illi cultum adferre possint, atque efficere, vt quam minimum illa detrimenti concipiat, aut vlla sui parte iacturam patiatur. Qua autem ratione id perfici possit, obiter indicabo. Est enim non modo studiosis, sed nulli non mortalium salubre cum primis & frugiferum. Siquidem omnes actiones ac munia publica quæ vel publice vel priuatim obire solent, omniaque cogitata, conceptus, consilia, meditationes, curæ, studia, dicendi agendique labor & industria, quæque vel animi vel mentis agitationem exposcunt, memoriæ adiumento perfici debent. In hoc enim thesauro potissima rationis intelligentię, iudicii pars consistit,

Memoria omnia perfici.

eo coque tamquam e locuplete atque opulente instructo penu depromitur, eruiturque rerum reconditarum vberrima supellex. Quæ memoriæ vis nisi, vt fidus tutor ac conseruator iis rebus quæ a nobis excogitatæ perceptæq. sunt, adhibeatur, omnia protinus, etiamsi præclarissimi sint ingenii monumenta, effluunt atque obliterantur. Assignatur autem memorandi facultas cerebro, mentis omniumque sensuum domicilio, quo affecto aut intemperie aliqua vitiato, omnes naturæ functiones ac munia affici contingit ac labefactari; sic vt imminuta mente, conuulsaque ratione, intellectu, iudicio, desipientia oboriatur, obliuio, stupor, delirium, stultitia, alienatio, fatuitas iners ac stolida, qui affectus ac mentis errores multifariam hominibus obuenire solēt, nempe ex capitis ictu ac vulnere, cranei ruptura, casu, ruina, contusione, pestiferis morbis, qui ex ambientis aëris contagione homines inficiunt, ac præter æterna quę nonnumquam euitari nequeunt. illa quæ ipsi nobis damna inferimus, vt est crapula, ebrietas, ingluuies, intempestiuæ vigiliæ, cibi frigidi & pituitosi, immoderatus concubitus, quo mens obstupescit, ratio, intellectus, iudicium obscurantur, ac naturæ robor sic plerisq. deiicitur atque eneruatur, vt corpus tridui operam curamq. exposcat, & amplius antequā instaurari possit, atque in pristinum statum restitui; ex quo incommodo accedunt morbosæ aliquot ac fœdæ affectiones, quæ non minorem menti, quam corpori cladē inferunt, ac reminiscendi vim obruūt. Vt autem immodica cerebri siccitas a nimia crapula, inedia, Venere contracta, memoriæ officit, ꝙ ea qualitas inidonea sit ad suscipiendas rerū formas, vt quas ariditas ac durities respuit; ita affluentior humiditas ex otio, desidia, immodico somno, cibis humidis parta, memorandi facultatē opprimit. Suscipit illa quidem celerius rerum formas ac simulachra, verum

Memoria in cerebro consistit.

Memoriæ perniciosa.

Venus corpus eneruat.

Cerebrum siccum nō concipit imagines.

Cerebrum humidum nō retinet imagines.

ob mollitudinem non inhærescunt, sed effluunt, vt sigilla quæ vbi in nimis vdam ac fluxam materiam imprimuntur, nullam rerum formam ac vestigia referunt, sed confestim euanescunt ac dilabuntur. Quum itaque memoriæ vis consistat in fida ac stabili imaginum conseruatione; pueris & quotquot humido sunt cerebro, imbecillior est, quam vt imaginum impressionem retinere queant. Senibus quoque vis ea inualida est, quod ob cerebri frigiditatem & ariditatem nihil insculpi possit, eoque fit vt vtrique obliuiosi existant, ac debili minusque tenaci memoria. Siquidem huius, omniumque sensuum internorum vis ac facultas ad cerebri temperiem est exigenda. Nam ex crassa eius partis substantia, aut cum in ea spiritus atque humores densescunt, multisque vaporibus obsita sunt & obducta, obliuio suboritur, ac quum intelligentiæ tarditas, tum percipiendi difficultas. Ex humecto vero cerebro, nimiumque liquido sensus emergit obtusus & hebetior, minimeque diuturna memoria aut stabilis. Siccior vero cerebri constitutio, labilem ac fluxam memoriam parit parumque tenacem: non enim concipit imagines, atque ægre insculpi eas patitur, non secus quam ferri aut chalybis lamina ob duritiem cæiaturas non admittit, ac stili mucronisque aciem respuit. Memoria itaque stabilis ac firma ad cerebri temperamentum referenda est, eaque vis mentis naturæ muneri ascribitur, sic tamen vt iuuetur arte, excultaque vigeat; aut si collapsa sit, aut detrimentum acceperit, cura atq. industria erigatur Quocirca cum primis danda opera, vt valetudo inculpata existat, ac corpus optime constitutum; vt moderata sit victus vitæque ratio, ac frugaliter, summaq. temperantia instituta; vt cibus exacte concoquatur; vt mens affectibus libera; animus tranquillus ac placidus, ne qua ingruat quod menti caliginem possit

Pueri & senes obliuiosi, sed diuersa ratione.

Cerebri temperies memoriæ præsidiũ.

Simile a ferri ac chalybis natura.

Memoria naturæ munus arte iuuatur.

offundere: plurimum enim confert ad memoriæ præsidia, corporis animiq. vigor, aëris salubritas, cerebri temperies, sensuum omnium optima constitutio; spiritus animalis ac vitalis, qui ab humoribus promanant, lucidi minimeque turbulenti. Hæc enim efficiunt, vt omnes animæ facultates, inter quas memoria præcipuas partes obtinet, vigescat, nec quidquam earum rerum, quas vel aspectu, cogitatione, ingenio, doctrina, meditatione concipimus, mente excidat, aut aboleatur; quamquam enim sopita visa sunt & obliterata, postliminio menti ingeruntur, ac velut recens transacta oculis obiiciuntur; sic vt hesternorum immemores, acta pueritiæ, quæque reuolutis aliquot lustris, atq. annorum spatiis menti animoque infixa erant, reminisci nos contingat ac recordari, hac, opinor, ratione quod auide atque attente, summaque admiratione tenella ætas, quæq. adolescit atque ad capessandas præceptorum traditiones prompta sit, alacris, expedita, erecta. Siquidē quum nondum rerum ac verborum mole mens obruatur, nec negotiis, vllisq. occupationibus grauioribus sit distracta, tenacius inhærent quæ primis annis animisque puris instillantur. Cæterum quum Memoria rerum in priore capitis parte quæ sinciput dicitur, concipiatur, vbi sensus primarius seu communis viget, tum vero quæ eius munere parta sunt in posteriore seu occipitio reconduntur, atque asseruantur. Quocirca consulto faciunt qui nucham ac ceruices a frigore ventisque tuentur ac muniunt: nam hæ partes affectæ epilepsiam, lethargum, stuporem, paralysim, tetanum, obliuionem inducunt. Quamobrem omnia ea amoliri par est, quæ memoriæ officiunt, aut vllam illi iacturam inferre possint. Quoniam vero multa animo obuersantur, atque in memoriam recurrunt etiam inuitis ac repugnantibus, quæ obliuionis tenebris obruenda potius, quam ea

Ratio cur pueri ante-actorum memores.

Nucha & ceruices munienda.

Obliuio aliquando grata.

ea patiamur diutius menti inhærere, vt inhonesta quædam, ac vitiose parumque decore peracta; plurima autem quæ meminisse expedit, ac salutaria sunt, excidunt, horum accurate habenda ratio, ne vt vulgo fit, istarum rerum delectum ac discrimen sustulisse, aut non obseruasse videamur: quamobrem quæ quisque meminisse velit, subinde ab animo reposcat, atque in mentem reuocet, eaque crebro meditetur ac reuoluat: quæ vero excussisse velit atque obliuisci, tamquam noxia ac menti perniciosa, iis ratione ac iudicio acriter obsistat atque obluctetur. Vti enim natura comparatum est, vt mens humana quæ ab integritate delapsa est, pessima pro optimis amplectatur, eaque promptius concipiat atque addiscat: ita quoque tenacius ac fixius inhærescunt deteriora, adeo vt ægerrime excuti queant. Quæ res effecit, vt Themistocles ab illo qui artem memorandi profiteretur, sciscitatus sit; *Essetne ars aliqua quæ nonnullarum rerum obliuionem polliceretur; meminisse dum libet, sed non æque facile quæ se præter voluntatem menti ingerunt, obliuisci.* Sunt enim quorum obliuio nobis gratior est, quam memoria: sic vt plerique grauate ferant, obductas cicatrices refricari, ac redintegratione quadam iam pridem sopita sepultaque in mentem reduci. Quo spectat Prouerbium; *Malum quod bene conditum est, ne moueas.* Cæterum quum multa passim apud Rhetores obuia sint atque exposita quæ memoriam fulciunt, multaque illi adiumenta pollicentur, non visum est operæpretium, lectorem iis commemorandis demorari, eoque magis quod pleraque operosa sint, ac vix anxia cura obseruari queant. Siquidem ingenii mentisque acies huiusmodi præceptionibus hebescit, ac natiua memoriæ vis obruitur. Inter alia autem stabiliendæ memoriæ præsidia, hoc præcipue spectari debet, vt corpus salubre consistat, nec vllis morbis præsertim qui capiti noxam inferũt,

Memoria rerum renouanda.

Natura vitiosa in deterius prona.

Themistocles obliuionẽ quare optauit.

Obliuio rerumquando expetenda.

Prouerbiũ.

Nõmouenda noxia.

Sanitas memoriæ robur.

expositum. Somnus sit moderatus, corpore non in dorsum, sed in latus exporrecto; animus tranquillus ac placidus; mens sedata, omnibusq. superuacuis ac negotiosis occupationibus libera. Atqui cum hæc animæ facultas fragilis sit & delicata, nulla re grauius afficitur, quam cruditate, luxuria, intemperantia, crapula, ebrietate. Interim in excolenda fouendaque memoria, omnia acciri debent adiumenta, omnia adhiberi adminicula, quibus illa fulciri possit & augescere; inter quæ est assiduus legendi discendique vsus & exercitatio, adhibito ordine, ratione, ac modo, excussa tumultuaria ac confusa lectione. Nihil est quod magis cura, studio, industria, diligentia, cultu vigescat ac roboretur; nihil quod æque incuria, ignauia, oscitantia, inertia, intercidat atque obscuretur. Et quemadmodum vanitas est, vt is ait, & iactatio circa memoriæ miraculum arte potius quam natura gloriari; ita sapientis ego iudico, naturæ dotes atque animi mentisque munera, vt agros excolere, ac fœcunda efficere. Iam vero vt aliqua præcepta medica referam, quo minus hic fundus sterilescat, hoc meminerit qui hanc vim stabilem præstare velit, cænandum parcius; aut si largius cænatum sit, inambulet, festiuus videri affectet, nihil serii meditetur, aut se anxiis ac scrupulosis rebus defatiget: vbi vero inter somnum ac cænam sesquihoræ interuallum intercesserit, quieti se dedat, ac lateri incumbat dextro; diluculo experrectus omnes meatus expurgandis proluendisq. excrementis destinatos exoneret; primum linguam defricare pergat; caput eburneo pectine placide demulceat, capillos sibi adimi patiatur, præsertim si anni tempus, regio, consuetudo id exposcat: nam hibernis mensibus id tentare, cæloque Aquiloni ac polo arctico exposito non minus insalubre est quam ridiculum: adimunt enim sibi naturæ præsidia ac munimenta quæ frigus arcent,

Memoria pernicies cruditas ex crapula.

Ad Herennium lib. 3. titul. 7.

Memoria cænã parcam exigit.

Præpostera capitis tonsura.

cent, atque externis iniuriis obſiſtunt, aliaque aſciti-tia tegmenta capita applicant. Vbi vero aura placida eſt, regio temperata, cælum nec aſperum nec rigidum, raſo eſſe vertice non improbo: effumant enim liberius vapores denſi qui memoriæ officiunt. Itaq. videntur mihi ſalubri conſilio plerique, qui nonnullis Diuis addicti ſunt, atque illorum inſtitutum profeſſi, non ſuperſtitionis ratione geſtare caput glabrum, atque ad viuam cutem detonſum: ſubleuantur enim hac re omnes qui pituita, qui catarrhis, qui dolore capitis conflictari ſolent, aut quibus ex humorum redundantia caligant oculi, aures obſurdeſcunt, nares obeſæ atque obturatæ, ſic vt in morbis quibuſdam capitis, in mentis alienatione, deſipiētia, delirio, phreneſi, mania, melancholicis affectibus, furore, inſania, conſultum viſum ſit medicis abradi capillos: quod ipſum non vanum exiſtimari velim, cum quiſque experiatur, adornata comptaque barba, vel ea penitus adepta hilariorem eſſe ſe, minuſque moroſum. Quin multis conſultor eſſe ſoleo, qui vitioſis ſunt oculis ac caligantibus, qui ſurdaſtri ſunt, aut grauedini obnoxii, vt frictione capitis, barbæ raſura, aliaque illarum partium commoditate vtantur, atq. vt cuiq. nationi peculiare eſt, tonſoris opera illas partes permulceri patiantur; non ſolum enim venuſtior quiſque efficitur, ſed animo miiore, magiſq. tractabili; ſic vt mens exhilareſcat, ac it erectior, memoria magis eluceat, ſpiritus qui ad quaſuis actiones nos impellunt, excitentur, omneſq. enſus paulo ante ſopiti ſe proferant atq enitefcant. Quod ſi os, fauces, palatum ſubinde colluat, dentes efricet, nares emungat, aures a ſordibus ſcalpello xpurget; pectus tuſſi, ſcreatu, ſternutamento, popimate dilatare non deſinat, parteſq internas, ventriulum, lienem, iecur, inteſtina, aluum, veſicam ſuis xcrementis exoneret: non ſolum memoria, ſed

Memoriæ raſum caput cōfert, nonnullis officit.

Memoriā barba raſa adiuuat.

omnia mentis organa, ac singulæ animæ facultates citra offensam munere suo defungentur. Quoniam autem magna ex parte frigida humidaque qualitas memoriam infestat, illamque obruit, hæc contrariis est expugnanda, iis scilicet quæ humorem superuacaneum absumunt, ac cerebro robur conciliant; vt sunt nux myristica seu muscata, præsertim, quæ non exucca est & cariosa, rosmarini flos, eiusque frutex, & quidquid ex his confici solet; amaracus, melissophyllon, vulgo melissa; vtriusque differentiæ stœchas ab insulis nomen sortita, pæoniæ radix, eiusque baccæ, fruticulus quem viscum vocant, satureia, hyssopus, thymbra quam vulgo nescio qua inducti ratione, nunc origanum vocant, quæ alia est a cunila, odoris saporisque inter elixas carnes gratissimi: nam hibernis mensibus non exolescit aut emoritur: quibus accedunt betonica, verbasculus odoratus, vulgo herba paralysis, maron, vel origanum vulgare, aut siluestris maiorana, ocymum quod basilicon vocant, vtriusque differentiæ iridis radix, inula, vulgo enula campana, raphanus, hoc est, radicula quæ æstate nusquam non mensis infertur ad acuendam appetentiam, atque edendi auiditatem: inter exotica autem & peregrina zedoarium, caryophylli, macer quæ nucem muscatam ambit, zinziber, præsertim viride ac melle conditum, acorus non adulterinus, casia ac cinnamomum, carpesium vulgo, vt opinor, cubebe, myrobalani conditi seu in melle asseruati. Horum pleraque vel in syrupos redigi possunt, vel in pulueres aut condimenta reduci, vel eorum decoctum sumi aut dilutum; ab iis præsertim qui loca frigida humidaque incolunt, ac natura pituitosi sunt. Nam seniculis aridis, exhaustis, irrigari postulant quum corpus tum sensuum instrumenta, ac suaui alimentorum rore madescere ac perfundi, vt sunt cortice citri, hoc est, mali Medici conditi, glycyrrhiza, nymphæa

Memoria quæ conferunt.

Herbæ quæ mentem acuunt.

Thymbra alia a cunila.

Memoria remedium vbi ex frigiditate & humiditate contractum est vitium.

Memoria quæ exigit a siccitate orta.

phæa, vulgo *nenuphar*, buglossus, & quæ nobis borrago dicitur, vuæ passæ exemptis vinaceis, passulæ Corinthiacæ, quæque moderate calefaciunt & humectant: Cuius generis sunt mel, zaccharum, vinum subdulce ac minime austerum, butyrum atque oua recentia, nuclei pini, amygdalæ dulces non rancidæ, nec vetustæ, pistacia, castaneæ mollius tostæ, auellanæ; nam iuglandes memoriæ officiunt, vt etiam cepe quod oculis caliginem infert vapore calido, vt lactuca frigido, somnifica vi ac soporifera; rapa vero ac napi cocti aut elixati, si quem experiri libeat, oculorum claritati adminiculantur, illisque fomenta ministrant ob calidi humidiq. flatus copiam, qua & semen augent ac Venerem stimulant, si gingibere condiantur. Quod vero ad cerebella attinet, nihil perdicum efficacius in erigenda memoria, nec magis præsentaneum; quibus accedunt passerculorum, omniumq. alitum quæ agilitate pollent ac se volatu exercent, de quibus aliàs. Caput lotionibus fatigare, quamquam id pleriq. non improbant, nulli persuasum cupio; reddit enim craneum imbecille, atq. ad lenissimam auræ iniuriam distillationibus ac catarrhis expositum, pedes vero abluere ex decocto foliorum lauri ac rosmarini, feniculi, non equidem improbauerim; auertit enim a capite vapores ac fuliginem quæ mente offuscat. Quo vero fumi reprimi possint, ac cerebrum minus vaporum concipere, peracta cœna aliquot Coriandri grana prius macerata aceto in quo samsuchus decoctus sit, mox zaccharo incrustata ac tenuiter inducta, occluso ore dentibus conficiantur; dici vix queat. quantum memoriæ profuerit: nec minus efficax est id, quod ex cotoniis conficitur, si ab assumpto cibo nonnihil assumatur; discutit enim fumos, ac prohibet vapores sursum eniti; quod ipsum etiam præstant aliquot grana mastichis deglutita. Odorifera quoq. idētidem naribus

Cepe oculis & memoriæ noxiū.

Lactuca visum obtundit.

Rapa spiritus visorios instaurat.

Cerebella quæ memoriæ psint.

Caput non fatigādum lotione.

Coriandrū incrustatū.

Diacydonion vulgo carnes cotoniorum

admoueri debent, præsertim quæ sunt vibrantis naturæ ac calorifica; vt lignum aloes, caryophylli, rosmarini flos, ocymum, nigella, succinum orientale, quod ambra grisea vocatur, zibethum, rosæ rubentes, caprifolii flos, spica Celtica, multaque alia quæ nullam grauitatem expirant, sed iucundum gratumque odorem exhalant. Omnia enim hæc spiritus recreant, suoque effluxu cerebrum reficiunt. Quod si res propemodum deplorata sit atque ad extremam obliuionem quis deuenerit, vt in lethargo, foris nucha & ceruices inungi debent oleo castorei, nigellæ, euphorbii, costi, erucæ; intus vero momentum exhibeatur confectionis Anacardinæ, aut ipsa lingua defricetur: dissoluit enim extreme frigidam humidamque ac viscosam pituitam: sic vt apoplexia perculsis loquelam restituat, linguamque hærentem refulciat, quod ipsum & oxymelle scyllitico perfici potest, ac vino ardente, in quo grana aliquot erucæ macerata sunt; ad hæc enim tamquam ad sacram anchoram confugimus in deploratissimis morbis; in mitioribus vero alia iam memorata adhiberi possunt, vt serapion de stœchade, dianthos dulcis, aurea Alexandrina, diacastoreum, pliris cum musco, theriaca ac Mithridaticum. Experimento autem ac quotidiano vsu comprobatum est Agallochum, quod vulgo lignum aloes vocatur, vel suffitum, vel naribus admotum mirifica esse vi in corroborando cerebro ac sensibus excitandis, adeo vt si in puluerem redigatur admixtis aliquot caryophyllis, atque osse de corde cerui, eaque oleo nigellæ commisceatur, eas vires conferre cerebro; vt si galli gallinacei vertex eo oblinatur, cantillare ac crocire non desinat.

Mens odoribus recreatur.

Memoria deplorata vt instauranda.

Anacardina cõfectio memoriæ vtilis.

Quid loquelam restituat.

Vt loquela restituatur apoplecticis.

Agallochi aut ligni aloes vis.

Gallus vt continẽter & indefesse cãtillet.

De

De Calidi & sicci corporis statu & habitudine: obiter qua sit natura, conditione, ac moribus animiq; propensione homo biliosus seu cholericus.

CAP. V.

QVum nihil sit in externis naturæ rebus diuturnum ac stabile, nec quidquam vigorem suum onstanter tueatur, sed omnia iacturam patiantur c vergant in deterius; tum humanæ quoque res vaias mutationum vices subeunt, grauesque lapsus atue inclinationes patiuntur: sic Calidus & humidus orporis status ætatis progressu ad calidum siccumue habitum deuoluitur. Siquidem calor humorem atiuum sensim taciteque absumit ac depopulatur, otique corpori siccitatem adfert, quæ qualitas ad roferēdam vitam naturæ est aduersissima. Vt enim ccensis cereis ac funalibus flamma pabulum & quo litur fomitem depascitur, quo exhausto, vtrique xtinctio imminet & interitus; ita insitus calor sucum geminum quo subsistit ac fouetur, pedetentim minuit, sibique atque vniuerso corpori exitii caum ministrat. Corporis autem constitutio quæ ex alida ac sicca qualitate emergit, ab eaque appellaionem sortitur, adaucto per eas qualitates humore eruido, hominem biliosum constituit, ob flauam cilicet bilis redundantiam: cuius humoris duo contituuntur discrimina; vnum naturale, alterum uod præter naturam corpori inest. Naturalis auem bilis excrementum est concocti sanguinis sapo e amaro, colore vero effectuque igneo. Flauescit eim ac splendida est, vbi hepatis calor moderatus xistit; vbi vero viscus hoc plus satis accenditur, eullit quoque bilis atque efferuescit: illique color in uteum obscuratur; qualis conspici solet exoticus ille liquor aut zythus qui Belgis *Iopenbier* nominatur, ut vbi oleum ac butyrum liquefactum vritur,

Omnia mutatione obnoxia.

Simile a cereis ac funalibus.

Homo cholericus.

Bilis naturalis & præter naturam.

Simile a ceruisiæ & olei colore.

nimioque feruore torretur, atque ignescit; quo fit vt fuluus color in opacum atrumque colorem demigret, qui etiam in externa cute nonnumquam se profert, vbi diffusus biliosus humor in cutem erumpit. Flaua autem bilis geminum in corpore munus obit: nam pars eius sanguini mista transit in venas, quo is commodius angustos quosque meatus penetret, atque ad membra quæ bilis nutrimentum exposcunt, deferatur. Pars cætera ad fellis folliculum, iecoris infimæ parti adnexum relegatur, mira solertia id prouidente naturæ opifice; vt cui visceri attrahendi perficiendique alimenti vim admirabilem esset elargitus, conceptaculum quoque superuacanei inutilisque humoris adiungeret, ne quid incommodi ad reliqua membra hinc possint deriuari; siquidem bilis eius est naturæ, vt vim igneam proferat, cuius motu atque agitatione velut face subdita, excandescimus atque animo concitamur. Vnde apposite, Ira definitur ardor & ebullitio quędam sanguinis circa cor, qua cerebrum quoque incalescit ab humore bilioso excitata, quæ si quando illata est iniuria, vltionis est auida. Inferioribus vero partibus eum vsum præbet vt intestina ad excrementorum deiectionem extimulet, irritetque: cuius rei causam prouida solersque natura excogitauit ac emolliendisq. huiusmodi superuacaneis humoribus, nempe renes atque vrinarios tramites, intestinum ieiuunm, quod ab influente bilis acrimonia continenter excrementa excutit, vesicam, aures, & subcutanea spiracula, quæ pori vocantur, discutiendis sudoribus destinata; quorum pleraque si obstructione laborant, totam noxii humoris colluuiem intus cohiberi contingit, atque in præcipuas aliquas partes impetum facere. Sic vbi folliculus fellis seu bilis flauæ receptaculum, ea sentina quam ab hepate exhausit, exonerare se nequit, illam vel in ventriculum, vel in iecoris cauitatem

Flaua bilis munus.

Ira quid & vnde.

Bilis per quas partes expurgatur.

tatem refundit: quo fit, vt per vniuersum corpus bilis effusa sanguinem quum qualitate sua, tum colore inficiat: hinc Ictericus & morbus Regius, sic dictus, quod exquisitissimum victum ac mensam regalem exigat, qui corpus vndique auriginosum efficit, hoc est, luteo ac flauo croceoque colore perfusum vt argentum incrustatum auroque obductum. Quod si gracilia intestina, seu Ilia affici contingat, intolerandi cruciatus, clamosique dolores ac torturæ excitantur. Ilion hoc malum vocant, & conuoluulum, quod ad chordæ similitudinem intestina conuolui ac contorqueri videantur. Contrahitur autem hic morbus vel ab inflammatione, vel ab aridi tostique stercoris obstructione, quum biliosi humoris minor copia eo confluat, quam vt excrementa possint excuti, ita si superior intestini pars affecta est, cibus; si inferior, oleta per os egeruntur, podice tam arcte occluso, vt ne flatus quidem ab illo prodeat: multos præterea affectus flaua bilis parit, vt tertianas, vrentesque febres, vbi extra venas illi putrescit: verum quum in Medicorum libris passim obuii sint & accurate descripti, illorum narratione supersedendum existimo. Cæterum quæ sit calidi & sicci temperamenti, denique biliosi hominis natura & conditio, tum quibus argumentis deprehendi possint, obiter indicandum. Principio, vt externas notas persequar; Corpus huic constitutioni calidum, gracile, macilentum, musculosum, longitudine decenti ac moderata; quorum plerique tametsi statura pusilla conspiciantur, ac minus procera, alacres tamen sunt, erecti, agiles, inquieti, atque vt apes insecti genus exile & minutum,

Morbus Regius vnde dictus.

Ictericus inauratus.

Iliaca passio.

Nota calidi & sicci status.

Simile ab agilitate apum.

Ingentes animos paruo sub corpore versant.

Virg. lib. 4. Georg.

Color vero iis fuscus aut rubore quodam perfusus, præsertim vbi incandescunt, aut incalescit exercitatione corpus, plerisque autem pallidus aut sub-

luteus, cutis hiſpida arteriis veniſque amplis ac conſpicuis (neque enim ſub carne deliteſcunt) vt quam ſimul cum adipe calor diſſoluat, vrina rubicunda, crocea, flaua pro bilis ac feruoris ratione: pulſus citus ac velox, vti etiam inceſſus; lingua volubilis & expedita; capillus vero niger, pleriſque criſpus, atque intortus, vbi calor & ſiccitas eſt intenſior, qui ſerius caneſcit, at ob ſiccitatem cito defluit; naſus magna ex parte aquilinus & aduncus: nonnullis autem præſertim Germanis, Sarmatis, Pannoniis ac Belgis rutila barba, ac flaua cæſaries, quod euenit ex ſplendida lucidaque ac ſyncera bili, quæ a calore feruido non deuritur. In Belgica autem a popularibus notari ſolent Ænobarbi, hoc eſt, rutila æneaque barba inſigniti, aut quibus capilli rufeſcunt; quod illorum moribus aliquid vitii ſubeſſe cenſeant, aut improbitatis quandam maculam in animo menteque occultari ac reſidere. Vt enim Themiſtoclis pædagogus nihil mediocre in illo futurum pronunciauit, ſed aut inſigne Reipubl. commodum, aut detrimentum: ita Belgæ quoque dictitant ab eiuſmodi hominibus aut ſperanda optima, aut deterrima. Quin & hæc iactatur Prouerbialis ſententia, *Roter Bart ſelten gut, offt van Iuden art*: hoc eſt, luteæ aut flauæ barbæ homines raro laudatæ eſſe indolis, aut ſpectatæ integritatis: quod in vita ac moribus omnique actione improba quædam calliditas, & inſidioſa aſtutia lateat, quæ in negotiis, contractibus, mercaturis, alterius diſpendio ſe prodit, ac palam facit quibus ſint artibus & fallaciis inſtructi. Quod vt in pleriſq. eius notæ hominibus, quoniam laudabilis deſit inſtitutio, obſeruari fatear; ita complures commonſtrari poſſe video, quibus is color, ac barbæ apparatus ad ſummum decus & ornamentum nihil officiat, quin potius ad decorem ſit adiumento: paſſim enim in aulis principum, in conſeſſu cœtuque procerum,

Unde flaua cæſaries.

Prouerbiũ in rubenti barba homines.

Themiſtoclis ingenium.

Suſpecti ænobarbi.

Barba rutila non ſemper improbum deſignat.

inter

inter negotiatores honestos, & quotquot præ cæteris Aquilonios tractus occupant, multi conspiciuntur virtutis spectatæ ac singularis prudentiæ, qui in rerum publicarum functionibus præclare se gerunt, omnibusque se integros præbent & inculpatos: vt vir illustris Petrus Carbonarius Brugis oriundus, qui non vni suo Lemnio, sed optimatibus quibusque vnice charus acceptusque est; qui sibi demandatas ac commissas legationes, quæsturas, prætorias functiones summa cum laude obit atque exequitur. Quod autem trioboiares quidam, infimæque sortis homines ea barbæ specie & colore futiles sint, pleni rimarum, qui hac atque illac profluunt, nec quidquam pensi habent, aut frugi sunt, corruptæ educationi tribuo, quæ naturæ procliuitatem ad vitiosos mores pertrahit: hinc enim efficitur, vt quisque tales inconstantes experiatur, fallaces, subdolos, vafros, astutos, ingenio vario, versatili, versipelli, πανούργῳ; obiter Punica lubricaque fide, ita vt in negotiandi contractibus non desit consultum illis fidere; vt qui tamquã anguillæ ac murenę, elabantur, atque in negotio quamlibet intricato se expediant atque eluctentur. Quibus si accedant alia corporis vitia, deterior est illis naturę cõditio, magisq. improba. hinc scite Martialis;

Petrus Carbonarius.

Unde praui rutilorũ mores.

Homines lubricæ fidei.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus:
Rem magnam præstas Zoile si bonus es.

Lib. 6.

Quæ vis illis indita est partim ab astrorum influxu, nempe Solis & Mercurii vi; partim quæ mihi videtur præcipua ac potior, ob humoris biliosi ac spirituũ tenuitatem, quæ calore subtili perfusa ad huiusmodi actiones illos incitat atque impellit. Sunt præterea inter hos variæ conditionis homines, nempe ardeliones, hoc est, homines inquieti, clamosi, feruidi, volubiles ac præcipiti quadam dicendi celeritate, quibus vt apposite Iuuenalis;

Ardeliones qui.

Satyr. 3.

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus & Isæo torrentior, obiter illos
Esse putes quemuis hominem; tum dicier apte
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schenobates, medicus, magis omnia nouit.

Quales fere conspici solēt pantomimi, histriones, circulatores circumforanei, agyrtæ, hoc est, qui plebem ad nugas conuocant, rabulæ, spermologi, buccentæ, qui incessu, manu, vultu, oculis, voce, gestibus actuosi sunt ac iactabundi, omnibusque se negotiis, contractibus, actionibus, conciliabulis, sodalitiis immiscent atque ingerunt. In somno tumultuosi vt qui exiliant, ob feruidos spiritus qui etiam sopore oppressos erigunt atque ad motum incitant, Multifariam enim flaua bilis mentem hominum informat, variosque mores, studia, animi propensiones ac motus profert. Hinc siquidem euenit vt quicunque calida & sicca constitutione existit, atque inter cholericos censeri soleat, ferox sit, imperiosus, indomitus;

Hor. in art. Poetica.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
Iura negans sibi nata, nihil non arrogat armis.

Iuuē. sat. 6.

Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Qui tamen vt leni momento incandescat, ac sit natura irritatior: ita subsidente bile cōfestim deferuescit ira, ac redditur placabilis. Cæterum quum præter flauam bilem quæ vua naturalis dicitur, plures sint humoris huius differentiæ, ac sua cuique natura & conditio, de singulis obiter differendum. Principio a flaua bili procreatur pallida, eo quo malum Medicum quod citrium vocant, colore, ex viridi in luteum languescens: viget autem ineunte vere vna cum sanguine iuuenili, & quod in dies adolescit corpore; quo fit vt ea ætas illo anni tempore tertiana febri infestari soleat, siquando is humor obortis obstructione, putrescit atque extra venas effusus in-

Pallida bilis, vulgo citrina.

Febris terțiana vnde.

flammatur: cui affinis eſt ſpuria nothaq. tertiana, ſic dicta, quod non ex ſyncera flaua bili, ſed nonnulla pituitæ parte excitatur. Nam æſtuoſa febris, quæ καῦσος Græce ab ardore dicitur, ex rubra cholera intra venas concepta putredine, accenditur, quæ deliria ac phreneſim, mentiſque alienationem inducit. Siquidem ſic affectis abſurda quædam ſimulachra animo obuerſantur, ac mentem formidine nocturniſque facibus trepidantem;

Febris æſtuoſa.

Exagitat veſana quies, ſomniaq. furentes,
Atque aliena premit vani terroris imago.

Luc. lib 7.

Omnia ſiquidem iis cõflagrare videntur, atq. ædificia, villa, prædia incendi funeſtiſque cædibus ac tumultu bellico omnia compleri, quorum pleraque etiam citra febrim euenire ſolent, bilis fuligine ac fauillis in cerebrum delatis. Quæ ſi quando corpori mentique infeſta eſſe pergunt, confeſtim expurgata bili vomitu, ſudore, alui deiectione, quæ radice Pontica perfici poteſt, atque vrinam prouocantibus, vt eſt veſicaria, aſparagus, apium hortenſe, aniſi & feniculi ſemen immutanda victus ratio; reiectiſque calidis, pinguibus dulcibus quæ in bilem promptiſſime tranſeunt, præter vuas paſſas & glycyrrhizam, hoc eſt, radicem dulcem, exhibenda quæ ſanguinis feruorem temperant diluuntque. In primis autem ſomnus inducendus lactucis atque acetariis, quæ cerebrum omneſque partes humectant ac reficiunt. Quum autem calidis & ſiccis omnibuſque bilioſis multa noxia ſint & pernicioſa, tum nihil immodico labore, vigilia, inedia, iracundia, Venere immoderata nocentius. Singula enim horum vires exhauriũt ac depeculantur: neque enim aridis ac macilentis quidquã adimi poteſt, quin potius ſaginari poſtulãt, atq. vt pecudes opima irriguaq. paſcua; ita illi delicatas menſas exigunt. Quemadmodum enim arbores & virgulta quæ ramis & fronde minus luxuriant, pu

Bilioſis terrifica ſomnia.

Bilis qualiter purganda.

Somnus bilioſis vtilis.

Simile a ſaginandis pecoribus.

Simile ab arborum putatione.

tationem respuunt, nec coërceri ferro sustinent; ita extenuata corpora, & quibus multa desunt, quod ad firmum corporis habitum spectant, nulla sui parte mutilari, aut iis quidquam eripi debet. Cæterum alia est bilis species quæ a naturali ratione ac modo excessit ac degenerauit, Vitellina medicis dicta ab ouo luteo, cuius colorē refert & consistentiam: nam immodico calore crassescit, atque igneum intenseque luteum colorem concipit, quam si putrescere contingat, atque inflammari, ardentissimas illa febres excitat. Quocirca cum hæc bilis a mediocritate desciuit ac delapsa sit, contraria instituenda victus ratio, quæ extraneam qualitatem demoliri possit atque excutere: nam si similibus nutrimentis illam fouere tuerique pergas, exasperabis intemperiem, atque oleum flammæ adieceris. Est & alia bilis species Porracea, a porri virore nuncupata: nam viridescit atque herbáceo colore conspicitur, quæ in ventriculo ex vitiosis prauisque succis gignitur, atque oleraceis, cuius generis sunt allium, porrum, cepe, nasturtium, eruca, brassica, beta, cherephyllon: quum enim huiusmodi alimenta a natura domari vincique nequeant, ac concoctione in salubrem succum elaborari, ex his porracea bilis conflatur, quæ nonnumquam vomitu excussa, linguam & fauces amarulento acutoque sapore imbuit ita, vt ægre suauiori liquore elui queat atque aboleri. Solet quoque noxius is humor nonnumquam in iecore ac venis ex grauissimis morbis produci, si quando bilis lutea deuritur vehementi extranei caloris incendio, quem vomitione excussisse perniciosum atque exitiale Hippocrates pronunciat. Ex hac producitur aliud etiam excrementum tum reliquis deterius, ab æruginis similitudine Æruginosa bilis vocata, quæ ex porracea vehementius deusta conficitur. Siquidem excocta intensiore calore humiditate inarescit,

Vitellina bilis.

Oleum camino adiicere.

Porracea & prasina bilis.

Lib. 2. prædict. c. 39.

Æruginosa bilis.

atque æruginis speciem æmulatur, quod ex ignitis rebus, quibus bilis natura aptissime componi potest, dilucide perspicimus: nam ignis vis primum in candentes prunas ligna demutat, deinde in atroces carbones, postremo deflagrante prorsus igne sopitoq. calore, in cineres: ita in corpore humano, primo crocea bilis conficitur; deinde inualescente calore præter naturam porracea, cui succedit æruginosa, postremo glauca ac cærulea, quod Glasti & Isatidis herbæ qua fullones ac tinctores pannos inficiunt, co-lorem referat, qui postremo in exactam atram bi-lem trasmutatur. Quæ bilis species venenatis qua-litatibus imbutæ, mentem malitiosis moribus, cor-pus vero fœdis morbis contaminant; quorum pars magna ægre expugnari possunt, ac medicantis opem respuunt, vt sunt Carcinomata, cancri, phagedæna, ab exedendo nomen sortita, mentagra, morphea, carbunculus, sacer ignis, qui vulgo Antonio ascri-bitur, herpes, Estionemus, quam aulici, qui fere illi obnoxii sunt, Lupum vocant, nam cutem exhulce-at, ac carnem ad ossa vsque depascitur, illaque cario-a efficit, ac membro vitam sensumque doloris adi-mit; quibus accedunt complures alii formidandi ac contagiosi morbi, quos hæc humorum colluuies secũ deuehit, sic vt non aliud, quam olidum & putre ca-dauer homines circumferant,

Simile ab igne & carbonibus deflagrat. Glastum vveet.

Bilis malignitas.

Lupus morbus.

Atq; artus fœda sanie, taboq; fluentes.

Virgilius Æne. 1.

De frigido & sicco corporis habitu; cui quoniam homo Melancholicus subest, atq; atræ bili obnoxius, illius quoq; natura & conditio explicatur, quaq; ratione expugnari possit edocet.

CAP. VI.

FRigida & sicca qualitatum coniugatio habitum cõstituit longe deterrimum, quum.n. vitę salus & conseruatio in calido & humido consistat; cui cedo

illa qualitas & corporis constitutio approbari posset, quæ vitæ fomenta ac valetudinis præsidia conterit ac depopulatur? Videmus enim in tota natura rerum ac vicissitudine stirpes, animantes, homines, quæque spirant, si quando calida & humida qualitate spoliari contingit ac destitui, spectare ad interitum. Neque enim Mors aliud statui potest, aut aptius definitione explicari, quam vitæ ac spirabilis naturæ abolitio, atque interitus, primarumque qualitatum quibus humores subsistunt ac fouentur extinctio. Siquando itaque ad has qualitates deuentum sit vel ex morbi conditione, ac natura, vel ætatis ratione atque annorum decursu, quisque sibi mortem imminere persuadeat, ac non procul abesse vitæ terminum; nam incertos atque inopinatos casus qui omnibus momentis cuique nostrorum impendent, huc non referendos duco, quod præter naturæ rationem ac violenter ingruant, vitamque præmature depopulentur: qui vt nemini terrori esse debent, aut metum incutere, vbi vel iter ingreditur, vel mari se committit, quum Christiani hominis sit successum euentumque totius negotii, diuinæ prouidentiæ cu[ræ] innititur, commendare: ita etiam in hoc corpori[s] habitu cui extrema minantur, non est quod spes in[] fringatur aut languescat curandi corporis industria[,] sed dum aliquid vitæ superest, ea adminicula ac fo[] menta adhibere non desinat, quæ vsui esse possint i[n] producendis annorum spatiis, nam multa nobis De[i] munificentia suppetunt, quibus id cumulate perfi[ci] possit; vt enim arbores infœcundas, cultu atque in[] dustria feraces reddimus, atque agros steriles, longo[] que arandi serendique vsu exhaustos, stercorand[o] instauramus, ac restibili fœcunditate postliminio [] menti messique reddimus idoneos: ita quoque co[r] pora arida atque ad siccitatem inclinata aliment[is] naturæ fouendæ accommodis erigimus atque ad d[e] stinatu[]

Mors quid.

Homo multis casibus expositus.

Securitas hominis Christiani vnde.

Non despondendus animus.

Simile ab arborum & agrorũ cultura.

ſtinatum præfixumque vitæ terminum, tamquam ad optatum portum prouehimus; cuius rei potiundæ ſpem, ac conſequendę productioris vitę fiduciam, nemo, ſi æquus ſit rerum humanarum æſtimator, improbare poterit, modo erecta in opificem, penes quem omnia conſiſtunt, mente ac voluntate, ad illam ſua quiſque vota referat, illiuſque arbitrio ſingula moderari fateatur. Cęterum quum humor melancholicus frigidæ & ſiccæ qualitati ſubſit, nec vlla ſtatui poteſt habitudo, quæ hinc emergit deterior, aut minus commodam valetudinem conſtituat, de huius conditione, natura, effectu, viribus, differentiis, & quantopere corpus animumque efficiat, diſſerendum. Eſt enim maxima hominum pars ineunte vere & autumno, quibus anni temporibus is humor redundat atque effunditur, melancholicis affectibus obnoxia, pręſertim qui rebus politicis aut ſtudiis literarum atque intempeſtiuis lucubrationibus ſunt addicti. Siquidem ex immoderata mentis agitatione natiuus calor extinguitur, ac ſpiritus quum animales, tum vitales attenuati euaneſcunt; quo fit vt exhauſto vitali ſucco ad frigidum ſiccumque habitum deuergant. Duæ autem conſtituuntur melancholici humoris differentiæ; vna naturalis, altera quæ pręter naturam corpori ineſt. Melancholia vero quæ homini natiua exiſtit ac familiaris, cęteris mitior eſt, minuſque infeſta. Nam cum ſanguine in venas delato, ſuæ ſortis ac conditionis membra alit, illiſque nutrimenta miniſtrat, vt ſunt oſſa, cartilagines, ligamenta, nerui. Eſt enim is humor decoctis ac liquatis quadrupedum pedibus non abſimilis, qui lentore quodam inter edendum digitis labriſq. vt viſcus, adhæreſcunt; quo fit vt retinendi vi ſanguinem imbuat, & reddat ſpiſſiorem; quoniam vero quando ſanguini ſubeſt, atque eius dulcedine diluitur, vt acerba vua melle vel zaccharo, ob id ſapori exiſtit non acido

Quatenus aliquid optandum.

Melancholia nemo non particeps.

Lib. 2. Aphor. 20.

Studioſi melancholia expoſiti.

Melancholia duplex.

Melancholia cui humori ſimilis.

Simile ab elixatis animantum pedibus.

prorsus aut peracerbo, vt ea quæ fauces exasperant, sed subaustero, quem Ponticum vulgo vocant, qualis est maturescens vua ex qua mustum exprimitur, quum nondum exactam maturitatem consequuta est; quale desinente autumno e Germania ac Gallia in Belgicam defertur ad explendam hominum auiditatem ac desiderium, quod quum gustu sit acerbissimum vt linguam radat, melle ac fauo condiunt, quod fastidiosis magis sapiat, ac palato sit gratius. Atqui vt floces & amurca olei, vt fæx vini naturam ex parte refert; ita succus melancholicus qui a sanguine defluxit, eius saliuam gustumque retinet, quo circa minus apposite atra bilis hic humor vocari sustinet, quum nulla adsit adustio; sed vt Galenus ait, sanguis aut succus melancholicus, quæ nihil aliud est, quam siccior densiorque pars sanguinis, fæci qu[illegible] subsidet atque in imum dolii decumbit, vigoremq[illegible] vini conseruat ac prohibet euanescere, prorsus assi[illegible] milis. Et quemadmodum vini infimum seu floce[illegible] hoc est, purgamenta ac fæculenta proluuies, qu[illegible] *Droesen* Belgis dicitur & *moeder*, vel potius a lutulen[illegible] ta turbidaque fæce *modder*, vsui est nostratibus i[illegible] conficiendo vino caustico seu vrenti, quod aquæ v[illegible] tæ vel ardentis nomine plebi innotescit. Ita succ[illegible] melancholicus, qui, vt triuiali verbo rem designem, sedimen est & colamentum sanguinis, salutarem vsum habet atque vtilitatem: nam pars vna ven[illegible] subit, suamque operam sanguini præstat; altera [illegible] periori cognata & affinis, ab hepate in splenem de[illegible] uatur, quæ postmodum in ventriculum effusa, [illegible] sinistra parte incumbit, suaque acrimonia ad cib[illegible] rum appetentiam, atque edendi auiditatem stim[illegible] lat, irritatque. Est autem id viscus molle, rarum, fu[illegible] gosum spongiæ assimile, conceptaculum elicien[illegible] sanguinis fæcibus destinatū, quod plerumq ita t[illegible]

Qui sapor humori melancholico.

Simile ab acerbo villo

De locis affect. lib. 3. cap. 5.

Quid Belgis Droesen *in musto.*

Splenis vsus & natura.

get[illegible]

gescit, in eamq. molem attollitur excrementorum affluentia, vt hominem oppressurum videatur, quod ipsum queritur Plautinus leno Cappadox;

In Curcul. Act. 2.

Valetudo decrescit, accrescit labor.
Nam iam quasi zona liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios,
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

Quæ corporis pars quoniam agilitati officiat, ac veredariis, cursoribus, velitibus, ferentariis moram inferat, atque impedimento sit; persuasum fuit olim imperitæ plebi vel eximi id viscus, vel admoto cauterio aduri; quum absq. vitæ iactura adimi nequeat, vt nec castori amphibio, hoc est, ambigui generis animanti testes, quos nugantur venatores ab illo mordicus abripi, atque insequentibus obiici, quo vitam redimat: quamquam id viscus si supra modum intumescat, cohiberi potest ac reprimi absinthii Pontici ac vulgaris vsu, asplenio, polypodio, sena, epithymo, rosmarino, cappare, cassuta, fumaria, phyllitide, quę vulgo scolopendria, ac lingua ceruiua nominatur, amygdalis amaris, nucleis persicorum, tamarice ac mirica: nam si excrescat, corpus attenuatur ac macilentum efficitur, sic vt apposite Traianus imperator fiscum spleni pronunciarit assimilem. Vt enim vbi fiscus atque ærarium principum augescit ac locupletatur, atteritur populus; ita excrescente splene contabescit corpus ac macie conficitur. Quum itaq. excogitatum sit hoc membrum a naturæ opifice, vt hepar despumet, atque ab impuro lutulentoque sanguine reddat purgatius; modis omnibus efficiendũ, ne quid incommodi concipiat: siquidem liene obstructo aut imbecillitate affecto, succus melancholicus per corpus vndiq. diffusus fuliginoso ac fusco colore cutem inficit, mentique variis imaginibus ac spectris infestus est.

Splen agilitati officit.

Splenem non posse adimi.

Quæ spleneticis vsui.

Splen fisco assimulatur.

Traiano Cæsari.

Splen vnde risum moueat.

Quod si munere suo probe defungitur, ac sordes sanguinis exacte combibat, hilaritatis ac gestientis effusæque lætitiæ occasionem hominibus præbet: ex syncero enim atque a limosa fæce expurgato sanguine spiritus lucidi purique emanant, a quorum puritate mens exhilarescit, atque inter festiuos sodales in iocos, risus, facetias, lepôres, lasciuiam sunt effusi; quod etiam vuidis vinoque liberalius perfusis vsu venire solet, qui tametsi natura tetrici existant, atque in omni vitæ actione, fronte, oculis, superciliis, incessu seueritatem quandam præ se ferant, vbi vino incalescere incipiunt, atque inter præstantioris formæ nymphas versantur, frontem exporrigunt, omnemque ingenii ac morum asperitatem excutiũt.

Seueri vino exhilarescunt.

Melãchollici quando effusè hilares.

Sic noui spectabiles aliquot ac Senatorii ordinis viros vel ex naturæ conditione, vel vitæ assuetudine ab omni prorsus hominum contubernio alienos, facie vultuque seuero, caperata fronte, adductis superciliis, oculis toruùm intuentibus, & qui subinde in obliquum detorti, obuiis minitari videantur, ipsoq. aspectu terrorem incutere; qui tamen in puellari consessu, cœtuque Geniali derecta persona habituq. Stoico in obeundis saltationibus ac tripudiis persiciendis, agiles essent, & expediti; verum peracta nuptiali celebritate, rursus ad ingenium, ad pristinos mores, ad solitam grauitatem erat reditus. Quibus ego consultor esse soleo, vt huiusmodi sodalitiis se ingerant, illosque congressus crebro venentur; quo expoliri possint humanitatis vsu & consuetudine, atque ab illa personata seueritate desuescere, sibique ad connubii societatem aditum patefacere. Splenеticis itaque & quotquot natura mœsti sunt, mente que obnubila, moderatus vini vsus, corporis agitatio, hominum conuentus & frequentia, commodam valetudinem vitæque suauitatem pariunt: hac enim viuendi ratione, calor natiuus vires concipit

Tetrici assuescant sodalitiis.

Simile ab ignis agitatione.

atque

atque vt ignis crebro motu ſplendeſcere ac ſcintillare incipit, ſpiritus quoq. ſopiti exhauſta atri humoris ſentina, diſcuſſaq. fuligine, reuiuiſcunt, ac fulgore ſuo omnes ſenſus quorum mens vtitur miniſterio, colluſtrant, atque ad ſingulas actiones inſtruũt Quo mihi non prorſus abſurdum, nec a veritate alienum exiſtimari ſolet carmen id, tametſi triuiale ac minus elaboratum;

Mens ſapit, & pulmo loquitur, fel ſuſcitat iras:
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

A quorum viſcerum functionibus non excluditur cor, vitæ ac caloris inſiti fons, vitaliſque ſpiritus origo, vt cui vis adſit ac facultas in obeundis naturæ muniis vel præcipua; ab eo enim viri ſapientia celebres, ac rerum cognitione imbuti, Cordati appellantur; & qui ab iis remotiores, vocabulis deſignantur ab impotentia animi deſumptis, aliiſque affectibus qui a temperantia ac moderatione longe diſſident: hinc Socordes denominati, qui deſidiæ, languori, otio, ignauiæ ſe dedunt, quos noſtræ ætatis Theologi Acedioſos vocant, hoc eſt, tardos, improuidos, inertes, oſcitantes, deſidioſos, negligentes; quique iis rebus non inuigilant quæ optimi patris, ac ſeruatoris Chriſti nomen illuſtrant, nec ea conſectari curant, quæ illis ad beate viuendum ſalutaria ſunt ac fructuoſa. Vecordes vero cæteris deteriores exiſtunt, qui non aliud, quam fraudes, impoſturas, cædes, inſidias, incendia, proditiones, ciuium damna, ac patriæ clades meditantur, atque nefanda ſcelera animo menteque concipiunt; quæ internæ labes, ac mentis veſaniæ in oculis, facie, vultu, fronte, ſuperciliis, totaque externa ſpecie ac corporis habitu euidenter ſe proferunt, in quibus deprehenſi æſtuant, obmuteſcunt, hæſitant, diſſimulant, tergiuerſantur, diffidentur, aut ambigue ac perplexe reſpondent, denique vel culpam in alium transferunt, vt Adamus,

Cordis principatus.

Cordati qui.

Socordes qui.

Vecordes qui.

Mentis turbatæ ſigna.

Geneſ. 2.

vel ægre se expurgant; quale nobis exhibuit specimen apud Salustium Catilina homo factiosus, atque in patriam acciues seditionis facibus armatus; cui ex conscientia scelerum, ac mentis inquietudine, color exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat. Simili quoque furore Saul rex ad perpetrandas cædes multaque funesta impulsus est. Cain quoque iisdem furiis ac mentis stimulis agitatus, quod fraterna cæde cruentus esset, omnem sibi ademit salutis spem, omnem interclusit veniæ aditum. Quum enim Dominus patrati sceleris confessionem extorqueret, atque illum de immani crudelitate appellasset, Cain tamquam nullius sibi culpæ conscius, nihil compertum se habere testatur, quo loco hæreat frater, qua sit valetudine, quid rerum gerat, & quibus sit implicatus negotiis, impudenter se ignorare profitetur. Emergunt præterea ab imminuto corde menteque parum firma, a qua appellationem sortiuntur Excordes, quibus nonnulla melancholiæ pars subest, sed perexigua. Sũt enim rationis inopes, stolidi, insulsi, insipientes, stupidi, deliri, quos scriptores minus culti insensatos vocant; Diuus Paulus quum Galaras stultitiæ insimulat, ἀνοήτυς vocat, hoc est, crassos, indociles, tardos, stultos, ac rerum salutarium minus capaces, aut qui confestim ab instituto conceptaque doctriua resiliunt. Quocirca cerebrum seu mentis principatus tum cordis robore ac viribus consentit, mutuasque inter se operas conferunt; sic apposite cordati appellantur, in quibus viget mens, ratio, iudicium, intelligentia; illis enim præsidiis res magnas fortiter atque animose aggrediuntur, quæque animus concipit, sapientia duce perficiunt atque exequuntur. Cætera vero iam memorata viscera sua quoque vi atque efficacia instructa sunt; sic Fel iracundiæ causam ministrat, atque ac

Catilinæ vultus.

1. Reg. 10.

Genes. 4.

Cain diffidentiæ exemplum.

Excordes qui.

Galat. 3.

Cordis & cerebri cõsensus.

Mens cordi ministrat intelligentiam.

Fel iræ fons.

ad iram, rixas, contentiones, iurgia, pugnas occasionem præbet: Hepar vero sanguine redundans, ac vino concalefactum, renes in amplexus ac concumbendi desiderium, in libidinem, in luxum, lasciuiam incitat: Cor autem cogitationes & conceptus, sensaque mentis pulmonis ac vocalis arteriæ adminiculo, tum vsu linguæ quæ proferendæ voci inseruit, exprimit, ac mentis consilia denunciat: Splen, nisi quid obstet, hoc homini præstat, vt in iocos, risus, cachinnos, lasciuiam, petulantiam effusus, nihil minus, quam sera meditetur. Econtra vbi id membrum impuri humoris confluuio obruitur, atque vel imbecillitate, vel obstructionis impedimento, iecur operam suam deneget, multa secum adfert incommoda, quæ menti æque ac corpori infesta sunt, nempe mœrorem, tristitiam, metum impendentis mali, pauorem, anxietatem, formidinem, desperationem ac diffidentiam, hoc est, nullam spem ac rerum meliorum expectationem; quæ animi mentisque affectus atque ægritudines hominem immaniter excruciant, vexant, dilaniant, adeo vt etiam totius corporis forma ac decor euanescat, omnisque externa species, tamquam pauimentum, fuligine obscuretur, non secus quam in ædibus ex fumo vndique diffuso, nitida quæque fusca efficiuntur ac fuliginosa: quum enim humorum sordes affluentius eo confluunt, quam vt calor atque insita membri vis possit conficere, grauiore mole labascit atque opprimitur. Vt enim quiuis baiulus aut operarius gestandis oneribus impar corruit, suo plerumque ac rerum quas deferendas suscipit, damno ac iactura; ita vbi in illud viscus plus succi melancholici decumbit ac deriuatur, quam perferre queat, aut concoctione domare, plurima hinc detrimenta, variosque morbos concipit. Siquidem liene affecto, ventriculus cruditate, nausea, fastidio, ructibus

Hepar libidinis causa & renes.

Pulmo & lingua conceptus denunciant.

Splen cur lætitiæ causa.

Splen mentem obnubilat.

Perturbationes animi.

Simile a fumosis ædibus.

Simile a baiulis.

Splenis morbi.

acidis infestatur; hypochondria seu præcordia infla-
tur ac tumescunt; corpus fit gracile atque extenua-
tur; gingiuæ purulentis pustulis exhulcerantur; den-
tes efficiuntur luridi, rubiginosi, mobiles, cani, exesi;
os fœtidum, fauces olidæ,

Gutture sulphureas lente exhalante mephites.

Pers. Sat. 4

Ad splenis quoque morbosam intemperiem, affe-
ctusque vitiosos hunc morbum refero, quem vete-
res Stomacaccen & Scelotyrben nominant, Belgæ &
præsertim Phrysii, quorum plurimi vere & autu-
mno huic morbo obnoxii sunt, populari ac gentili-
tia voce *Schoerbuyck*, inculti scriptores Scarificationẽ
ventris vocant. Contrahitur autem ex fœda humo-
rum colluuie, quæ quum ex splene in ventriculum
confluat, contagione quadam dentes ac gingiuas in-
ficit; cuius quoniam pars in pedes decumbit, confe-
stim contrahuntur suræ, labant genua, compages
dissoluuntur, color circum femora ad imum vsque
calcaneum varius ac versicolore specie spectantibus
horrorem incutit. De cuius morbi natura, ac curan-
di ratione, quoniam luculentum librum conscripsit
Guilielmus noster Lemnius, qui eruditionis orna-
menta, ac rei medicæ decus atque insignia, summa
laude in Academia Pisana consequutus est, superua-
caneum videtur plura de hoc morbo congerere.
Cæterum omnia hæc splenis incommoda perferri
possent, ac tolerari mitius, modo infima membra
partesque abiectæ atque ignobiles his tantum ma-
lis essent expositæ (quamquam illæ non minus ne-
cessariæ sunt, quam forices in ædibus ac cloacæ pro-
luendis sordibus destinatæ) verum cum principe
partes ac mentis organa pari malo inuolui, variisque
affectionibus lacerari contingat, res maiorem dili-
gentiam exigit, atque acrius in profligandis huius
modi hostibus insistendum. Siquidem vapores te-
tri tamquam ex palude ac camerina quadam sursum
delati

Guilielmi Lemnij de Stomacacce liber, vulgo Schoerbuyck, *cui grando porcorum affinis.*

Simile a cloacis domesticis.

delati, cerebrum insuaui tristique halitu afficiunt, ac spiritus animales aliena qualitate imbuunt; hinc mentis inquietudo & alienatio; cogitationes absurdæ; somnia turbulenta; capitis vertigo; aurium tinnitus; oculorum caligines; luctuosa suspiria; cordis tremor ac palpitatio; quibus accedit animus mœrēs & deiectus, anxius, pauidus, meticulosus, adeo vt in hunc modum constituti, omnibus diffidant, amicos hostesque iuxtà metuant, omni momento circumspectent; ac si quid increpuit, aut si qua leuissimus strepitus exortus est, expauescant, ac metu penitus concutiantur: etiamsi nulla subsit formidinis causa, nec quisquam tam afflictæ menti vllam tremendi occasionem præbuit, a quibus si scisciteris, ac sis percontatus, quur se macerent, curaque inani ac mœrore ad tabem vsque se conficiant; aut nihil aut grauatè respondent sic, vt eius rei causa ex hominum contubernio se subducant, ac societatem amicorum perosi, in loca deuia, deserta, opaca, demigrent, vt Thimon ille μισάνθρωπος, hoc est, osor hominum, appellatus, ac Bellerophon, qui vt Homerus refert, animi ægritudines, ac mentis dolores captata solitudine excutere tentabat;

Signa affectu cerebri.

Mentis inquietæ tormenta.

Thimon osor hominum.

Nam miser in syluis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perq; auia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Iliad.3.

Contingit autem multifariam in hunc habitum homines deuolui, qui ab eo prius erant alieni. Alii enim ex hæmorrhoidum, mensiumque suppresso profluuio, aut subsistente cohibitaque consueta aliqua emanatione huc delapsi sunt. Nonnulli ex longo diutinoque mœrore ac mœstitia, vel ex parentum obitu, vel rerum fortuitarum iactura ac detrimento; aut deniq. ab alicuius rei potiundæ frustrata spe ac desiderio huc deuenerunt. Non desunt qui ex lucubratione intempestiua nocturnisque vigiliis,

Causæ melancholici affectus.

ac vita vmbratili, ſolitudine, inedia, penuria, angu-
ſtia, vel etiam ab alimentorum vſu & conſuetudine
habitum melancholicum contraxerunt, atque ad
frigidam ſiccamque intemperiem ſunt delati. Ple-
rique conſcientia ſcelerum ac flagitiorum, quæ ab
iis patrata ſunt, recordatione, aut vitæ per nefarias
libidines atque effrenatas cupiditates tranſactæ me-
moria in melancholicos affectus demerſi ſunt, qui
nonnumquam eo illos adigunt, vt cæcitate, animi
furore, amentia, mentiſque errore agitati vitæ tæ-
dium concipiant multaq. dira atq. acerba patiantur.
Siquidem vt apposite Iuuenalis;

Anxietatis animi tortura. *Satyr. 13.*

Perpetua anxietas, nec menſæ tempore ceſſat,
Nocte breuem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata thoro iam membra quieſcunt;
Continuo templum, & violati numinis aras
Conſpicit in ſomno, ac mentem ſudoribus vrget:
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Quum tonat, exanimes primo quoq; tempore cœli.

Vide, Lector optime, ſceleratæ afflictæque mentis
angores, cruciatus, carnificinas, pauores, tormenta,
quæ Deus Opt. Max. fidei etiam ac pietatis deserto-
ribus, quique a ſacratiſſima Religione, ac Dei verbo
deſciſcunt, obuentura denunciat, ſicvt iuxta Pro-
phetam, *illis immittat ſpiritum vertiginis, & errare faciat in
omni opere* ſicut ſolet ebrius & vomens, ſic vt ob men-
tis cæcitatem ac Dei negligentiam, eiuſque verbi
contemptum nihil habeant ingruente calamitate,
vel horrore mortis, quo ſe fulciant, aut ſecuros præ-
ſtare poſſint; ſed ſunt illorum conceptus, cogitatio-
nes, conſilia perturbata ac confuſa. ſi quidem innitū-
tur ac ſe inclinant in parietem caducum, hoc eſt, i-
rem parum firmā, vel potius noxiā; atq vt Eſaias ait
confidunt ſuper baculum ſeu ſcipionē arundineum confractum
Quo deſignat illos ſpem in eo figere, qui tantum ab-
eſt vt prodeſſe poſſit, aut aliquid præſidii adferre,

Conſciētia ſcelerum. *Eſaiæ 19.* *Neglectus pietatis pœna.* *In caducū parietem inclinare.* *Cap 36* *Scipioni arundineo inniti.* *4. Reg. 18.*

etiam noceat incumbenti, ac palmæ vulnus infligat, *manumq;* vt Ezechiel ait, *laceret*. Sunt præter hæc complura exempla, quibus Deus impios terret, ac desertæ contemptæque religionis pœnam minitatur: *Quod si*, inquit, *vocem Dei tui audire recuses, percutiet te furore, amentia, cæcitate, dabit tibi Dominus Deus tuus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore; eritq; vita tua quasi pendens ante; timebis die ac nocte, neq; vitæ diffides ob cordis tui formidinem qua terreberis, & ob eas imagines ac spectra, quæ oculis tuis obuersabuntur.* Rursus loco alio, quo etiam teterrimos animi morbos non defuturos indicat: *Visitabo vos velociter*, inquit, *Dominus, in frigore, egestate & ardore, fugietis nemine persequente, ac terrebit vos sonitus folii volantis, occumbetis nullo profligante, & tabescit anima in iniquitatibus vestris.* Non mitiora imprecatur Hieremias iis, qui a Deo desciunt, illiusque verbo obsistunt, ac cultores veritatis opprimere nituntur: *Non sis tu mihi formidini*, inquit *spes mea in die afflictionis: confundantur qui me persequuntur, & non ego; paueant illi & non ego; induc super illis diem afflictionis, & duplici contritione contere illos.* Quum autem quis angore mentis, & animi cruciatu, tum rerum fortuitarum iactura affligitur, in corpore quoque accepta nonnulla clade, geminato malo afficitur. Quum itaque hæ furiæ, ac perturbationes melancholicæ ex variis diuersisque causis emergant; in primis expedit mali fontem tollere, ac radicitus errorem menti eximere: proximum est corpori præstare suam operam, ac nihil non moliri, omnem mouere lapidem, quo tanta ægritudine quæ corpori iuxta atque animo incumbit, aliqua ex parte alleuari possint ac nonnihil solatii percipere; sunt enim commiseratione digni, sic vt nemo nisi inhumanus censeri velit, illis insultare debeat, sed deplorare potius atque indolere, quod eo delapsi sint, atque a

Cap. 23.

Deut. 28.

Leuit. 26.

Hiere. 17.

Duplex contritio quæ.

Melancholici subleuandi.

1. Cor. 10.

rationis mentisque iudicio inciderint. Scitum est illud Pauli, quod his etiam accommodari potest: *Qui sibi videtur stare, obseruet ne cadat.* Quo quemque commonefacit, in omni humanæ vitæ cursu atque actionibus, ne rebus secundis nimium elatus plus satis illis fidat, sibique securitatem polliceatur: fieri enim posse, vt ingruente externo aliquo impulsu concutiatur, ac grauioribus, quam quos paulo ante irriserit, corpus animique morbis succumbat, atq. obruatur. Cæterum vt cuiq. innotescat, quibus argumentis atque indiciis frigidus & siccus habitus deprehendi possit, eius notas quæ in externa specie elucent, quæque in intimo mentis recessu occlusæ, actionibus dictisque se proferunt; tum quo effectu Melancholia polleat, obiter indicabo. Quoniam autem huic constitutioni Melancholica natura subest, eadem quoque signa huc referenda sunt. Si cui enim frigidi siccique corporis habitudinem excutere libeat, in Melancholicos defigat oculos, primo quoque intuitu omnia inter se consentire, atque ad eandem amussim quadrare perspicies. Siquidem eiusmodi homines corpore apparent squallido, macilento, arido, strigoso, cute glabra, vnguibus aduncis, qui ex siccitate velut cornu & corium, incuruescunt, præsertim vbi firmatus est habitus, atque adauctus qualitatibus, altius radices egerit; quales conspici solent in extenuatis morbo ac seniculis. Et quoniam omnes partes corporis flaccescunt, atque ali desinunt, crines rarescunt ac sensim defluunt, facies colore pallido, giluo, liuido deformatur. Omnibus enim Splenеticis color deflorescit, tumescunt pedes, ventriculus cruditate afficitur, atque ab influxu vitiosi humoris, ructibus, acidoque vomitu subinde infestatur, quo erumpente vnice subleuantur. Quod vero ad animorum notas spectat, difficiles sunt, querulosi, duri, intractabiles, præfracti, ad rem attenti

Pauli locus explicatus.

Notæ frigidi & sicci habitus.

Splenetici decolorati.

Notæ animorum melancholicorum.

ac p

c pecuniarum auidi; verum parci & tenaces, quique ebus partis abstinent, nec iis perfruuntur, aut ad vus vitæ necessarios accommodant. Ex insessu quoque illos deprehendes: vtuntur siquidem tarditate uadam, ingressuque lento ac composito, obstipo emissoque capite, aspectu, vultui, facie, oculorum btutu toruo ac tetrico, tamquam e Trophonii antro, aut specu aliquo subterraneo (qualis est apud libernicos fabulosus Patricii hiatus) nuper reuersi, deo vt quum illos Saturni sidus vna cum melãchoa informet, taciturnitati ac silentio, tamquam vo-o, sunt astricti, sic vt ægre ab illis illas voces aut vera extorqueas. Hæc itaque & pleraque alia in frigi-um siccumque habitum ac melancholiæ naturalis, uæ a puritate nonnihil deflexit, conditionem comari solent. Cæterum quæ præter naturam corori inest, multo est deterior, ac magis perniciosa; enominatur illa apposite Atra bilis, quæ triplici differentia comprehenditur. Vna enim ex melancho-co succo emergit, quæ aut putredine, aut extranei loris incendio in cinerem transit, vt fomites ac utrimenta adustione atque ignis ardore deflagra. Putrescens autem acidam atque acerbam quali tem ascitcit, aut acrimonia quadam imbutam. uæ vero ex ardore progressa est, deurit atque acri ordacique vi corpori infesta est; hoc a succo mencholico differens, quod fæx vsta a non vsta: nam x quæ nullam adustionem passa est, mitior est, quã a ex qua vel aqua vitæ seu vinum feruidum, aut as liquor elicitur. Secunda quæ omniũ deterrima, laua vel lutea bili deusta conficitur, quo fit vt picis morem nigra sit ac splendescat, vt gagates lapis, tumen, colophonia, & resinata quædam luteo nioq. splendore perfusa, ob igneam partium in dencompactaq. materia consistentiam: nigra itaq. ipsa lore conspicitur, vbi non ignescit aut accenditur,

Trophonij specus.

Patricij antrum.

Melancholia non naturalis triplex.

Simile a rebus deustis.

Atra bilis quæ ppriè.

vt sunt ebuli, sambuci, ligustra, Pæoniæ baccæ, aut ce-
rasi nigræque vuæ acini, quorum succus atro vel san-
guineo colore manus inficit. Quod si inflammari il-
lam contingat, atque ardorem concipere, colorem
exhibet coraseum, atque igniti fulgentisq. auri pur-
pureo nitore diluti, assimilem. Hinc vbi ignescit im-
moderatius, animi furor & concitatio, mania, insa-
nia, rabies; econtra vbi omnia intra mediocritatem
consistunt, acumen ingenii, præstantia doctrinæ, in-
uentionis subtilitas, lingua deserta, ac loquendi pe-
ritia abunde instructa. Postrema atræ bilis species,
pituitæ combustione concipitur. Quoniam itaque
varia atræ bilis discrimina, ac Melancholici diuersa
sunt conditione, natura, moribus, animi propensio-
ne, forma corporis ac coloris specie, suis quiq. indi-
ciis obseruari debent. Siquidem qui ex adusta bil[i]
aut assato sanguine in hunc habitum deuenerunt
amplis sunt tumidisq. venis: nam flatu turgescunt
colore corporis fusco, atque abunde hirsuto, capill[o]
denso ac numeroso ob caloris copiam, labris prætu[-]
midis propter humoris ac spiritus flatuosi in subl[i-]
mes partes concursum; quo fit vt & oculi illis no[n]
numquam promineant, rursus subsidentibus hum[o-]
ribus aliquando recondantur, nunc volubiles & pe[r-]
nictantes, nunc quieti atque inconniuenter imm[o-]
biles; lingua vero quæ mentis arcana detegit, atq. i[n]
apertum profert, modo prompta & expedita, mod[o]
hæsitantior atque in proferendis vocibus tarda, bl[æ-]
sa, titubans, balba, impedita: quod pro anni, ætat[is,]
regionis, auræ caliginosæ vel serenæ, denique cibi [&]
potus ratione, intemperie quadam affici conting[it]
frigidoque aliquo humore imbui. Est autem h[u-]
mor hic multiplex, varius, multiformis, qui mi[ris]
modis hominum corpora mentesque informat,
diuersos habitus, mores, conditiones constituit. H[a-]
bet enim ferro aut carbonibus, seu fossiles, seu

Atræ bili quis color, vbi ignescit.

Signa atræ bilis obnoxij.

Lingua hæsitātia.

Melancholia ferro assimilis.

ſtitii ſunt, quiddam aſſimile, quæ ignita candent, ac fulgore auri collucent, membraque deurunt; extincta vero nigredine, obſcurantur, ac colorem vel atrum vel rubiginoſum oculis exhibent: ita bilis atra tametſi frigida ſtatu ſolet & ſicca; deniq. ad nigredinem vergente colore, aliquid tamen illi caliditatis ſubeſt ab eius facultate & natura a quo profluxit, nempe bili flaua & ſanguine. Sic enim amurca olei, fæx & acetum viui, cineres ac carbones, titionum fumigantium ac prunarum naturam referunt: quocirca non eſt prorſus caloris expers bilis atra, ſed vel aliquid eius qualitatis in ſe continet, vel capax eſt: licet enim longo vix tempore igneſcat, vt ferrum, quod vrentiſſimis ac bituminoſis carbonibus iſque follibus inſtigatis opus habet, quo ſubigi malleis, fingiq. incude poſſit, ardore tamen imbutum ita igneſcit, vt nihil ſit in corpore quod magis deurat: hinc tanta nullo propemodum temporis interuallo, riſus ac lætitiæ in repentinam ſubitamq. mœſtitiam atque angorem viciſſitudo & commutatio. Vbi enim is humor incaleſcit ac calorem concipit, quoniam ſpiritus lucidi ab eo promanant, ad prodigium vſque exhilareſcunt melancholici; atque ad cantilenas, ſaltationes, tripudia ſunt propenſi, ac præter ſolitum affabiles, liberales, benefici, ac nulli non expoſiti; adeo, vt etiam in oſcula atque amplexus puellares proruant, nec quid aliud, quam connubia meditētur, totiq. in poſteritatis ac liberorum ſuauiſſimam ſpem ſunt erecti; ſic vt ſerio deplorent ſe tale quiddam iampridem non fuiſſe aggreſſos. Vbi vero æſtus deferbuit ac reſedit ille animi impetus friſcente ſanguine & ſopitis ſpiritibus omnium pertæſum eſt. Damnant ac deteſtantur heſternas actiones, pudetque erroris ac ſtultitiæ. Si quando itaque atra bilis frigeſcit, animum homini mentemque eripit, atque omnem confidentiam & quidquid

Atra bilis caliditatis particeps.

Exemplū ab aliquot liquoribus

Simile ab ignito ferro quod malleu ſubigitur.

Melācholici varij & inconſtantes.

Atra bilis affectus vbi frigeſcit.

est virilis roboris, adimit; adeo vt non facile ad præclaras atq; excelsas res emergant aut enitantur. sunt enim stupidi, segnes, tardi, ignaui, ad disciplinas ac consectandas artes inepti, minusq; appositi, quod in ea melancholiæ specie euenit, cui frigida lentaque pituita affluentius commiscetur; quo fit hoc genus hominum, vt asini aliæque brutæ pecudes, iners sit, indocile, segne, obliuiosumque. Illi vero quibus moderato calore atra bilis perfunditur, ac sanguine irrigatur, aliisque humoribus syncerus diluitur, ingenio pollent, ac mentis acumine, multaque instinctu atque afflatu diuino perficere videntur. Quocirca non inscite Aristoteles humorem hunc vino pronunciat assimilem. Vt enim vinum mores producit varios ac ridiculos pro cuiusque natura, ac liquoris huius quum effectu tum viribus (aliam enim vim sortitur ab Hispania, aliam a Gallia, Creta, Corsica, ac Rheno aduectum) sic melancholia diuersos mores parit variosque habitus constituit. Vnde apud Belgas enumerantur aliquot temulentorum conditiones ac studia. Alii enim vino madidi contentiosi sunt ac rixantur. Alii taciturni atque elingues; plerique loquaces ac tumultuosi; nonnulli in lacrymas sunt atque eiulatus effusi, animoque mœrenti ac deiecto. Conspici quoque solent in hac hominum colluuie minaces, sæui, acerbi, feroces, amarulenti, arrogantes, philauti, ventosi, elati, lasciui, petulci, gesticulosi, inquieti, instabiles, in libidinem atq; amores propensi, verum, vt Iuuenalis ait;

Melancholia asinina.

Atra bilis vbi excrescit.

Problem. sect. 30. quæst. 13.

Ebriorum variæ conditiones.

Qui Venerem affectant sine viribus inguine lento.

Satyr. 10.

Melancholici salaces.

Sunt enim ebrii ac melancholici salaces quidem ac tentigine pruriunt, quod Genitales partes turgescant, ac flatibus distendantur; sed quibus confestim omnia languescant, omnisque vis concidat atque emoriatur; sic vt mulieres nonnumquam a spe concubitus decidant, ac prolis desiderio frustrentur

quo

quod flatu potius quam semine turgescant. Melancholiæ itaque & ebrietatis par est conditio. Temulenti enim variis affectibus ducuntur, ac gestus plane scenicos comicosque exprimunt. Siquidem vt apposite Horatius;

Ebrij in Venerem segnes.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Lib. 1. Epist. 5.

In Melancholicis autem non minus ridicula licebit obseruare: nam multi in quotidianis actionibus ineptos mores exprimunt, ac citra etiam vllam mentis alienationem res leues, ludicras, inanes, nugatorias proferunt. Sunt enim mente capti qui non serio desipiũt, sed suauiter delirant, vt quos ludit amabilis insania, adeo vt nonnulli deplorent se resipuisse, ac grauiter cum amicis expostulent, quod damnũ ipsis illatum sit, non impensum humanitatis officium. Vt apud Horatium Argiuus quidam non ignobilis,

Qui se credebat miros audire tragœdos
In vacuo lætus sessor, plausorq; theatro,
Hic vbi cognatorum opibus curisq; refectus
Expulit helleboro morbum bilemq; meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis amici,
Non seruastis, ait: cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis grauissimus error.

Lib. 2. Epist. 1.

Sic me exercente rem medicam, complures oblati sunt, quorum menti absurdæ imagines ac simulachra obuersarentur. Cuidam enim persuasum erat, nasum sibi excreuisse in immensum, atque in prodigiosam longitudinem exporrectum; sic, vt elephantis proboscidem circumferre visus sit, qui nusquam non esset impedimento, adeo vt subinde patinis, vt illi creditum est, innataret: accitus medicus,

Historiæ aliquot melancholicorum.

atque affectum melancholicum subesse suspicatus dexteritate quadam ac latenti habilitate longum farcimen naribus admouit, arreptaque nouacula se cultro tonsorio, apprehensa nonnulla carnis parte imaginarium nasum auulsit, confestim exhibita ho mini parum sobriæ mentis soporifera potione, pra scriptaque salubri diæta, omnis mali metus adem ptus est. Alius quidam hypochondriacus, hoc est, c præcordia humore melancholico ac flatibus turgic essent, persuasum erat ranas ac rubetas, quas buf nes vocant, intestina perterebrare, nec vlla ratio ea opinio illi eximi potuit: Medicus quo illum m gis haberet obsequentem (nam melancholici æg ab opinione dimouentur) tale quiddam corpori i hærere pronunciauit; itaque exhibita purgante p tione, ac subdito clystere procuratum est, vt aliqu eius generis reptilia in subiectam peluim coniic rentur; vbi autem pharmacum vires suas explicu aluus affatim exinanitus est, conspectisque exc mentis, & quæ illis innatabant animalculis, vana la opinio animo excussa est. Alter quidem opi tus est ex vitro sibi conflatos clunes, sic vt omnia negotia atque actiones stando perficeret, metue ne si in sedile se inclinaret, nates confringeret, ac tri fragmenta hinc inde dissilirent. Huiusmodi lirii ac desipientiæ species, quæ vel aliis, vel sibi i risum excutiunt, securiores sunt, vt Hippocrates minusque feroces: illæ vero quæ studio quodam solicita meditatione perficiuntur, deteriores; vt q comitari solet furiosa quædam temeritas. qua c sibi, tum aliis inexpectata damna inferunt, at rep tino insidiantur. Sic nostra memoria vir quidam lustris in eum mentis errorem incidit, vt morte animo conceperit, ac se iam e viuis excessisse ha ret persuasum, adeo vt quum illum amici ac fam ares ad instaurandas vires iam collapsas, precil

Lib. 3. apho 53.

Memorabilis historia melancholici cuiusdam.

bl

blandimentis, obiurgatione hortarentur atque vrgerent, omnia respueret, quod causaretur mortuum esse se, ac nihil ita constituto opus esse alimento. Quum autem fame enecandus videretur, instante scilicet septimo die, qui famelicis atq. inedia confectis lethalis esse solet comminisci cœperunt, atque excogitare rationem aliquam, qua posset hic mentis error eximi, aut mederi: itaque inducti sunt in conclaue, arte atque industria obscuratum personati quidam histriones linteo obuelati, ac fasciis obuincti, quibus mortui sepulchris inferri solent, instructaque mensa ferculorum apparatu, liberalius, largiusque se cibo ac potu reficiunt, æger autem hæc conspicatus, sciscitatur quid moliantur, & quod sint genus hominum? responsum est, mortuos esse se: tum is, mortuine edunt? illi, maxime. si libeat accumbere, id non vanum experietur, confestim mente captus exiliit, lectoque se subduxit, atque vna cum mortuis commentitiis cibo fruitur affluentius; peracta autem cœna somnus illi obrepit in eum vsum confecto liquamine. Siquidem qui sensu, mentisq. iudicio, ac ratione sunt orbati, arte tractādi sunt, nec vlla re efficacius, quam somno domandi. Sic a Sibylla Virgiliana domitus legitur,

Inedia 7. die moriuntur.

Somnus deliria sedat.

Æneid. 6.

Cerberus ille fame rabida tria guttura pandens,
Melle soporata, & medicatis frugibus offa.

Cæterum qua ratione affectus melancholici expugnari possint, aut saltem mitigari, obiter indicandum. Principio vnde morbus initium sumpserit, atque qua parte consistat, excutiendum est. Quum enim tres sint melancholiæ differentiæ, vna in qua cerebrum primario affectu hoc humore perfunditur, altera quæ toti corpori subest, tertia Hypochondriaca seu flatuosa, quę ex cruditate ac vitiosis humoribus contracta cerebrum per consensum afficit, diuersas curandi rationes exposcunt. Si quando itaque

Melancholia quomodo expugnanda.

Melancholiæ tres species.

Melancholicis quando secanda vena.

vniuersum corpus succo melãcholico oppletum est,
a venæ sectione auspicari cõuenit curandi rationem;
in cæteris hoc remedium inefficax censetur atque ir-
ritum, nisi sanguinis redundantia tale quiddam exi-
gat: sic etiam in præcordiorum tortura, ac lienis tu-
more, aut vbi quartana infesta est, spleneticam seu si-
nistri brachii internam ferire consultum est. Porro
quum huiusmodi hominibus aluus magna ex parte
astricta est, leniter ac placide subducenda, aloë, epi-
thymo, filicula. Siquidem vbi intestina lubrica esse

Lubrica aluus melancholicis vtilis.

contingit, atque excrementa prolui, minus vaporum
ac fuliginis sursum rapitur, aut effumat: quocirca li-
enosos ac melancholicos alui profluuio corripi salu-
tare pronunciat Hippocrates: denique hæmorrho-
des, varices, condylomata, mariscas infernis partibu-
innasci atque extumescere maniacis, desipientibu-
salubre. Et quanquam mali Genii humoribus se in-

lib 6. Aphoris. 48.

Genii humoribus se immiscent

miscent, ac faces ministrant, omniaque efficiunt fa-
uiora, potissima tamen causa ac fons mali in humo-
rum ferociam referendus: expurgatis enim noxi-
humoribus, discussaque fuligine, furor mitescit
mens pristinum vigorem concipit. Quocirca mo-
enda in primis vniuersalis corporis euacuatio ea pa-
te qua maxime natura vergit, idque sensim ac per i-
terualla: neque enim consultum est, validis pharm-
cis huiusmodi crabrones irritare; postea instituen-
optima victus ratio, eaq. euitanda quę crassum sa-
guinem pariunt: vt sunt bubulæ ac taurinæ carn-
succidia, quæq. diutius sale aut fumo indurata su-

Melancholicis placide aluus deiiciendus.

Cibi melancholici.

quibus accedunt aprugna atq. vrsina, tum quæ no-
lium conuiuiis inferri solet ceruina, ac Geniales p-
sim mensas exornat leporum caro. Sic vt mirari fu-
eat nihil ea magis a Belgis expeti ac commend-
nec vllum conuiuium satis splendidum, aut magn-
ce instructum quod leporino ferculo non sit ex-
natum; quum nulla caro sit melancholiæ magis a-
ni

is & cognata. Nam frigida est & ficca, nisi animal ursu ac venatione sit defatigatum, sic enim nonnihil caloris concipit, magisq. sapida est salubris. Quidquid autem ab hoc animante proficiscitur, exiccan- e vi pollet atq. astringentis facultatis est particeps, ili, tegmen detractum, sanguis, coagulum, caro. Sic oagulum leporis, eiusq. sanguis ex rubro epotus dysnterias & mulierum menses sistit; pili exusti, vel minutatim incisi sanguinem in vulnere effuse pro- manantem efficaciter constringunt ac cohibent. Ce- ebrum superuacuum oris humorem absumit, & entes elicit; coxæ eiusq. ossiculi appendix calculum omminuit. Caro quoq. leporina, si frequens eius sit sus, pituitæ defluxum e capite compescit, atq. epilesiam, quæ ex crassa ac glutinosa pituita contrahitur, xpugnat: quorum quodq. siccum esse id animal, ac nelancholicum cōuincit, vt tota eius conditio commonstrat, ac præsertim caro ad nigredinem inclina- a. Quod autem quum veteres, tum recentiores per- uasum habeant, ex leporis esu exhilarescere homi- nes atq. aliquid venustatis, formæq elegantioris cō- ipere; non ex meticulosi & pauidi animantis gustu d euenire ominor, sed quod festiui aliquot consoda- es conuocare soleant in cœtum & accumbationem pularem puellas quasdam amabiles ac generosas: taq. illæ quæ despectæ habitæ sunt ac deformes, nec vnquam in huiusmodi consessum acciri contingit, inelegantes censeri solent, nec vnquam degustasse leporem: quod Martialis non inuenusto epigrammate improbrat amasiæ;

Lepus melancholicus natura & alimento.

Lepus cursu fatigandus.

Lepus in re medica multi vsus est.

Leporis esus an venustos reddat.

Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea narras;
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Lib. 12.

Quam opinionem hinc enatam, conceptamque coniicio (nam a nullo hactenus explicata est) quod

qui Geniali alicui conuiuio interfuit, vt assolet vbi lepus decerpitur, septem continuatis diebus blandus appareat, venustus, hilaris, festiuus, siquidē vbi inter epulas omnia hilariter transacta sunt, elucent etiam post elapsos aliquot dies in fronte, superciliis, vultu, labiis, oculis, nutibus (omnia enim sunt animi indices) magna alacritatis indicia, multaq. se proferunt, erectioris mentis argumenta; nam risu, cachinnis, osculis hinc inde exhibitis, tripudiis, vino, cantilenis, corpus concalefactum effloreſcit, ac fit caloratius, sanguine in externum habitum vndiq. diffuso. hæc itaq. efficiunt, vt leporis esus animi nebulas discutiat vultumq. serenum præstat ac faciem nitido rubore perfusam. Vt enim qui irritantur, aut metu concutiuntur, perturbato animo conspici solent, multasque notas vel deiectæ vel commotæ mentis in externo habitu exhibere; ita quibus omnia læta sunt, prospera, salutaria, nec vllus vitiosus affectus, aut perturbatio in corde resideat, certa se indicia in corpore proferunt, ipseq. vultus, calor, facies, frons, oculi, oris decor ac species securitatem quandam animi pollicentur, mentemq. placidam & quietam. Cęterum quod ad victus rationem attinet, qui frigido ac sicco habitu existunt, tum melancholici laudabilis succi cibis ac vino generoso assuescant, cubent mollius ac somnus sit prolixior; omniaq. salsa atq. acida ac præ cęteris cruditatē deuitent; exercitationi moderatæ insistant. Vt enim paludes atq. immota quæq putent, ita quoq. corpus inexercitatum pedorem ac graues halitus contrahit. Quod si motus violentus illis sit laboriosus, vocis modulatione ac cantilenis, musicisq. instrumentis se exercere poterunt & ambulatione. Omnes autem affectus animi, mœrorem, anxietatem, tristitiam, odium, iram, indignationem, inuidentiam excutiant, nec quidquam tale in mente patiantur residere; solitudinem præterea fugiant, inediam,

Leporem gustare, prouerbiū explicatū.

Moderata conuiuia colorem & spiritus excitant.

Animi affectus in vultu elucent.

Melancholicorum diæta.

Simile a stagnanti aqua.

Liquida [illegible] alunt.

diam, vigiliam, lassitudinem; vires vero instaurare pergant, alimentis primum liquidis (siquidem ea celerrime nutriunt, ac minimum negotii ventriculo facessunt) mox adauctis viribus solidum cibum sibi reddant familiarem. Panis ex lectissimo tritico conficiatur, eoq. vtantur parcius: ægre enim concoquitur, & stomacho diu inhæret; quocirca baiulis, vectoribus, nautis, aurigis robur conciliat, ac carnem durabilem, minimeq fluxam efficit: olidas enim fauces habent ac graueolentes; qui sani parcius panis esu vtuntur, quibus dupla panis pars, hoc est, bessis, obsonii autem triens præscribi debet. Quod ad prandii ac cœnæ rationem attinet, nisi consuetudo ac mos patrius obstet, nec caput sit distillationibus obnoxium, cœna sit prandio liberalior, sic vt semper euitetur immodica satietas. Obiter vt rem salubri consilio perficiam, omnia quę valetudini officiunt, ac præmaturam senectam accelerant, longius abigantur, adhibita cum primis animi tranquillitate, mentisq. constantia, quam diuinitus summis votis ac precibus ab eo exposcere par est, qui affatim ac cumulate sua dona, suamq. munificentiam in nos effundit, hoc est, a Patre cœlesti ac Seruatore Christo illi cœno. Nam præter externa bona præter res momentaneas ac caducas, quarum vsu ac commoditate illius munere abunde fruimur, mentes etiam nostras suo spiritu imbuit, atq ad salutaria quæq. singulis momentis cogitationes ac voluntates nostras impellit, vrget, extimulat, sic vt eius vim atq. afflatum in animis nostris efficacem experiamur, ac fide stabiles, qua Dei promissis innitimur, certam spem ac fiduciam concipiamus participes fore nos sempiternę beatitudinis, lucisque æternæ consortes.

Panis esus valetudinariis parce exhibendus.

Vnde grauis halitus

Salubris hortatio.

Tranquillitas animi omnia condit.

Ephes. 2.

Gal. 4.

1. Pet. 2.

FINIS.

RERVM ET SENTENTIARVM HVIVS OPERIS INDEX locupletissimus.

Beta

Frigus

FINIS.

HENRICI RANTZOVII DE CONSERVANDA VALETVDINE LIBER, IN PRIVATVM LIBERORVM SVORVM

vsum ab ipso conscriptus, ac editus

A

DETHLEVO SILVIO HOLSATO.

IN QVO DE DIÆTA, ITINERE, ANNIS climactericis, & antidotis præstantissimis, breuia & vtilia præcepta continentur.

Tertia editio, auctior & emendatior.

SEORSIM ACCESSIT

GVILIELMI GRATAROLI Bergomatis, Medici præstantissimi, DE LITERATORVM, *& eorum qui magistratum gerunt, conseruanda valetudine,* LIBER.

15 91.

FRANCOFVRDI

Apud Ioannem VVechelum & Petrum Vischerum, consortes.

NOBILITATE GENERIS, VIRTVTE AC ERVDITIONE PRAESTANTIBVS FRANCISCO *ac* BREDONI RANTZOVIIS *fratribus, nobilis ac generosi viri* D. HENRICI RANTZOVII, *serenissimi regis Daniæ, &c. in Holsatia, & præfecti, &c. filiis.*

CVM nuper, nobiles adolescentes, in patris vestri Henrici Rantzouii bibliotheca Bredenbergensi versarer, incidi forte in libellum quempiam de legitimo rerum ad sanitatis tutelam necessariarum vsu conscriptum. Hunc vbi cœpi peruoluere diligentius, deprehendi in eo breuia ac vtilia quædam præcepta de sanitate tuenda contineri. Ac quoniam intelligebam hunc libellum a patre vestro ex variis medicorum libris in vestrum ac reliquorum liberorum suorum vsum collectum, ac nondum in publicum emissum esse, neque tamen citra magnum laborem & tædium sæpe describi posse: operæpretium me facturum putabam, si eum quamprimum prælo subiici curarem, vt hoc pacto non solum de vobis, sed de aliis etiam conseruandę suæ sanitatis studiosis bene mererer. Quod autem pater vester vir nobilis, ac in Republ. nostra primarius, tantam huic arti diligentiam tribuerit, id equidem ipsi a nemine, sane

mentis, vitio verti poteſt. Namque is morbi neceſſitate adductus in iuuenili ætate hoc ſtudio propriæ ſanitati, quæ præſtantior eſt omnibus triumphis, honoribus ac diuitiis, conſulere fuit coactus, quam etiam hoc pacto vſque in hodiernum diem conſeruauit. Præterea hiſtoriæ teſtantur hanc medicam artem olim etiam exercuiſſe Heroës & Reges, vt Euphorbium Attalum, Mithridatem, Romanorumq. Conſules & Imperatores Catonem atque Pompeium, Patriarchas & Apoſtolos, & noſtro tempore Chriſtiernum III. Electorem Auguſtum, & multos alios Principes feciſſe conſtat. Hunc itaque librum a parente veſtro chariſſimo, veſtra potiſſimum cauſſa ex paterna affectione congeſtum, ac ſub nominis veſtri anſpicio in lucem prodeuntem, vt benigne ſuſcipiatis rogo. Nec dubito, quin ſi iuxta in hoc præſcriptum modum viuendi rationem inſtitueritis, magna inde ad vos ſit redundatura vtilitas. Oro autem Deum æternum, vt patrem veſtrum virum clariſſimum, totius Holſatiæ decus ac præſidium, & omnium bonarum artium Mæcenatem, nec non vos eius filios, qui patris veſtigiis magna cum laude inſiſtentes, ad inſignem ſtẽmatis Rantzouici ſplendorem eximiam adiunxiſtis doctrinã, vna cum matre nobiliſſ. ac pudiciſſ. & reliquis fratribus ac ſororibus diu incolumes clementes conſeruare dignetur. Bene valete, & me eorum numero aſcribite, qui vos non minus quam parentes veſtros, ea qua decet obſeruantia, venerantur. Datæ Segebergæ, Anno 1573.

Dethleuus Siluius Holſatus.

IN HENRIC. RANTZOVIVM EQVITEM HOLSATVM, &c.

Epigramma ἐγκωμιαστικόν.

QVis non Alciden nouit, quis nescit Achillem,
Nomina non vlla non memoranda die?
Et tamen hic medicam fecit feliciter artem,
Sanus vt Æmonia cuspide Mysus ait:
Ille polum ceruice tulit, cum sidera fessus
Amphitryoniadæ ferre dedisset Atlas.
Quid loquar amborum geminata laude celebrem,
Illustri Henricum stemmate Rantzouium?
Quem iuuat immenso spatiantem viuere cælo,
Et stellas oculis dinumerare suis.
Quiq; Machaonia caput extulit inclytus arte,
Naturæ scrutans omniparentis opes.
Macte noua virtute heros: sic additus astris
Cælifer est, semper viuit & Æacides.

Gregorius Bersmanus Professor
Acad. Lipſ. publicus.

Eiusdem Rantzouii Encomium.

Sunt tibi cum Regum, tum publica commoda curæ,
Nec tamen Aonidum munera grata minus.
Regibus ac patriæ pariter Musisq; placere,
Quod facis, humanum vincit id ingenium.

ALIVD.

Fidite Pierides, vobis Rantzouius heros
Inter opes, lituos, inter & arma litat.

Aliud de Familia Rantzouiana.

Hactenus ambiguo lis hæc sub iudice pendet,
Artibus, aut armis lausne ferenda prior:
Rantzouia Pallas litem hanc in gente diremit,
Has illis, illa his posse carere negat.

AD LECTOREM BENIGNVM CHRISTOPH. KILLINGhausen Hamburgens.

Mente nihil nobis præstantius optimus autor
Indidit, in summa quæ tenet arce, locum.
Hæc res euoluit dubias, penitusque latentes
Eruit, & lucem cogit habere suam.
Quæ sint euentura videt, præsentia tractat;
Tempore quæ lapso præteriere, tenet.
Quinetiam terras humilemque relinquere mundum,
Et cæli superas audet adire plagas:
Scrutarique Deum, cuius de semine nata
Particulam mentis se putat esse sacræ.
Vt Deus ille vnum triplici sit nomine numen,
Disiungi nulla quod ratione queat:
Vt res de nihilo quondam produxerit omnes,
Et miris seruet contineatque modis.
Vtque repurgatos celso dignetur olympo,
Quos sua culpa stygis fecerat esse reos.
Talia diuino meditatur acumine, quæque
Præterea longum cuncta referre foret.
At nisi sit corpus bene sanum, cuius in arce
Clauditur, officium non satis ipsa facit.
Hinc quasi de specula semper circumspicit alta,
Nec capiat, vel agat quicquid obesse potest.
Et si quid vitij caussa quacumque subortum est,
Hoc amoliri qualibet arte studet.
Hinc etiam corpus cura maiore tueri
Cernimus, ingenio qui meliore valent.
Nam quoniam multis obnoxia casibus, atque
Sæpe leui ex caussa vita caduca data est.

Quam decet, vt numen cæleste colatur honore,
Ducere, dum repetat, qui dedit, ipse Deus:
Nos quoq; sollicita fas est defendere cura,
Nec temere mortis præcipitare viam.
Hæc animo voluens, vir factis clarus & ortu,
Rantzouius, præsens hoc sibi scripsit opus.
Non satis est visum prælustre relinquere nomen
Quod certent meritis amplificare suis:
Aut terris, opibusq; suos extollere natos,
Attribuit larga quos bonitate Deus:
Sed quoq; succincto voluit præscribere libro,
Incolumem vitam qua ratione parent.
Nam magis accendunt, animisq; tenacius hærent,
Quæ pater aut senior iussa relinquit auus.
Hunc in priuatum quamuis congesserat vsum,
Non tamen, vt fiat publicus, ipse vetat.
Namq; bonus, quacumq; potest, prodesse laborat,
Omnibus & præstat commoda multa lubens.
Ergo illi seros, quos virtus rara meretur,
Et faustos optes, lector amice, dies.
Atq; hoc sincero, doctoq; fruare labore,
Vt vigili cura sanior esse queas.

INDEX PRAECIPVORVM
Capitum huius libri.

30 De

PRÆFATIO AD FILIOS.

CUM ab immenso & æterno Deo, filij mei charissimi, post creationem cœli, terræ, plantarum, arborum, cunctorumq; animantium & cæterorum mundi corporum in vsum humanum conditorum, solus homo ad diuinæ maiestatis imaginem ex terra sit factus, ita vt ex anima & corpore constet; maxime & in primis toti humano generi in eo laborandum esse censeo, primum vt anima, postquam vna cum corpore destinatum cursum peregerit, eo, vnde digressa est, redeat. Deinde, vt corpus animæ domicilium in hoc vitæ curriculo quam diutissime ipsa sanum ac integrum conseruetur. Quibus vero rationibus efficiatur, vt anima emenso decursoq; huius vitæ spatio, ad beatam immortalitatem, hoc est, ad Deum ipsum, vnde digressa est, reuertatur, id sacræ literæ abunde & luculenter tradunt. Quapropter o filij, vos sedulo moneo & hortor, sacro religionis studio ardenter incumbentes, doctrinæ cœlestis fundamenta intimis animi sensibus diligenter & penitus percipiatis, vt vobis ex huius vitæ quadam quasi peregrinatione atq; hospitio euocatis ad perpetuum Dei & angelorum, omniumq; sanctorum commercium concedere liceat. Quo pacto autem fragile corpus nostrum diu incolume & sanum conseruetur, & caduca nostra vita, viriumq; imbecillitas aliquantisper sustentetur, perbreuibus nonnullis præceptis, hunc in vsum ex diuersorum medicorum libris conscriptis, atq; in certum ordinem digestis docebo. Sed ne forte arrogantiæ ingenij insimuler, ingenue fateor, me multis in locis integras medicorum sententias transtulisse, & vestra potissimum caussa hunc laborem colligendi suscepisse, quod nō meminerim, hanc rem tam compendiose ab aliis tractatam esse, excepto vno Cornelio Celso, qui in primo De re medica libro præcepta longe vtilissima De sanitate tuenda, mira breuitate complexus est. Vt autem huiusmodi breuitatem eo commodius

odius præſtem, nuda ſaltem præcepta ætati veſtræ maxime
ngruentia fuſioribus interim cauſis & rationibus phyſicis o-
miſſis, vobis ob oculos ponam. Nolite vos hæc aſpernari, ſed
anquam vobis a me ex paterna beneuolentia atq; affectione
licta, cupide ſuſcipite, ſtudioſeq; amplectimini. Non enim
ubito, ſi ſecundum has præſcriptas obſeruationes viuendi or-
inem atq; rationem inſtituetis, quin magna ad vitam com-
modius traducendam inde ſit ad vos redundatura vtilitas.
Quod ad me ſane attinet, fateor me ex his præceptis hanc perce-
iſſe vtilitatem, vt quamuis in iuuenilibus annis paterno ac ſe-
e hæreditario aſthmatis morbo obnoxius fuerim, nunc tamen
c eo ſim liberatus, vt valetudine ſatis commoda vtar, quam
Deus Opt. Maximus pro diuina benignitatis ſuæ arbitrio ac
lacito, mihi diuturnam conſeruare ac propagare clementer di-
netur. Vt autem propius ad rem ipſam accedam, paucis ordi-
e præcipuas recenſebo cauſſas deſtructionis & corruptionis cor-
orum noſtrorum, quibus cum humana natura conflictatur.
Deinde, ea quorum legitimo vſu in corporibus noſtris ſanitas
etinetur exponam. Poſtea præcepta de vitæ ratione ſingulis
iebus, ſeptimanis, menſibus, ſingulisq; anni temporibus ſeruan-
la, deq; annorum etiam climactericorum obſeruatione inſtitu-
nda pauca ſubiiciam. In fine quædam de ſalubri victus rati-
one in itineribus habenda, nonnullorum item antidoto-
rum & medicamentorum ſingularem con-
tra venena vim habentium de-
ſcriptiones ſubiungam.

CAVSSAE CORRVPTIONIS & destructionis corporum humanorum.

CAP. I.

VT igitur institutum nostrum aggrediamur, prima & præcipua caussa corruptionis & destructionis corporum nostrorum, senectutis, mortis atque omnium adeo malorum, quæ in calamitosa hac vita existentes, perpetimur, est lapsus primorum parentum & reliquiæ peccati in corrupta natura nostra hærentis, vt testatur apostolus ad Rom. 8. Corpus morti destinatum est propter peccatum. Quemadmodum enim mors extremum est omnium malorum quæ nos affligere in hac vita possunt: Ita mortis nomine omnes quoque ærumnas & miserias humanæ vitæ complectimur. Huc accedunt nostra etiam errata, quæ, dum cæca nostra voluntas impulsu diaboli in quæuis scelera ruit, indies a nobis committuntur & accumulantur, quibus Deus ad iustam iram & indignationem prouocatus, omnis generis morbos & calamitates in nos grassari sinit. Secunda caussa morborum & destructionis deprauationisque corporum nostrorum est sinister & maleuolus siderum cælestium influxus, temperamentorumque infelicitas. Nam vti singulis rebus proprietates certæ sunt ingenitæ, quas Deus ab æterno naturalibus effectibus cooptauit: ita singularis quoque efficacia & vis diuinitus insita est corporibus cælestibus, quæ Deus non tantum propterea certo ordine ac magnitudine creauit, vt annos, dies & menses discernerent, sed vt essent quoque nobis signa, ex quibus quædam rerum

erum futurarum caperemus argumenta. Pendent
nim inferiora ex ſuperioribus, & cognatione qua-
am mutua inter ſe continentur. Proinde corpora
uperiora occultam quandam vim & virtutem in
æc inferiora infundunt, per quam humores in cor-
oribus noſtris mutantur, augentur & diminuuntur
ecundum ſiderum poſitum & qualitatem. Et hoc
uotidiana experientia, certiſſima rerum omnium
nagiſtra, clarius euidentiuſque docet, quam vt vlla
emonſtratione egere videatur. Si quis fidem di-
tis adhibere noluerit, Lunam mihi conſideret, quæ
n humores præcipue ſibi dominium vindicat, & a-
erte conuincetur. Cum igitur conſtet humores in
orporibus noſtris regi ab iſtis ſuperioribus, ex malis
utem corporum humoribus oriri morbos, ex mor-
is interitus, non immerito ſane mortis & cætero-
um morborum cauſa in corpora cæleſtia aliqua ex
arte refertur.

Præter hæc autem, alia ſunt duo genera cauſarum
corpus noſtrum mutantium ac deſtruentium, quæ
ex ſuperioribus oriuntur.

Alterum quidem eſt earum, quæ nobis ſunt con-
genitæ, ideoque internæ dicuntur, neceſſariæ atque
ineuitabiles. Suntque numero tres: Siccitas nimi-
rum, quæ ætatis curſu ad interitum ducit: Aſſidua
ſubſtantiæ fluxio, vel materiæ in corporibus ingens
varietas & mobilitas, excrementorumque abundan-
tia. Alterum vero earum, quæ extrinſecus incidunt,
& idcirco externæ dicuntur; quarum item duplex
eſt ratio. Nam quædam ſunt earum, quæ non neceſ-
ſario corpus noſtrum immutant, afficiuntve. Nam
etiamſi minus ipſa quoque cum accidunt, a nobis vi-
tari poſſint, attamen ſunt huiuſmodi, vt ſimpliciter
abſq. ipſis vita ſeruari noſtra queat, cuiuſmodi ſunt
quæ corpus noſtrum contundunt, diuellunt, vulne-
rant, quod plerumque fit per externam vim, vt in

bellis & casibus fortuitis: aut cum quis in aquis sub-
mergitur, aut veneno necatur.

Aliæ autem sunt, quæ corpus humanum necessa-
rio alterare dicuntur, quod eas etsi particulatim vi-
tare possimus, in vniuersum tamen declinare ne-
queamus, cum sine iis viuere haud liceat. Hæc in-
quam hominis temperamentum ac constitutionem
naturalem sanitatemq. destruunt ac demoliuntur
vbi non probe, nec vt necessitas, statusque corpori
exigit, cum idonea ac commoda mensura & quali-
tate adhibentur. Versantur autem circa hæc, quibu
quotidie vtimur & nutrimur, quæque nostro corpo-
ri assimilantur, suntque particulatim consideratæ i
nostra potestate atque electione positæ. Harum se
sunt genera:

I. Aër, aqua, ignis.

II. Cibus & potus, seu omnia ea quæ nutriend
corpori adhibemus.

III. Motus & quies, tum vniuersi corporis, tum
singularum eius partium.

IIII. Somnus & vigilia.

V. Excretio siue expulsio excrementorum & r
tentio, sub quibus venæ sectio, purgatio, vomitus, e
cretio vrinę, sudor, balnea, venus & alia continentu

VI. Animi symptomata, perturbationes, affecti
nes, siue accidentia, vt sunt timor, ira, mæstitia, ga
dium & similia. De quibus paulo post plura.

Hæc recte & opportune administrata, homine
in bona dispositione & valetudine conseruant; pe
peram autem vsurpata, destruunt. Vt enim sanit
in mediocritate consistit, ita mediocri quoq. reru
necessariarum vsu conseruatur.

Generalia præcepta conseruandæ sanitatis.

CAP. II.

ENumeraui vobis præcipuas caussas, ex quibus v
riæ mutationes, destructiones, & corruptiones c

porũ

porum nostrorũ oriuntur: Iam ex aduerso referam quoq. ea, quibus si dextro ordine & modo vtamur, incolumitas vitæ continetur, amissa restituitur, nonnullaq. morborum genera minuuntur ac depellũtur.

Ad hanc igitur rem, primo necesse est, vt sciatis, certoq. statuatis, tametsi corpora cælestia arcanam quandam vim & virtutem admirabilem in rebus humanis exerceant: Deum tamen omnipotentem, vniuersæ rerum naturæ opificem & architectum, vitæq. & mortis dominum, atq. arbitrum vnicum, propterea a gubernatione corporum inferiorum nequaquã esse remouendum, sed vere eum omnibus astris astrorumq. influxibus dominari, eorundemque cursum & efficaciam, vel promouere, vel impedire; omnes item inclinationes ab astris ortas moderari, morbosque sæpenumero secundum immensam suam bonitatem auertere & in melius mutare, nonnunquam etiam secundum arcanum & iustum iudicium suum propter delicta nostra exasperare, & in peius conuertere.

Diuina enim maiestas non est astris, quæ ipsa ad vtilitatem & conseruationem generis humani condidit astricta, nec fatali quadam necessitate, veluti carcere clausa tenetur, sed liberrime agit, & vt præcipua caussa cæteras omnes liberrime moderatur & gubernat. Is igitur Deus æternus pater clementissimus Domini nostri Iesu Christi, qui Regi Sedechiæ peccanti vitam quindecim annos prorogauit, assiduis precibus in primis est implorandus, vt nobis quoq. longitudinem vitæ cum incolumi & recta corporis constitutione & sanitate largiri, viresque tum corporis tum animi integras & firmas clementer conseruare dignetur. Recte enim dicitur:

Astra valent aliquid, plus pia vota valent. item:
Astra regunt mundum, sed regit astra Deus. item:
Cedunt astra Deo, precibus Deus ipse piorum.

Deinde, cum propter nostra peccata crebris & va-
riis morborum generibus, corpora nostra afficiantur:
obnixe contendendum est, vt ratione regamus incli-
nationes & motus animorũ vagos, externisq. mem-
bris frenum iniiciamus, nec tantum scelera, verum-
etiam occasiones scelerum fugiamus & vitemus. Hāc
diligentiam adhibere charissimi filii in regenda vita
& moribus, ac in primis pietatem colere, debitamq;
parentibus obedientiam & amorem prę̨stare vos de-
cet. Quod si feceritis, Deus vobis vicissim, sicut in De-
calogo promisit, omnem felicitatem, diuturnitatē-
que vitæ tribuet. Nam vt verissime D. Paulus inquit
1. Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, habens promissi-
ones præsentis & futuræ vitæ. Quod aliquo modo
intellexit homo Ethnicus Zoroaster rex Bactriano-
rum cum dicit: Qui mentem ardentem ad opus pie-
tatis intenderit, labile corpus seruabit. Et Cicero in-
quit: Pietatem esse matrem & fundamentũ omnium
virtutum. Secundo, cum dictum sit, stellas esse cau-
sas effectrices destructionis & mutationis, variorum-
que morborum in corporibus nostris, cumque ob-
seruatio effectuum cęlestium non sit prohibita, han-
curam vobis mandatam esse volo, vt tam directiones
annuas, quam natiuitatis vestræ figuras, quas ego di-
ligenter & exacte computatas singulis relinquo, ci-
tra tamen omnem superstitionem, examinetis, iudi-
ciumque peritorum astrologorum & medicorum
super iis consulatis, vt eo melius mala præuisa euita-
re, bona vero ad optatum euentum perducere que-
atis. Verum enim est quod asserunt nonnulli, cælum
esse fatalem picturam in cælesti tabula. Et perpul-
chre aiunt Hippocrates & Galenus principes medi-
corum, medicam artem sine fauore cælesti sæpe, esse
inanem, imo etiam sæpe noxiam.

Prodest hæc obseruatio ad tuendam bonam vale-
tudinem & pręcauendos morbos. Inspecta enim na-
tur[illegible]

urali inclinatione, maiori vigilãtia mores poterunt egi, & euentus, de quibus ab astrologis admonemur, uosque præscimus, leuius toleramus, prudẽtius delinamus & euitamus, vt prouide & discrete sine molestia transiisse videantur.

Etenim libera nobis voluntas & electio eatenus elicta est, vt auxilio Dei mens fulta, aduersari illeceris diaboli & carnis, inclinationes moderari, & si uam insignem calamitatem aduersumve aliquem asum astra præsagiant ac denuncient, eius occasioes effugere possit: Qua in re tamen honestatis raonem a vobis haberi volo. Nam si citra ignominiã ericulum impendens subterfugere vobis minus ingrum foret, satius esset honeste cito mori, quã cum edecore diu viuere. Proinde certo statuendum est, tionem siue optimum intellectũ prædominari cæs, nec libertatem animi actionesq. nostras siderum ecessitati astrictas esse.

Hactenus in genere breuiter exposui, qua ratione ontra omnis generis mala, morbos, aliasque corpoum nostrorum destructiones præmunire nos queaus, quæ diligentia, si ardens filii Dei inuocatio ad nc accesserit, feliciter euadit. Iam vt institutum ornem vrgeam, ea quæ aliquo modo in nostra sunt si industria, persequar; quorũ si legitimus & rectus us adhibetur, sanitas fouetur & conseruatur; si minus, violatur & destruitur.

Specialia præcepta conseruandæ sanitatis.

CAP. III.

VT autem a definitione ordiar, Sanitas est constitutio corporis, in qua nec doloribus cruciamur, ec in vitæ actionibus impedimur. Si vero corpus ab a constitutione deflexerit, ægritudo est. Sanitatem onseruare (secundum Rasim in Almansore) est motu & quiete, cibo & potu, nec non in super flui-

tatibus & expulsionibus mensuram debitam obser-
uare, domos & loca cætera, in quibus versamur, odo-
ribus pro ratione temporis congruentibus, tempera-
re, malis etiam accedentibus, antequam augmētum
capiant, occurrere, & animales cogitationes & volu-
ptates refrenare, consuetudinesq. conseruare. Ci-
cero inquit valetudinem conseruari cum notitia sui
corporis, tum iis rebus quæ aut prodesse aut obesse
soleant. In quibus enim conseruatio consistit, ex ii-
dem corruptio oritur: vtque conseruatio fit per simi-
le, sic curatio per contrarium. Paulo aliter quam no-
definit sanitatem Isidorus, cum inquit: Eam esse in-
tegritatem corporis, & temperantiam naturæ ex ca-
lido & humido, in quibus cum illa cōsistat; sequitu-
qui plurimum calidi & humidi habent, hos maxim-
esse longæuos; qui vero contrariæ sunt naturæ, fr-
gidi & sicci, hos citius senescere & mori. Nam vt (
quatuor humoribus reguntur sani, sic lęduntur infi-
mi, & cum humores vltra debitum crescunt, ægrit-
dines patiunt. Sic qui natura admodum crassi sun-
citius intereunt, quam graciles. Parum enim sangu-
nis ac spirituum habent. Sed vt ordine de singulis r-
bus, in quarum legitimo vsu, iusta qualitate, quan-
tate & tempestiua vsurpatione, sanitatis conseruat-
consistit, dicamus: ab aëre corpus nostrum ambien-
primum ordiamur.

De aere. CAP. IV.

AER per se est calidus & humidus, & attractio e-
omnibus animantibus tam est necessaria, vt si i
respirationis viæ intercipiantur, statim extinguat-
Et omnes in nobis experimur, ipsam cōstitution-
corporis sępe mutari ex aëris vel temperie vel inte-
perie. Omni igitur studio prouidendum est, vt a-
quoad eius fieri potest, optimus deligatur.

Est autem optimus aër, qui vnicuique est nati-

N

Iam vniuſcuiuſque locus naturalis, vt Philoſophus inquit, ſui eſt locati conſeruatiuus, præterea temperatus, ſerenus, purus, tenuis, patens & liber, a fœtoribus immunis, nulla putredine infectus, ventisq. difflatus, qui, cum attrahitur, ſentitur, oriente ſole cito calescens, eodem occidente cito frigeſcens. E contrario peſſimus ac noxius aër eſt, turbidus & nebuloſus, impurus, fœtidus, nubilus, putridus, occluſus, quem neque ventus neque ſol penetrat, nec purgat, qui non ſecus ac immobilis aqua venenoſam & malignam qualitatem ſuſcipit, qui æſtatis maxime tempore, lacuum ſtagnorumque peſtiferam auram eructantium exhalationibus corrumpitur, vel fæculentis excretionibus inficitur. Sic malitioſus aër eſt, qui ex ſterquiliniis, cloacis, & locis peſtiferis oritur, quique cor conſtringit, & anhelitum coarctat, & qui nimium eſt calidus vel frigidus. Calidus enim diſſoluit, ſitim generat, ſpiritum diminuit, digeſtionem abſcindit. Frigidus aſthmata & catarrhos gignit, vtque huiuſmodi aër impurus, qui ſpiritum vitalem vitiat, omnibus modis cauendus, ſic aër temperatus maxime eſt hauriendus. Niſi enim aſſidue bonus aër attrahatur, quo calor natiuus ventilatus temperetur, refrigereturq., ſanitas turbatur. Ex quibus etiam patet, ſatius eſſe ſub dio verſari, quam cubiculis vndiq. clauſis immorari.

Hoc autem obſeruaſſe etiam contulerit, quod frigidis temporibus aëre calido, aut igni, calidis frigido, humidis ſicco, & ſiccis humido aëre maxime vti conueniat. In diuturnis etiam morbis nonnumquam ſolum vertere prodeſt. Aëris enim & loci mutatione ſæpe ſanitas amiſſa recuperatur. Cum vero aër ſæpe a ventis & odoribus moueatur & mutetur, ventusq. nihil aliud ſit, quam aër impulſu agitatorũ vaporum commotus, de vento & odoramentis pauca addenda eſſe duxi.

De ventis & odoramentis.

Septentrionalis omnium ventorum optimus & saluberrimus habetur. Proximum locum sibi vendicat orientalis, & quicunque ventus aërem modice infrigidat, siccat & serenat. Habitationes itaq. versus orientem & septentrionem sint exstructæ, propter aëris & venti temperiem. Nimius autem ventus obest, tum pulmoni tum oculorum auriumque sensibus plurimum. Quod ad odoramenta attinet, constat aërem quodammodo nutrire spiritus, citissime vero odores: cor & cerebrum corroborare, reficereq. animum, quo refecto, corpus quoq. sentit voluptatem & recreationem.

Aër item vitiosus & fœtidus per odoramenta & suffumigationes corrigitur ac emendatur. Interest autem quamplurimum, quales hauriamus odores. Talis enim & spiritus in nobis euadit: odores nimis calidi mihi non probantur, quia caput replent & catarrhum generant. Cum etenim temperies ipsa cerebri sit, quasi media inter calidam & frigidam, temperatis maxime gaudet, & contra ab aliis maxime turbatur & læditur. Quocirca sunt interdum miscendi mutandiq. odores, vt si regnet frigus, ad calidum declinantes, & si dominetur calor, ad frigidum vergentes attrahantur.

Ex rosis igitur, violis, myrto, camphora nati, sandalis, aqua rosarum, quæ frigida sunt, rursus ex cinnamomo, citro, arantio, aloë, ambra, musco, quæ calida sunt, prout cuiq. vestrûm conuenit, hauriantur odores; neque solum naribus, sed pectori & stomacho admoueātur, quemadmodum etiam theriaca, Mithridatum, thus, succinum, Angelica, & cætera, quæ contra venena vim habere creduntur. Non parum quoq. emolumenti ad spiritus vestros recreandos attulerit, in hortis, vbi subinde boni odores spirant, inter virentes suauiterq; redolentes herbas

frequ-

equenter versari, floresq. & gramina anni tempo-, temporisq. constitutioni, & corporis vestri statui nuenienter per aream proiicere, conclauiaq. con-ergere, vt foliis salicum, rosarum, violarum, pam-nis, origani, serpylli, thymi, lauendulæ, myrtillis, doniis, pyris, pomis arantiis, granatis, aliisque hu-smodi, eademve aqua rosacea, vel ex floribus a-ntiorum aut alia, & aceto irrorare. Nonnum-uam vero in cubiculis vestris fragrantes suffitus ac-ndantur.

Quibus postremo odoramentis, fumigiis & pilis, u orbiculis odoratis ego vti consueuerim, hic subii-am, vt iisdem & vos, habita tamen temperamenti estri ratione, vtamini. Cum autem non omnibus ii-em congruant odores, & varia de his opuscula ex-nt, circa eos, pro ratione diuersitatis temperamen-orum, delectum habere vtile est.

Descriptio aquæ odoriferæ.

℞. Æquali pondere aquam rosatam cum vino bo generoso beneque olente, aceti rosacei quartã artem, sacchari candidi tertiam partem: dissoluatur oc in illis. Alii addunt parũ croci. Hac aqua manus, ciem, iuncturas, oculosq lauate, dentes purgate, estimentaq. & cætera conspergite, aliquando etiam anc deglutire non inutile est. Vt autem singulorũ ondus vobis constet, rationem componendi adscri-am. ℞. Aceti ex vino albo rosaceo vncias iiij. aquæ osaceæ, vini optimi odoriferi albi sing. lib. j. Croci crupulum vnum.

Sacchari candidi liquoribus debite dissoluti librã imidiam. Croco coloretur & coletur, deturq. ad sum.

Aqua odorata moderate calida & frigida.

℞. Sextarium aquæ rosaceæ, in qua per biduum teterit dimidia vncia cinnamomi, macis drachma

vna, radicis violarum drachmæ 2. Caryophyllorum drach. 1. ß. Muſcatæ nucis drachma 1. Poſtquam deſtillaueris, adiicies parum Croci, ad quantitatem v. granorum.

Alia aqua odorifera, mediocriter calida & frigida.

℞. Aquæ roſatæ libras 3.
Recentium florum lauendulæ deſtrictorum manipulos tres.
Recentium Caryophyllorum.
Cinnamomi ana ſemiunciam.
Albarum violarum radicis, drach. duas.
Macis drachmas 2.
Foliorum ſiccat. Roſar. manipulum vnum.
Gummi Benzoi, aut aſſæ dulcis drach. 2.
Styracis calamitæ drach. 2.
Muſci & ambræ ad quantitatem 2. granor.

His adde ſemiunciam aut integram vnciam vini deſtillati aut maluatici, & aquam huiuſmodi radiis ſolaribus per integrum menſis ſpatium expone.

Candelæ odoriferæ contra venena & peſtem.

℞. Ladani vncias tres.
Styracis Calamitæ drachmas x.
Aſſæ dulcis drachmas 6.
Thuris ſeſquiunciam.
Stœch. vncias duas.
Roſarum rubearum.
Caryophyllorum ana vncias tres.
Corticis Citri & ſantal. Citrini ana drachmas 2.
Granorum Iuniperi ſemiunciam.
Ambræ & Muſci ana ſextam drachmæ partem.
Carbonum tiliæ ſeſquilibram.

Hæc omnia cum gummi Tragacanth & ſtillatitii roſarum mixta liquore tepida pila terãtur & in maſſam quandam redigantur: Inde paruæ candelæ fingantur & lente ſiccentur.

Deſci

Descriptio noduli odoriferi contra Pestem.

℞. Styracis calamitæ.
[I]ſſæ dulcis ana vnciam vnam.
[L]adani.
[M]aſtiches ana ſemiunciam.
[C]aryophyllorum.
[X]yloaloës.
[S]antalorum Citrinorum ana drach. j.
[S]eminis nigellæ Romanæ drach. ij.
Cum modico Reſinæ terebinthinæ Venetæ. Fiat [p]ila odorifera ſiue nodulus, qui aromatizetur mo[ſ]chi, ambri, diſſolutorum ex oleo Caryophyllorum [a]na granis ſex.

De præſcriptis autem paulo ante Candelis odori[f]eris, admoneo vos, accendi illas quidem in cubiculis [a]d vſus commemoratos poſſe, non tamen in iis cubi[c]ulis prius eſſe verſandum plane, quam diſſipatus fu[m]us fuerit: qui ſane capiti, oculis & pulmoni noce[r]e haud parum poſſet: ideoq. conſulo vobis, vt potius [o]rbiculis odoriferis, in aquam roſaceam vaſculo ar[g]enteo exceptam proiectis; ipſoque vaſe ſuper can[d]elam accenſam poſito, halitu inde emiſſo thalami [a]ërem odore imbuatis: atque eo modo attrahatis, [q]uo ego in meis cubiculis vti conſueui.

Accidit nonnumquam, vt plane omni odoratus [ſ]enſu priuemur. Hoc vbi fit, gargarizandum eſt os [r]uta & hyſſopo, coctis ex aceto ſcyllitico, & maſticā[n]da eſt frequenter Zedoaria.

Ratio conficiendi paſtillos odoriferos Comitiſſæ Arnsburgenſis.

℞. 4 vnc. Roſarum albarum, iisque folia decer[ta]pe. His in mortario terreo contuſis, adde Benioin vnc 2. per ſpatium 24 horarum in aqua roſarum maceratas; quibus adiice Ambram ad pondus duorum granorum, & Moſchum, ad pondus vnius grani,

nec non Zebethi, ad partem quart. vnius grani. Atte-re hæc ad lapidem, & deinde vna cum rosis contun-de. Omnibus adde vnciam dimidiam sacchari o-ptimi Atque hæc ita contrita per biduum in morta-rio bene obturato sinas. Postea in modum massæ forma: atque inde effinge pastillos aut globulos ro-tundos. Admiscere autem oportet nonnihil gum-mi tragacanthi, in aqua rosarum macerati, singulos-que pastillos ponere in cochlearium gummi draco-nis, vt tanto firmius coalescant. Postremo, singulos pastillos duobus foliis rosarum inuoluere vel inclu-dere.

Alij Pastilli.

℞. Benzoi vnc. ij. Cinnamomi, Ligni aloës ana vnc. ß. Styracis calamitæ vnc. j. Zacchari fini vnc. viij. Mo-schi gr. xvj. dissoluti cum aqua Damascena; formen-tur cum infusione tragacanthi ex aqua rosarum.

De aqua. CAP. V.

POST aërem, vt de aqua disseramus ordinis ratio exigit. Est autem frigida & humida, & non nu-trit, sed medicamenti ritu refrigerat & humectat, promouetque digestionem. Signum bonæ aquæ est leuitas & claritas. Bona item aqua est, quæ tam gustu quam olfactu omnis est qualitatis expers, quæ per vices facile calorem & frigus suscipit, æstate frigi-dior, hieme vero calidior existens, quæ deniq. hauri-tur ex flumine, cuius alueus est profundus, & non li-mosus. Probantur item aquæ, quæ in vase æneo bene expolito, nullam relinquunt maculam, & quæ sunt huiusmodi, vt legumina facile & cito in his coquan-tur. Aqua autem leuissima est pluuialis, subsequitur hanc fontana, deinde fluuialis & putealis, postea gla-cialis vel niualis, ex glacie vel niue resoluta. Vtraque harum mala est, vt & quæ in lacubus: peior tamen palustris, eo quod non moueatur, ideoq. deterrima

Atque omnino mala est omnis aqua turbida crassa, male olens, salsa & amara.

Aqua autem saluberrima est in estate, inde in vere & autumno, in hieme pessima est.

Nullius vero aquæ, siue bonæ siue malæ potio salubris est, vestris præsertim corporibus, quæ in his regionibus aquilonaribus morbis humidioribus sunt obnoxia. Quod si tamen necessitate compulsi aquam ex illis laudabilioribus bibere cogemini, leniter prius ac lento igne eam decoquitote. Huiusmodi enim coctione & crassities aquæ tollitur, & omnis eius prauitas corrigitur.

Quo pacto aqua ad abluendum corpus, manus, faciem, oculos, & aures, itemque ad balnea vti conueniat, paulo post dicemus, quemadmodum & de aquis odoriferis, de quibus pauca quidem præmisimus, verum plura dicturi sumus. Non est autem huius loci, neque nostri instituti, qua ratione aurum, argentum, chalybs, & alia metalla in aqua extinguantur, vt propriam quandam virtutem ex illis suscipiat, hic explicare. Tantum addo, homines viuacissimos, optimæq. temperaturæ esse, qui vtroque tam aquæ quam aëris elemento probe vtantur, cibisque optimis vescantur.

De igne. CAP. VI.

IGnis est calidus & siccus, optimusque est, qui accenditur ex lignis siccis & odoriferis. E contrario prauus est ex lignis viridibus & graueolentibus, similiter ex carbonibus factus, qui caput grauat. Vt autem ignis moderatus vapores in cubiculis dissoluit, domestici malitiam aëris corrigit, frigus externum arcet, caloremque naturalem suscitat: Sic nimius ignis & fumus oculos, pulmonem & caput lædunt, fluxusq & catarrhos crebros generant, humoremq. naturalem exiccant. Quocirca fugienda maximeq.

deteſtanda eſt noſtratium Nobilium conſuetudo, qui cum in his Holſatiæ partibus magna lignorum copia ſuppetat, ignem tam copioſum & luculentum extruunt, vt ipſis fere præ nimio calore & fumo ſpiritus intercludatur: vtq. nimium ignem diſſuadeo, ſic vſum hypocauſtorum vobis omnino interdico, vtpote iis, qui valetudini ſuæ recte conſultum volunt, minime probandum.

Vtimini ergo foco moderate calido, in quo Iuniperi, myrtus, terebinthum, laurus, ſaluia, libanotis, lauendula, ligna abiegna, quercina & fagina vrantur. Vitabitis autem ligna quæ prauum & grauem fumũ caput tentantem, vel alicui parti corporis noxium emittunt, vt ſunt populi, ſambuci, bruſci, mori, & ſpinarum omnium. Satius eſt autem aliquantulum frigoris tolerare, quam tantam caloris vim ſuſtinere, vt membra ſudore guttatim cadente diffluant. Arceatur nihilominus frigus a capite, pectore, pedibus & ceruice: vt enim calor temperatus digeſtionem adiuuat, ſic nimium frigus memoriæ & reliquis membris officit. Proinde ignis, quantum arcendi frigoris & excitandi caloris innati neceſſitas exigit, adhibeatur, caueaturq ne modus in alterutro excedatur. Quod vbi fit, natura læditur. Atque hæc de igne dicta ſufficiant.

De cibo. CAP. VII.

CVM abunde ſatis pro inſtituti noſtri ratione de aëre, aqua & igne diſſertum ſit, nunc de cibo & potu agendum eſt. Cibo, quicquid ſiccioris ſubſtantiæ effluit, quotidie reſtituitur: Potione vero, quicquid humidioris. Sed ratio qualitatis, quantitatis, temporis & ordinis in primis eſt habenda. Deligendus eſt igitur cibus ſubſtantia mediocris & bonum ſuccum procreans. Nam ſi corrupto alimento corpus paſtum fuerit, in deterius labitur.

Quip-

Quippe ex boni ſucci cibis bonus ſanguis; ex mali autem ſucci cibis malus generatur. Ciborum varia ſunt genera. Quædam enim ſunt ſubtilia, quædam mediocria, quædam craſſa. Subtilia ſubtilem generant ſanguinem, vt ſunt pulli gallinacei bene nutriti, oua, optima frumenta, caro porcina recens.

Mediocrem ordinem obtinent, carnes agninæ, arietinæ, veruecinæ, vitulinæ.

Craſſa proſunt hominibus calidis & crebris laboribus corpus exercentibus, vt ſunt bubulæ carnes, vaccinæ, ſuillæ, leporinæ, ceruinæ, aliarumq ferarum, quæ in venationibus capiuntur, & domeſticis ſalubriores eſſe cenſentur.

Vt autem in conſpectu habeatis, qui cibi facilis ſint coctionis, qui vero difficilis; breuiter ſingulos ordine recenſebo. Facilis coctionis ſunt: Vua, ficus, amygdalæ dulces, lactuca, apium, hordeum coctum, caro porcina, pulli gallinacei, perdices, turdi, oua volatilium, piſces ſaxatiles, qui in petroſis locis degunt, auiculæ, &c.

Difficilis vero concoctionis ſunt: Panis azymus, faba, lenticula, cicer, cydonia, caſtaneæ, auellanæ, oliuæ, cucumeres, caules, fungi, rapæ, caro hircina, bubula, ceruina, piſces duri & glutinoſi, aues in ſtagnis aut paludibus, aut lacuſtribus locis degentes, anates, anſeres, pulli columbini, grues, pauones, cancri. Item peculiares partes auium, guttur, hepar, ſplen, renes, ſtomachus & inteſtina, venter, caſeus tam recens quam vetus.

Lac amygdalinum cum ſaccharo menſæ familiariſſimum eſſe debet. Item lac caprinum cum ſaccharo & marathro ieiuno ſtomacho ſenibus non male conuenit. Saccharum autem per ſe eſt calidum & humidum temperate, corroborat, digerit, purgat, conuenit ſtomacho, ſed nimius eius vſus obſtruit, ſecundum Auicennam, & facile vertitur in choleram.

Vitellus oui facillime, totusque fere in sanguinem conuertetur.

Laudatur vero suilla, quæ inter calidum & humidum temperata cæteras nutritione superat: sed tamen quia phlegmatica est, nō omnibus pariter conuenit. Magnam autem similitudinem cum humana carne habet.

Caro ceruina etsi difficilis est concoctionis, tamen tota ipsius substantia aduersatur venenis, excepta cauda, quæ ipsa venenosa est. Ego certe carnem ceruorum iuniorum cōtra febrim valere, & alioquin salubrem esse iudico, iis præsertim, qui facile concoquunt. Cornua ceruorum tenuia & recenter enata, sunt cibi Principum, & valent contra venenum, quemadmodum etiam os quod nascitur in corde cerui. Ex piscibus eligantur parui, saxatiles, squamigeri, minimeque viscosi, in fluminibus & puris aquis natantes: magni magna adferunt detrimeeta. Laudo lucium: Anguillas vero & tenchas minime salubres, sed damnandas esse duco: vtque omnis pinguedo mala, & piscium pessima est. Omnes autem promiscue carnes & pisces, quando assantur, acquirunt duritiem, caliditatem & siccitatem aliquam, & corpora magis nutriunt, maiusq. robur adferunt, quam elixæ carnes.

Panis vester sit triticeus, bene coctus, non plane furfuris expers, ex recenti confectus frumento, non nimis antiquus, nec maioris ætatis, quam trium aut quatuor dierum. Vsus calidi & recentis panis in comedendo officit.

Medulla vero adhuc calentis panis indita vino, ad olfactum si adhibeas, prodest, cor ipsum recreat atq. corroborat, spiritumq. fouet. Crusta panis, iis quorum ventriculus abundat superfluis humiditatibus, conducit. Panis autem indigestus naturam magis lędit quam caro, secundum commune dictum: Omnis

repletio

repletio mala, panis vero pessima. Sal calidum & siccum, reddit singulis ferculis saporem, excitat appetitum, sed nimius eius vsus est nobis noxius, quia adurit sanguinem, lædit visum, & scabiem excitat.

Lac est calidum & humidum, propinquum complexioni humanæ, conuenit pueris & senibus, non multum autem febricantibus.

Quantum ad fructus attinet ô filii, eorum vsum omni modo vobis prohibeo. Plus enim detrimenti quam boni afferunt. Ex nucibus tamen & ficubus pharmacum componitur, de quo postea dicam.

Laudo vuas passas, si quis mane antequam alia fercula attingat, iis vescatur. Quibus etiam in coctione ciborum miscendis, melioris saporis gratia vti licet, quemadmodum & reliquis fructibus, sic enim virositatem amittunt. Quamdiu autem sani sospitesque estis, cibis, quos maxime appetitis, vos vesci (moderate tamen) cupio. Nam qui cũ delectatione assumuntur cibi, hos ventriculus auidius amplectitur, promptiusque & expeditius concoquit; sed ex aduerso, eos qui displicent, refugit, atque auersatur.

Quantitas cibi & potus debet esse tanta, vt calor innatus, in quo vita consistit, neque propter penuriam alimenti resoluatur, neque propter copiam opprimatur, extinguaturve, sed vt possit vincere & superare. Nam vbi secus fit, & vel nimis parce cibus subministratur stomacho, consumitur corpus, & debilitatur virtus; vel si nimius ingeritur, est causa putredinis & obstructionum. Excessus autem animaduertitur, si anhelitus, pulsus, vrina & egestio mutentur. Tantum igitur cibi & potionis adhibendum, quantum ventriculus facile concoquere possit, vt vires reficiantur, non opprimantur. Sic enim edendũ est, vt esuriamus: & sic potandum, vt sitiamus, sanitatisq. studium in eo consistit (vt docet Hippocrates)

vt ſatietas ciborum fugiatur,& alacritas ad laborem præſtetur. Nec de nihilo eſt quod trito fertur prouerbio, Plures perire crapula quam gladio, vnicamq. gulam omnium prope morborum eſſe matrem, & per eam curſum vitæ ſæpe abrumpi. Famem itaque cibus, ſitim potus expectet, auiditas vtriuſq. ſuperſit, faſtidium & ſecuritas procul abſit. Vt autem non plus cibi, quam natura exigit, ingerendum: ſic viciſſim periculoſior eſt tenuior victus, quam paulo plenior. Sæpius enim accidit, vt ſi quæ copioſiore cibo collegeris, progreſſu temporis facile conſumas; & ſi quid etiam ſuperſit, repletioni abſtinentia mederi poſſit. Interim meminiſſe vos decet, omne nimium naturæ eſſe inimicum, temperantiæ vero mercedem eſſe robur & ſanitatem.

Vt in aliis rebus omnibus, ſic etiam in adminiſtratione cibi & potus ordo minime eſt turbandus. Subtiles itaque, liquidi, humidi, ac facilis coctionis cibi, ſolidis, duris, craſſioribus & tardæ coctionis cibis præmittãtur, ne forte dura liquidis exeundi meatus impediant, & corruptio fiat, ſecundum verſiculum:

Præmittas calidum frigidis, & mollia duris.

Bis in die comedite: ſed cum aliqui veſtrum nondum ad pubertatem acceſſerint, ter vel quater iis de die cibum capere licet: quod idem etiam cholericis & ætate prouectioribus ſalutare fuerit.

Prandio vel cænæ certas & ſtatutas horas deſtinare vos minime volo, propter negotia tum publica, tum priuata. Nam cum, propter profectionum, venationumq. commoditatem, corpori curando ſemper vacare nequeatis, ſed tempus prandii vel cænæ interdum differri cogamini, malo vos hac in parte a Medicorum decretis aliquantulum diſcedere, vt maior neceſſitatis, quam huiuſmodi exquiſitarum præceptionum ratio habeatur. Tempus autem edendi aptiſſimum eſt abſoluta concoctione, quod fames

indicat

[i]ndicat, neque ingerendus alius est cibus, priusquam [i]ngestus plane fuerit concoctus.

In comedendo minime moram producite, sed si[m]ul omnia fercula vobis apponi curate, vt quod ma[x]ime palato & ventriculo arriserit, inde deligatis. A[li]menta antequam deglutiatis, exactissime mandite, [m]olaribusq. optime atterite.

Sumto cibo modice deambulate, mox vero sede[t]e, secundum versum:

Post pastum stabis, passu mollive meabis.

Cæna, cum noctium ingruit longitudo, largior & [p]lenior prandio, dum adhuc in iuuenili ætate estis [c]onstituti, vobis congruit. Secus vero si catarrhis & [d]estillationibus, nocturnisq. morbis laboratis. Sic[c]us cibus alimenta mollia, potumq. pondere æquet. [I]nter comedendum sæpe ac parũ bibite. Inter pran[d]ium & cænam potu abstinere concoctionem iuuat, [c]holericos tamen & pueros hoc præceptum non ita [a]rcte obstringit.

Inter vtramq. comestionem ad minus sex horarũ spatium interponatur, vt tempore intermedio præcipuæ coctiones perfici queant. Hieme rectius cibis actu & virtute vtimini calidis, ęstate vero frigidis. Sed nunc ad potum transeamus.

De potu. CAP. VIII.

Potus non minus quam cibus necessarius est, vt corpus humectet, & quod humidum e corpore dissoluitur, restauret, crassioresq. cibos ad loca remotiora depellat.

Moderata vini potio vires reficit, calorem naturalem corroborat, humores temperat, purgatque per sudorem & vrinam, corpori alimentum exhibet, appetitum & coctricem facultatem iuuat, & animum, præsertim eorum qui temperatæ sunt complexionis, lætum & hilarẽ reddit. Immoderata vero potio

vini omnes humani corporis sensus lædit, ingenii vires opprimit, animiq. vigorem eneruat, ac hebetem reddit, cerebro ac neruis plurimum officit, tremorē membrorum, spasmum, apoplexiam, paralysin & mortem repentinam adducit.

Vinum autem præ cęteris illud eligatur, quod prę-ditum est bono odore, colore, nitore & sapore. Vinū vetus calidum est in tertio gradu, recens in primo. Sed quo est generosius, eo calidius; quo dulcius, eo minus validum.

Vinum defęcatum recenti, siue musto, salubritatis palmam præripit. Hoc enim inflationes & calculos in renibus generat, ægreq. concoquitur, aluum tamen cito mouet, illudque boni saltem præstat.

Inter cætera vini genera præstans est vinum, quod cum Helenii herbæ radice decoctum est. Asthmaticis enim salubre est, & ad concoctionem in primis conducit, purgatq nonnihil. Ideoq hoc vini genere ego delector. Vinum etiam saccharo decoctum senibus frigidis, & debilibus conuenit, & quibus humor natiuus & calor naturalis imminuuntur. Nutrit enim & sanguinem generat, & replet partes principales spiritibus.

℞. Vini optimi libras tres.

Sacchari albissimi libram 1. coquatur ad lentum ignem more syrupi, serua & vtere cum duabus partibus aquæ decoctæ, vt supra, vel aliter prout vsus postulabit. Hoc vinum siue potius ex vino syrupum Rabi Moses in libro De victus ratione senum & conualescentium approbat. Probo etiam potum Hippocraticum, qui valde his frigidis in locis conducit, hiberno præsertim tempore.

Cereuisia sit ex bono frumento, probe cocta, sit clara, non nimis recens, nec adeo vetus, vt saporem contraxerit acetosum. Cereuisia alit neruos, bonum efficit colorem, e stomacho & intestinis facile effluit,

tempo-

mpore calido confert plurimum, ſitim ſedat, & rporibus noſtris non multo minus ſalubris eſt, am vinum. Obtinet cereuiſia, præſertim Hamrgenſis, præter nutriendi & calefaciendi facultam, quam ex tritico aut hordeo nanciſcitur, quanm etiam medicandi vim ex lupulo ſalictario accem. Quodque ſit potus ſaluberrimus incolarum his regionibus ſeptentrionalibus, floridus color, rma elegans & integra corporis conſtitutio indint. Nam raro noſtrates podagra vel arthritico orbo afficiuntur: Catarrho tamen vel aſthmate, renum morbo nonnumquam infeſtantur. Quod ero quis cereuiſiam vſque ad ebrietatem ingurgierit, plurimum ex hac detrimenti percipiet. Nam pitis dolorem, inflationes & morbos frigidos inde gni experietur. Ita vt peior ſit crapula, quæ a cereia, quam quæ a vino oritur, his præſertim in lo, vbi phlegma & catarrhi in corporibus abundant. ioqui grauior eſt, ex vino quam ex cereuiſia crala. Sed cum cereuiſiarum diuerſa ac plurima ſint nera, vnumquemque naturæ ſuæ rationem hare decet, vt cereuiſia quæ maxime ſibi conueniat, itur.

Aquam decoctionis hordei, quæ ad refrigerandū n ſanis quam ægris confert plurimum, quaq. ego conſueui, quemadmodum conficere oportet, hoc co ſubiiciam.

℞ Hordei libram dimidiam.
quæ menſuras 4.
ycyrrhizæ ſemiunciam.
minis violarum drachmas ij.
minis petroſelini drachmas ij.
oſarum rubearum vncias iij.
ſſopi, } ana ſeſquiunciam.
luiæ, }

Ficuum,
Vuarum passarum } ana vncias iij.
enucleatarum,

Hæc omnia in vase fictili decoquantur tamdiu, donec ad latitudinem duorum transuersorum digitorum decrescant. Vas fictile in aquam frigidam colloccetur, & deinde per linteolum excoletur.

Hieme calidum, æstate frigidum bibatur, nec vmquam ante sumptum cibum, nec spatio inter prandium & cœnam interposito, nisi aliquis choleræ valde sit obnoxius, vel puer, vel in teneris annis inueterato quodam more sit assuefactus. Quę tamen consuetudo mala est, & paulatim tractu temporis in melius mutanda.

Ex aureis argenteisq. poculis bibere, ad sanitatem non parum emolumenti habet, quemadmodum etiam aurum vel argentum cādens in potione extinguere prodest. Pocula vestra sint operta & tecta, ne quid detrimentosi illabatur, vel venenum a muscis aut aliis animalculis inferatur.

Potum autem niue imposita aut nitro resoluto refrigerare vos nolo, atque hoc vt rem corporibus vestris noxiā prohibeo. Nam cum potus niue aut nitro refrigeratur, violenter cogitur.

Cùm acetum etiam cum potu cognationem quandam habeat, pauca de hoc monere, ab instituto meo haud alienum esse duxi. Est autem frigidum in primo gradu, & siccum in secundo proportione: secundum eius aciditatem melancholicis obest, cholericis vero prodest. Vnde calido stomacho pariter & humido eius vsus permissus est. Nam appetitum excitat, concoctionem iuuat, sistit & compescit furentem bilem, phlegmati attenuatione siccitateq. aduersatur, pulmoni tamen obest.

Meminentis etiam omnia alimenta fulmine tacta noxia & perniciosa esse. Inest enim illis vis pestifera

ex qua ſpiritus venenatus in contactu diffunditur. Quare nequaquam potu conuenit vti, qui fulmine ictus degenerarit, ſiue ſit immutatus.

Labor autem cibum antecedere debet, cibus potum, vterq. ſomnum, atque in his omnibus modum ſeruare optimum eſt. Peior vero cibi, quam potionis eſt repletio: peſſima cibi & potionis coniunctim, niſi per vomitum curetur. Et hęc de potu dixiſſe ſufficiat. Iam ad motum & quietem progrediamur. Quomodo autem concoctio cibi ac potus perficiatur, ex Galeno hic ſubiiciam.

De concoctione ex Galeno.

Alimentum a ventriculo elaboratum, vbi ad hepar traxerunt venæ, ibi rurſus feruet & concoquitur, alteraturq. in ſanguinis generationem; in ebullitione autem hac ex ipſis excrementis, quod fæculentum quidem & craſſum, ſubſidet; quod vero tenue exiſtit & leue, innatat, & veluti ſpumæ quædam in ſuperficie ſanguinis fluitat. Excipit autem quod flauum & tenue eſt, veſica fellis ad hepar poſita, quod craſſum & limoſum lien, quem in ſiniſtris partibus ventris obdidit natura. Quod reliquum eſt, rubrum quidem illud & purum a vena caua in gibbis hepatis orta excipitur, eaq. veluti aquæductu ſanguinis pleno ad vtramq. animalis partem fertur ſuperiorem & inferiorem (nam illa per totum corpus in varios ſpiſſa ramos diſſeminatur) liquido tenuiq. & aquoſo humore, qui adhuc in hac reliquus eſt, veluti vehiculo ductum donec ad dextrum cordis ventriculum pertenit. vbi hunc renes excipiunt, & ab his veſica maior, per quam eiicitur.

De motu ſiue de exercitationibus corporis.

CAP. IX.

QVoniam magna pars conſeruandæ ſanitatis in opportuna corporis exercitatione conſiſtit, mo-

tus quoque ratio, quo corpus valetudinis conse[r]-
uandæ gratia agitatur, diligens eſt habenda. Motu[s]
autem tamquam genus continet in ſe omnes exerci-
tationes, & corporibus noſtris neceſſarius eſt, tam
continuus, tam temperatus, tam varius motus, quam
cæleſtium aërisque, ignis & aquæ; ſeruata tamen cō
coctionis & ſomni neceſſitate, defatigatione vero &
reſolutione diſtillationeque vitata.

Omnis autem exercitatio corpori leuitatem præ-
bet, inſitum calorem auget, membrorumque duri-
tiem efficit. Per laborem vires corporis magis ac-
creſcunt, membraque omnia redduntur ſolidiora &
robuſtiora, ſed ex contrario membra per ocium ta-
beſcunt.

Exercitatio acuta corpus tenuat, contraria craſſiu[s]
reddit: multa corpus ſiccat, mediocris obeſum præ-
ſtat. Vernum exercitium ſit maius æſtiuo.

Varias autem exercitationum ſpecies quærite, &
moderatas amate, locoque opportuno & commodo
inſtituite, vt modo ruri, modo in vrbe verſemini, in-
terdum nauigio vehamini, nonnumquam vehicul[o]
vltro citroq. feramini, quandoq placeat venatio.

Suaui & iucunda ambulatione adhibita cibus i[n]
ventriculi fundum deſcendit, longiore & concitatio-
re etiam frigoris vis diſſoluitur. Vt plurimum autem
in locis apricis ambulationem inſtituetis. Sub dio e-
nim nati ſumus, cumque in locis apricis ambulamu[s]
aër & venti nos circumdant, Sol cæterique planet[æ]
& ſtellæ radios libere in nos proiiciunt, vis ſiderum
obambulantibus nobis e directo magis incidit, noſq[ue]
aërem haurimus & attrahimus recentem, quo ſpiri-
tus cordis egregie reficitur.

Melior itaque eſt ambulatio ſub dio cæteris pari-
bus, quam in porticu; melior in ſole, quam in vmbra.
Si caput patitur, melior in vmbra quam viridaria e[f]-
ficiunt, quam quæ tecta.

Man-

Mane circa montes, vesperi vero ad amœni flumi-
is ripas spatiari conuenit.
Laudo etiam frequentem aquæ nitidæ aspectum,
irides & rubros colores, hortorum nemorumque
sum, quemadmodum etiam leuem nauigationem
alde probo, & varietatem in primis, facilesque oc-
upationes & diuersa negotia, non molesta, assi-
uam hominum gratiosorum & felicium consuetu-
inem.
Laudantur a Medicis eæ potissimum exercitatio-
es, in quibus brachia exercentur, & thorax pandi-
ur, vt superfluitates in pectore & pulmone discutiã-
ur, & materiæ ad inferiora trahantur.
Ascensus & descensus cum quadam varietate etiã
ouet corpus, nisi tamen id sit, perquam imbecillũ.
quitationis exercitium quoque non est insalubre.
ęc enim spiritus ipsos supra reliquum exercitiorum
enus corroborat, & sensus purgat, stomachoque in
rimis est apta, & spinam rectam sustinere postulat.
um itaque his redundet commoditatibus equita-
o, & nobilibus maxime conueniat, atq ad illorum
pedienda negotia in primis sit vtilis, in pace iucun-
a, in bello vero necessaria; nequaquam hanc negli-
ite, sed debitam operam & studium in eam impen-
ite. Quia vero ad eam exercendam naturæ vestræ
uctu satis inclinatos esse scio, plura de hac non dicã,
d saltem hoc adiiciam, eam si nimia sit, visceribus
besse propter iactationem frequentem & membro-
um succussionem.
Ego venatione (quam vix quisquam satis iustis
æconiis vmquam ornare poterit) vnice delector.
enatio enim non solum vniuersas corporis vires &
artes ex æquo exercet, sed etiam animum mira vo-
ptate afficit. Facit nos ante lucem somno excusso
nari, frigoraq. & calores tolerare. Equitando totũ
orpus venatoris mouetur, eoq. pacto insitus calor

augetur, lacerti, brachia manusque canibus venati-
cis ducendis agitantur, canum ſtrepitu, clamore &
latratu aurium ſenſus exacuitur, vociferatione tho-
rax & vocalia inſtrumenta exercentur, dum feras fu-
gientes ſummo ſtudio venator inſequitur, curſu ad
quoduis opus efficiendum agilior redditur, in velo-
citatem celeritatemque ferarum, atque in canum
incurſum, inſultumque acies oculorum intenditur,
qua re viſus melior perfectiorque efficitur. Sæpenu-
mero in venando animus, vbi ferox aliqua beſtia ſe
ſe obiecerit, ardore quodam incaleſcit, deinde cupi-
ditate & honoris ſtudio captus, cæde ferarum mir[illegible]
afficitur, dumq. omnibus corporis aduocatis viribus
omniumque neruorum contentione certamen ag-
greditur conficitque tandem, laboris victor reipſa la[illegible]
tatur. Membra quoque & inſtrumenta reliqua vena-
toris, ex mutuo ipſorum attritu redduntur durio[illegible]
& robuſtiora; ſpiritus vehemētius mouetur, muſcu-
li & nerui validiores efficiuntur. Taceo, quæ conſil[illegible]
in feris indagandis, quam diligentem in capiend[illegible]
laborem, in feriendis & percutiendis ſtudium vena-
torium requirat, ex ipſo etiam conatu ad multa m[illegible]
liores & ſapientiores euadimus. Denique venati[illegible]
maximam cum re bellica ſimilitudinem habere v[illegible]
detur. Hæc enim ſibi præficit ducem, cuius dictis [illegible]
mnes auſcultant atque obediunt, hoſtem excurſi[illegible]
nibus prouocat, exploratores in ſpeculis diſponit, i[illegible]
ſidias abdit, apertum martem ſimulat, diuortia q[illegible]
ad fugam patent, obſeruat, per ſaltus quidem & a[illegible]
ua pedites præmittit, loca plana & aperta equitum[illegible]
alis præcingit, cornuum ſtrepitu progreſſus aut rec[illegible]
ptus, prædam aduentantem aut euadentem ſigni[illegible]
cat, moueri caſtra indicat. Adeo vt omnino co[illegible]
cludendum ſit, venationem bello ac pugnæ ſimil[illegible]
mam. Ex his itaque conſtat, venationem trip[illegible]
cem nobis præſtare vtilitatem, vnam ſanitatis; al[illegible]
ram[illegible]

ram, scientiæ rei militaris; tertiam, victus Sed ne absq. ratione hāc venationis disciplinam vobis commendare videar, Xenophontem, qui fuit præstans Imperator, bonus paterfamilias, & diligens naturæ suæ conseruator, huiusque artis peritissimus, magnis hanc laudibus efferentem introducam cuius summi viri testimonium maximam apud vos habiturum authoritatem spero. Is in suo De venatione libello sic inquit: Qui studio venationis dediti sunt magnā ex eo vtilitatem capiunt Nam corporibus bonam valetudinem comparant, hinc vident audiuntq. magis, senescunt minus: Hæc ad bellum præcipue instituit; Primo quidem, si vias iniquas sub armis ambulant, minus lassantur: nam labores sustinent, quibus feras capere consueuerunt. Deinde, poterunt humi iacentes quiescere, ad imperatoris edictum præsto esse. In adeundis hostibus inuadere simul & imperata facere, cum feras ipsi hoc modo venentur. Nec vero in fronte locati deserunt acies, quia sunt paratissimi. At in hostium fuga vbiq illos propter locorū peritiam recte ac tuto persequuntur. Quod si exercitus suus infeliciter pugnauerit, in siluosis, abruptis, iniquisq. aliis locis seipsos cum cæteris non turpiter saluare poterunt: nam consuetudo venandi nōnihil eos peritiores reddit. Et hi pleramq magna commilitonum turba fugiente, victores hostes propter locorum difficultatem errantes, suo ipsi robore & audacia repugnando terga dare coëgerunt. Nam fortuna fere corporis & animi fortitudinem comitatur. Quod cum maiores nostri cognoscerent, hinc rem aduersus hostem bene geri, studium hoc iuuenum instituerunt. Hæc ille.

Sunt & alia exercitia, quibus sanitas cōseruari potest, vt certamen equestre, cursus, natationis, gladiatorum, sagittariorum, & vsus pilæ proiectilis nostris temporibus in his regionibus vsitatæ. Item gestatio,

vectio, cantatio, clara lectio. Paruæ etiam pilæ siue sphæræ vsus a Galeno commendatur, quod crura, brachia, ceruicem, caput, oculos, dorsum, lumbos, & omne ex æquo corpus moueat.

Nonnulli frictionem & cohibitionem anhelitus exercitationibus annumerant, quæ cum aliquem in tuenda valetudine vsum habeant, leuiter perstringendæ veniunt.

Frictione, si dura est, corpus duratur & corroboratur: dum scilicet excrementa, quæ spatia particularum intermedia occupant, discutiendo membra densantur, compactioraque & firmiora euadunt. Si mollis, mollitur; diffuso nimirum, non autem discusso particularum humido, aut etiam nouo aliunde accersito. Si multa, minuitur; si nulla, repletur. Ego discessurus cubitum tibiis, brachiis, anteriori & posteriori parti corporis, frictionem singulis fere diebus sub noctem ad focum per pueros mihi ministrari curo. Idque ad quartam coctionem, quæ in venis perficitur, iuuandam: quæ res vtut nulla ratione satis approbari posse videatur, mihi tamen, ni fallor, summopere contulit. Qui matutino tempore frictiones huiusmodi esse opportuniores censebit, is vt suum & ipse sequatur genium suadeo. Cohibitio spiritus nunc non est in frequenti vsu. Illud tamen monuisse non pigebit, retentionem spiritus contra singultus leuiores, ex frigiditate ortos, præsens esse remedium, vt Aristot. quoque 33. Sect. Problem. 1. testatur.

Omnis vero exercitatio læte suscipiatur. Facit hoc ad probiorem suscepti operis continuationem: & est alioquin omnis motus, qui secundum naturam est, initio sui tardior ac debilior, in progressu autem & fine celerior expeditiorque.

Exercitationes autem bene valenti sunt ad præcautionem accommodatissimæ, omnes tamen con-
fecto

fecto prope duplici cõcoctione cibo,aluoq. subducta, id est, bono mane: Sic enim & alimenti coctio, & eiusdem concocti digestio per corpus promouetur, & si quid excrementorum ibi hæserit, expurgatur: Alioquin post digestionem quidem corpus absumunt, & colliquant; post cibum autem caput grauant, coctionem perturbant, impurisq. crudis succis corpus replent vniuersum.

Exercitatio producatur ad sudorem vsque, quo guttatim emanante rursus intermittatur, vel etiam continuetur, vsque ad defatigationis initium: idque ipsum modo magis, modo minus faciendũ est. Hieme sit prolixior, quam æstate. Et plus debet se exercere phlegmaticus, quam cholericus: vt enim animi, ita corporis quoque exercitia moderata & tempestiue adhibita sint oportet: mala est enim nimia defatigatio atque exsolutio corporis, peior animi, vtriusque simul pessima, oppositis nempe hominem motibus distrahens, vitamq. disperdens. Moderatis autem laboribus corpus, animus honestis actionibus roboratur.

Cæterum cum exercitio aliquo incalueritis, ne statim vẽto aut frigido aëri vos exponite. Omnis enim subita mutatio est periculosa, cum alias tum vero maxime, cum ab altero extremorum ad alterum fit transitus: quæ paulatim fit, magis est tuta. Ne autem hoc loco sim longior, cum Hippocrate & Celso concludam, sanitatis tutelam auspicandam esse a labore, quem excipiant cibus & potio, deinde somnus, mox venus. Sed labor, cibus, potus, somnus, & venus, omnia sint mediocria.

De quiete & otio. CAP. X.

QVemadmodum exercitationis vsus legitimo, debitoque tempore administratus ad sanitatem conseruandam plurimum momenti habet. ita quies

immodica & perpetua non solum corporis, sed & animi vigorem obtundit. Nam vt per exercitium calor innatus suscitatur, adeoque ciborum concoctio digestioque eorundem promouetur, ita per otium accidunt contraria. Otium igitur immodicum tamquam ipsissimam pestem vos fugere volo: nam, vt Poëta inquit, *Varia semper dant otia mentem.* Naturę tamen expedit, vt corpus labore defatigatum requiescat, præsentissimumque lassitudinis remedium. & exercitationis condimentum est quies, vt Poëta inquit,

Otia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis;
Immodicus contra carpit vtrumq; labor.

Hunc igitur scopum vitæ vobis, filii mei carissimi, in primis præfixum esse volo, eam præcipue ob causam vos in hãc lucem editos esse, vt Deo immortali, patrię, propinquisq; inseruiatis, non vt edatis, bibatis, dormiatis, otioq; diffluatis. Edimus enim & bibimus vt viuamus, non viuimus vt edamus & bibamus, vitamq; in otio absq; honesto labore traducamus. Et hæc de quiete & otio dixisse sufficiat.

De somno. CAP. XI.

POsteaquam de motu & quiete dixi, restat vt de somno & vigilia breuiter verba faciam. Est autem somnus vt Hippocrates libro de insomniis ait, quies quasi recessus animi in seipsum. Item animalium facultatum requies, vinculũ siue vacatio sensuum externorum, & motus localis ab vtili quadam humiditate, vt putant, cerebrum madefaciente, inclinationemq; ad somnum inducente, proueniens. Somnus autem vires roborat omnes, corpus reficit, concoctionem confirmat & perficit, ægritudinem obliuioni debet, lassitudinem leuat, mentis insaniam corrigit. Præterea internas corporis partes humectat, visceribus vt functionibus suis obeundis sufficiãt, & ad

omnino

omnia naturæ opera plurimum confert. Interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet: nocturnus enim somnus maxime secundum naturam existit. Hæc interualla motuum atque hunc ordinem Deus ab initio in natura sanxit.

Somno tamen non nimis indulgendum est, pomeridiano vero neque etiam parum: nam is vt valetudinis hostis capitalis (nisi tamē vbi quis nocturnis laboribus aut vigiliis a sopore præpeditus fuerit) est fugiendus. Et sane qui ita sunt somno dediti, vt magnam diei partem stertant, & cum gliribus certent, raro ad iustam perueniunt senectutē. Etenim ii magnam impuriorum excrementorum copiam non solum ex cerebro, verumetiam aliis corporis partibus accumulare solent. Alios consuetudo subleuat: sed assuescere iis, quæ præter leges naturæ fiunt, consultum vobis non est.

Vt autem nimius & immodicus somnus noxius est, sic moderatus proderit vobis in primis, cum ad decrepitam senectutem fueritis progressi, ad humectandam siccitatem. Duabus horis a cæna vigilate, priusquam vos quieti mandetis. Lucubrationes nocturnas fugite. Somnus vester spatio 7. aut ad summum 9. horarum circumscribatur, idque hac conditione. Si concoctio alimentorum probe & perfecte fuerit absoluta, quod vel ex vrinæ flauitie, vel corporis alacritate, & membrorum vigore cognoscitur. Item; quando nec ventris dolor, nec ructus, nec oscitatio adest. Nonnumquam etiam nocturna vigilia, aut crapula diurna prolixiorem somnū exigit. Eo magis si vos peste aut veneno infici contigerit, per initia præsertim mali cauendum erit, ne per nimium somnum venenum ad intima pręcordia illapsum vos extinguat: Virium tamen semper habenda ratio fuerit.

Quod si noctu vigiliis detenti, ex vno latere vos in

alterum voluitis & versatis, vigilesq permanetis, alia post aliam imaginatione accedente, ac somnum intercipiente; non inutile fuerit surgere, lenteq paululum inambulare, & postea cubitum redire.

Cubiculum sit amplum, versum ad Septentrionē vel Orientem, non ita multis distinctum fenestris, quæ tamen, vbi nulla lues aërem infecerit, de die aperiantur, nocte autem claudantur. In cubiculo interdum accendatur focus, vt aër flamma purgetur: nonnumquam suaues suffitus & suffumigia excitentur, quibus cerebrum alteretur; omni tamen fumo, priusquam ingrediamini, dissipato.

Nocturno tempore candela ex puriore cera confecta accendatur: fumus enim ex cæteris candelis magis nocet.

Lectus sit mollis, & vndiquaque viridi cortina septus. Culcitram præstat ex gossypio aut serico crudo, vel etiam cocto, quam ex plumis esse repletam.

Tegetem nō decet esse nimis calidam, neq. nimis frigidam, sed pro qualitate aëris, ita temperatam, vt concoctionem adiuuare queat. Ideo secundum anni tempora mandata est.

Cloacæ quam longissime a cubiculis dormitoriis sint remotę, & matula sit operculo tecta, ne cum prope lectum collocatur, fœtor inde exhalans lædat cerebrum.

Primum decubitum in dextro latere auspicandum esse, annotarunt Medici, secundum vero in sinistro, atque in hoc somnum esse perficiendum capite alte super puluinar eleuato, coopertoque tenui linea cucupha, in cuius summitate sit foramen, per quod vapores exhalare queant. Dormiendum alii haud aperto ore dicunt, quod tamen patri meo fuit familiare, & a me hactenus quoque seruatur; ideoque vobis eum minime incommodum fore reor: Aperto enim ore dormientibus aqua siue humiditas aliqua

ex

ex ore deſcendit, quod mihi ſæpe ſolet accidere. Supinus decubitus corporibus eſt noxius & plane fugiendus.

Vt autem ſciatis, qua animi ſecuritate ſomnum [i]nire vos velim, patris mei exemplum vobis hoc loco [o]b oculos ponam. Is enim ſolitus fuit dicere, ſe cum [c]ubitum contenderet, veſteſque exueret, omnia ſi[m]ul negotia ac cogitationes, tam de rebus publicis, quam priuatis, ſimul deponere & exuere, vt eo me[l]ius ſomno vacare poſſet; ſummo autem mane ſe [v]na cum veſtibus negotia & cogitationes pridia[n]as reaſſumere. Quam conſuetudinem vobis e[t]iam imitandam, memorique mente ſeruandam [e]ſſe duco.

Iam ſubiiciam vnum atque alterum medicamen[t]um, quo ſomnus allici queat.

℞. Oleum roſaceum, vel paululum Camphoræ na[t]iuæ; miſce cum lacte mulieris, a qua femella lacta[t]ur, caputque ſummum irriga.

ALIVD.

℞. Olei nymphææ.
[O]lei violarum.
[V]nguenti popul. ana ſemunciam.
[O]pii gr. tria.
[C]roci triti gr. quatuor. Fiat vnguentum, quo tempora & nares illinantur.

ALIVD.

℞. Olei roſacei vnciam vnam.
[A]ceti drachmas tres. Agitentur cum albumine oui, [&] temporibus applica.

Non alienum fuerit hoc loco paucula quædam de [i]nſomniis, quæ cognationem quandam cum ſomno [h]abent, addere. Illa enim corporis affectũ declarant, [&] ſunt ſimulachra præcedentium, vel notæ rerum [c]onſequentium ſane non prorſus fortuitæ: nam ra[ti]oni conſentaneum eſt, certis temperamentis fami-

liaria esse quædam somnia mantica & vera, nosque ea quæ ad amicos pertinent, tacito quodam mentis præsagio perspicere ac prævidere. Idque eam ob causam, quod amici quamvis locorum intervallis disiuncti, mutuam de rebus suis suscipiant curam atque cogitationem.

Mihi sane usitatum est in somnis meos & amicorum casus & eventus prævidere. Quemadmodum memini me multa vera habuisse somnia, præsertim in aurora, quæ mihi præterita in mentem revocabant, de futuris admonebant, tam de meis privatis & domesticis, quam amicorum rebus, quibus quæ mihi, vobis, cæterisque amicis & cognatis essent eventura, tacita quadam adumbratione indicabãtur. Sæpe etiam de successu institutæ venationis vera somnia habui.

Patri meo verum somnium ea nocte quæ extremum ipsiq. fatalem diem proxime præcedebat, obiectum est: nam in somno oblata est ipsi horrenda mortis species, cum qua acriter & graviter dimicare sibi visus est, adeo ut omnibus viribus totiusq corporis nisu ac conatu aliquid amoliri, ac aversari existimaret, cum alioqui præ languore membra movere non valeret. Quod conspiciẽs Paulus Rantzovius, patruus vester, qui forte vigilans ipsi præsto erat, rogavit patrem, quidnam sic conaretur depellere. Cui respondit, sibi in somnis mortis speciem esse obiectam, cum qua gravem sustinere luctam coactus fuisset, verum se tandem victum succubuisse. Quod verum fuisse somnium insequens dies testatus est, quo placide exspirans vitam cum morte commutavit, & ex hac lachrymarum valle ad æternæ beatitudinis gaudia concessit.

Habui & ego aliquando verum somnium de bello Suecico & Danico, & illud in primis de Daniele Rãtzovio, qui in oppugnatione arcis VValpurgæ globo ictu

tus periit. Verisimile est, ea quæ per somnium irrumpunt, simulachra esse nostrarum actionum: vivitur namque anima (vt ait Hipp. lib. De insomn.) in somno profundum corporis ingressa, externis sensibus posthabitis, corporis affectum sentire, & omniũ quæ concupiscit, tamquam iam præsentium imaginationem arripere. Nec dubium est, quin animus puris, cogitationibusq. vacuus, ac seipsum contemplans melius præuideat.

Quoniam autem antea dictum est, insomnia esse notas rerum futurarum, iam obseruabitis has breues præterea insomniorum significationes, nempe, quod ignis obiectus oculis in somnis flauam bilem designet; fumus aut caligo, atram bilem; pluuia, frigidi humoris abundantiam; nix & glacies frigidam pituitam. Porro res odoriferæ bonorum humorum sunt testes. Nunc ad reliqua pergemus.

De vigilia. CAP. XII.

ETSI somnus & vigilia plurimum ad tuendam corporis sanitatem conferant, tamen vtrumque, si modus in his excedatur, est noxium & malum: vehemens enim vigilia exsiccat, spiritum resoluit, concoctionem impedit, & tum cibi tum potionis cruditatem efficit. Vigilandum est itaque de die, dormiendum autem noctu, ita vt vigiliis tranquillitas etiam interponatur, vnaque cum sole oriente surgendum (quod tamen in æstate, cum longissimi sunt dies, haud ita exacte præstari potest) quia tum mouetur sanguis, omnesque creaturæ vires suas de integro instaurant.

Postquam autem surrexeritis, in primis frigus matutinum, tamquam corporibus vestris noxium, vitate: deinde excrementa alui & vesicæ euacuate: vt fusius deinceps monebimus.

Et dormire bonum & vigilare, sed vtraq; quamuis
Optima si fuerint, immoderata nocent.

De excretione in genere

CAP. XIII.

TRactaturus de excretione & retentione, non tam operam dabo, vt omnia & singula redundantiæ genera & differentias sigillatim referam, quã vt pauca & necessaria, ac ad incolumitatem corporũ vestrorum vtilia succincte expediam.

Lubricus & laxus aluus sanitati plurima commoda præstat: quæ enim purgationes sponte ac naturæ beneficio accidunt, sunt saluberrimæ. Excrementorum autem sunt optima, quæ nec nimis dura, nec nimis fluida, nec colliquationem aut putredinem præ se ferunt: sed ad modum mellis coniuncta, quæ sunt conuenientis fœtoris, & sine punctione, cum voluptate & facilitate exeunt. Siccitas enim calorem igneum & laborem corporum, resolutionem humiditatis, & sicca nutrimenta significat. Humiditas vero nimia oppilationem & malitiam digestionis, atque intestinorum debilitatem designat. Bis igitur in die deiiciatur aluus, mane cum e lecto surgitis, & vesperi cum cubitum disceditis. Nec crepitus ventris, si soli estis, retineatur. Vrina vero quotiescumq. opus fuerit, reddatur; est enim eius retentio non naturalis. Sordes pulmonis & cerebri eiiciantur. Particularium quoque membrorum excrementa, vt aurium, narium, palatique mature euacuentur. Nunc ordine singula breuiter recensebo, per quæ excrementa corporis excernuntur: ac primum de venæ sectione dicam.

De sectione venæ. CAP. XIV.

SAnguinis vsus est in corpore humano vt nutriatur, vtque ex eo omnes corporis particulæ alantur.

Cum

Cum autem vena secatur, vna cum sanguine copioso, vitalis excernitur spiritus, & sic virtus naturalis dissoluitur. Recte enim Galenus inquit, quod incontinentes, ebrii, ac gulæ dediti, neque purgatione, neq. sanguinis missione magnopere iuuentur. Cum itaque vos crebris & vehementioribus vtamini exercitiis, nec ad amussim, ita vt optima conseruandæ valetudinis ratio exigit, vitam instituatis, neque semper eam, quam prestare deceret, præstetis temperantiam; non possum non vos summopere dehortari, vt ne per venæ sectionem, tempore præsertim intensi rigoris vel æstus corpora vestra crebro euacuetis, ne postea in viuidioris sanguinis emissi locum aqua humida succedat. Quod si tamen morbus aliquis ex sanguinis copia & vbertate vel adustione ortus, eius mittendi necessitatem vobis attulerit, hæc lex frāgenda erit, & eo casu secundum periti Medici consilium, sanguinem per venæ sectionem educere potestis. Si autem emissus sanguis fuerit rubeus & aqua candida superfluat, significat sanitatem corporis, si sanguis spumosus, male habet circa pectus; si viridis, circa cor.

De Cucurbitulis. CAP. XV.

At si quis vestrum plene sanguine abundat, ita vt euacuatione omnino egeat, is cucurbitulis cum scarificatione vtatur: Cuicumque enim particulæ corporis affixæ fuerint, huius sanguinem eliciunt, exugunt & euacuant. Hæc appositio cucurbitularum non est tam periculosa, quam si venę sectio tentetur. Cum enim vena ferro tangitur, multa sæpe & periculosa comitantur sectionem accidentia, nonnumquam totius brachii conuulsio vel resolutio, & alia huius generis incommoda. Eius rei exemplum est, quod Medici nonnulli & Astrologi certo affirmant: si quis tempore natiuitatis suæ ♈ in quopiam si-

gno habuerit,&eodem ſigno aſcendente,eodemque gradu poſtea venam ſecuerit, præſens mortis periculum ſibi accerſit.

De Hirudinibus. CAP. XVI.

PER hirudines etiam,ſiue ſanguiſugas, quæ cucurbitarum vicem explere poſſunt, minui & educi olim ſanguis ſolebat,ſed iam harum vſus exoleuit. Amita tamen mea quondam Abbatiſſa cœnobii Itzehohenſis,quæ octogenaria deceſſit, ſingulis annis hirudines loco cucurbitarum applicare membris, etiam in decrepita ſenectute ſolebat. Erat enim corpulenta & ſucci plena. Rationem quam in his eligendis & admouendis habuit,breuiter exponam. Vſa eſt hac ratione minuendi ſanguinis potiſſimum inter feſtū Pentecoſtes & D. Iohannis diem,aut circa diem Bartholomæi, & vnicuique pedi quatuor, brachiis vero ſingulis duas hirudines appoſuit. Nonnumquam etiam quaſdam inter vtramque ſcapulam collocauit, vt ſanguinem a capite educerent.

Circa meridiem autem hirudines ſunt capiendæ, & propter virulentiam ante horam ſextam veſpertinam,non ſunt admouendæ,quæ adhibitæ ſanguine effluente,trahere non deſinant,donec ipſæ ſua ſponte decidant. Quibuſdam vero quæ ſua ſponte haud cadunt, aliquantulum ſalis capiti aſpergendum eſt, ita mox delabentur. Ea autem pars,vnde ſanguinem extraxerunt, iniecto linteolo vel ſpongia fouenda eſt. Nam nonnunquam e foraminibus cutis cruentæ lachrymæ effluere ſolent. Hirudines decidentes in peluim iniicere & necare,poſteaque vna cum ſanguine extracto terra obruere oportet, ne in aquam reuerti queant. Sunt autem capiendæ tempore æſtiuali,ſole radios ſuos fortiter exerente,ex piſcinis aut fluuiis graminoſis. Hæc enim ſunt leues, planæ & nigræ, mediocris magnitudinis. Quædam vero hirudi-

hirudines paruæ ſunt, quæ dicuntur paluſtres *Mohrglen*, quarum ad hanc rem nullus eſt vſus. Quædam habent acutum dorſum, dicunturque equinæ; quæ itidem fugiendæ ſunt: nam ſunt venenoſæ. Et hæc de ſanguinis miſſione, adpoſitione cucurbitularum & hirudinum monuiſſe ſatis eſt. Reſtat vt reliqua etiam excretionis genera perſequamur.

De purgationibus & clyſteribus:

CAP. XVII.

PVrgationes vt interdum ſunt neceſſariæ, ſic frequentes periculum afferunt. Ii qui exquiſitis vtuntur purgationibus, cito ſeneſcunt. Nulla enim purgatio abſq. admixtione veneni miniſtrari poteſt. Et ſi fuerit vehementior, comitatur hanc repentina eiectio, quæ ſtomachum & cor debilitat, ſpiritus multos exhaurit, confundit humores, ita vt qui hanc crebro adhibent, penitus contabeſcant. Et merito hac in parte dictũ Hippocratis laudatur, qui inquit: Qui corpore bene ſe habent, hos purgare periculoſum eſt. Quapropter ô filii, omnium purgationum, & præcipue vehementium vſum vobis omnino interdico. Si quis bonam diætam in vita adhibet, purgationibus non eget. Cereuiſia Hamburgenſis vim purgandi, aluumque emolliendi ſatis euidentem obtinet. Liquidiores quoq. epulæ in principio ſumptæ aluum mouent Vinum item Nectarites ſine mulatum eandem virtutem præſtat. Folia quoque ſenæ in cereuiſia vel aqua pura, cum prunis damaſcenis decocta aluum ſoluunt. Sed ſubiiciam medicamenta quædam aluum emollientia & lenientia, quæ, ſi neceſſitas ita feret, adhibere poteritis.

Suppoſitorium quo pueri etiam tuto poſſunt vti.

Sume recẽtem oui toſti vitellum, quem ſale conſperſum, cultroque vna cum ſale in tenuiſſimas con-

cisum particulas commisce. Huius partem aliquam magnitudine auellanæ linteolo tenui insere, filoque longiore constringe, id quod propter commoditatem extractionis minime præcidas. Postea in oleum feruens inice, ex quo rursus exemtum mox in loca secretiora, dum calet, insere.

ALIVD.

Confice ex melle aut sale, aut ouis & farina, aut ex lardo fumo indurato balanum, aut etiam ex stercore muris; vel decoque hordeum in aqua calida, & ius illud cum saccharo bibe.

Glandes quibus pater meus tempore morbi uti consueuerat.

℞ Mel decoctum ad spissitudinem, misce cum farina triticea. Postea mitte in mensam, & addito recenti butyro, non salito in teretem longamque formam finge Deinde immitte in oleum, ex quo rursus exemtum loco secretiori insere.

Clyster.

℞ Radicum cichorii, liquiritiæ ana vnc. dimid.
Intubi satiui drach. ij.
Herbarum cichoreæ, maluæ,
Bismaluæ, ana manip. vnum & dimidium.
Mercurialis manipulum vnum.
Sem. cichorii, fœnicul. ana drach. j.
Fœnigræci, lini, ana drachmas ij.
Florum Camomillæ tertiam manipuli partem.
Fiat decoctio pro enemate.
℞ colaturæ vncias x i.
Quibus adde oleorum violarum vncias ij.
Camomillæ vnciam vnam.
Mellis rosati colati vnciam dimidiam.
Sacchari rub. vnciam dimidiam.
Electuarii lenitiui, cassiæ pro clysterib⁹, ana drach. v
Misce, fiat enema.

Purg

Purgatio suauis & vtilis omni ætati, sexui & morbo

℞. Foliorum senæ expurgatorum vnc. I.
Cinnamomi, Zinzib. ana drach. ß.
Sacchari candi vnc. ß.
Sacchari drach. VI.

Bulliant in seri lactis caprini lib. ij. per 4. horę partem, deinceps macerentur per noctem, ex iure hoc potui detur ab vnc I. vnc. V. mane & per vnam horam ante cœnam, quoad recte laxetur aluus.

Aliud Medicamentum purgatiuum cuiusdam Medici Friderici Regis Daniæ, quo Rex ipse & multi nobiles vti consueuerunt.

℞. Foliorum senæ Alexandr. recentium abiectis stipitibus vnc. j.
Rhabarbari optimi drach. ij.
Agarici electi drach. iij.
Cinnamomi electi vnciam vnam semis.

Infundantur per horas XII. secundum artem in sextariis duobus tepentis vini Rhenensis optimi. Deinde colentur per saccum laneum (quem manicam Hippocratis vocant) sexies aut septies, & dulcorentur lib. semis sacchari optimi in modum nectaris. Vt autem compositio huius medicamenti tanto melius intelligatur, breuem declarationem adiiciemus.

Sumantur & eligantur folia Senæ minutissima ac viridissima, Rhabarbarum non contundatur, sed acuto cultro in tenuissimas particulas conscindatur, Agaricum eligatur albissimum, nullis flauis aut nigris maculis interspersum, idq. ad tyrocnesten attetatur: Cinnamomum vero tundatur.

Hæc omnia misceantur in duobus sextariis vini Rhenensis, ac super calidos cineres, vel ad fornacem ponantur per spatium XII. horarum. Deinde colentur per laneum saccũ septies, & postea addatur lib. ß.

Sacchari optimi contusi, & bene misceatur. Quoties-cumq. igitur quis se purgare voluerit, sumet vel exhauriet dimidium sextarium huius potionis. Reliquum in vase testaceo bene obturato ad vsum seruabit. Alius quidam Medicus hoc medicamentum in syrupum laxatiuum durabiliorem mihi commutauit hoc modo, quem & vobis vtiliorem iudico.

℞. Foliorum Senæ Alexandr. recentium abiectis stipitibus vncias ij.
Rhabarbari optimi drachmas iiij.
Cinnamomi electissimi vnc. iij.
Agarici albissimi leuissimi vnc. j.
Cubebar. selectarum drach. j.
Seminum fœniculi,
Anisi, vtriusque drach. ij.
Spicæ Nardi scrupulum vnum.
Zinziberis drach. dimid.
Vini Rhenensis optimi lib. 7.

Ferueant omnia lege artis in duplici vase per horas 6. Deinde permaneant in infusione per horas 12. Postea fiat fortis expressio, & colentur per saccum mundum sexies aut septies. Tandem adde sacchari puri & albissimi dissoluti lib. 1. ß. & fiat in modum nectaris, atque detur in vsum.

Dosis potest esse pro adultis ad vnc. quatuor; pro infantibus ad vncias duas. Vna autem vncia huius syrupi sumitur duobus cochlearibus mediocris magnitudinis. Nam in qualibet libra sunt 4. drachmæ laxatiuorum. Parum igitur præstabunt vnciæ quatuor pro vna dosi.

Aliud medicamentum purgatiuum.

℞. Electuarii rosati drach. iij.
Diaprunis laxatiui.
Diaphœniconis ana drach. ij.
Sacchari albissimi drach. viii.
Misceantur & fiat bolus.

Alia Purgatio.

℞. Mannæ Calab. opt. drach. ſex.
Rhabarb electiſſimi ſcrupulos duos.
Spec. hieræ pic. ſimpl. ſcrup. dimid.
Aquæ Endiuiæ vncias quatuor.
Syrup. de Bugloſſ. vnciam dimidiam.
Miſce diligenter.

Nonnulli etiam iniectione clyſterium vtuntur, quæ interdum viciis inteſtinorum medentur, quibus purgatio per aſſumpta ſuccurrere non poteſt. Horũ deſcriptiones ex Medicis ſunt petendæ; duas tamen iam præmiſi. Hoc vero obſeruandum in purgationibus, quod medicamen purgans ſiue apponatur corpori ſiue bibatur, tepidum eſſe conueniat; aſtringẽs vero & repellens, frigidum; digerens vero paulo calidius purgante.

De Vomitu. CAP. XVIII.

FRequens vomitus ſanitatis indicium eſt. Eſt autem vomitus materiæ contentæ in ſtomacho per ſuperiora expulſio, & omnium purgationum ſaluberrima cenſetur. Noxios humores ex ipſis fontibus hęc elicit atq; expellit, omnemq. in ventriculi capacitate, eiuſque tunicis hærentem illuuiem expurgat. Quamquam autem primum ab inferioribus reuellit, conſecutione tamen caput; reliquumq. corpus leuat. Et ea quæ purgatio non eluit, extirpat vomitio. Si quis gulę indulſit, hæc maximè noxæ medetur. In æſtate totũ corpus purgat, in hieme phlegma & ſtomachum. Singulis itaq; menſibus bis vomendũ, idq; duobus continuis diebus. Nam quod prima vice relictũ, id altera eiicitur. Tradit cũ Diodoro Herodotus, Ægyptios & Chaldæos, quouis mẽſe triduo ſe vomitu purgare, & cyſteribus inteſtina eluere, ſanitatis conſeruandę ergò. Arbitrãtur enim omnes corporis languores ex cibis & aëris mutatione oriri. Quod ſi

quis nauſeam habet, & tamen vomere non poſſit, obſeruet vomitum excitari infuſione aquæ calidæ, ſalis & butyri, vel immiſſione digiti in os. Quia retentio cibi corrupti in ventre eſt valida corporis deſtructio. Ad ciendum facilius vomitum facit ſyrup. acetoſus vel oxymel, ſi aliquo ante vomitionem tempore accipiantur; tum ciendus vomitus repente aqua, cui ſit admixta particula butyri, vel decocto paulo inferius deſcribendo. Ego quoties conuiuiis amicorum intereſſe, ventriculumque vino, cereuiſia, & variis obſoniorum generibus, plus æquo diſtendere cogor: aliquanto liberius genio indulgeo, vt eo facilius per vomitum hæc eiicere poſſim. Deinde inſertione digiti in os vomitum prouoco.

Moueatur autem vomitus in locis calidis, vultus, facies, os, oculi, fauces, denteſque abluantur aqua cuius ſupra facta eſt mentio, quæ videlicet æquales partes vini, aceti & aquæ roſarum continet. Siniſter pollex cauo manus inſeratur. Sequuntur iam quædam, quibus mouendi ſtomachi vis ineſt. Poterit hoc pacto non inutile vomitorium parari. ℞. Seminum anethi, atriplicis, raphani, ana drachmas iij. aquæ fontanæ libram vnam & dimidiam. Decoquantur omnia ſimul, vſque dum maneat libra vna, poſtea coletur. Tepidum exhibeatur. Si vero poſt dimidiam horam non eiicitur, tunc digitus aut penna oleo tincta in fauces demittatur, & ſtatim ſequetur vomitus. Vomitum ſine magna moleſtia prouocat potio dimidiati ſcyphi vini albi, in quo maceratus ſit cortex medianus iuglandis iuxta radicem, ſumendo huius corticis minutim inciſi drachmas duas vel tres, & macerandæ per totam noctem. Bibatur mane poſt cibum, aut paulo ante cibum. Vomitus autem, qui iteratur frequentius quam bis in menſe, eſt noxius. Sed qui fit in die critico cum alleuatione, eſt bonus. In febribus vero peſtilentialibus ſemper malus. Immodi-

[m]odicus autem vomitus, qui vires corporis plane [p]rosternit, hoc modo restringatur: Vomens la[u]etur & fricetur, ac extremæ corporis partes vincu[l]is violenter cohibeantur, pedibus vero aquæ calidæ [i]mmissis odoramenta frigida adhibeantur.. Quod si [v]omens cibum denuo eiecerit, cucurbita ori ventri[c]uli applicetur.

De vrinæ excretione. CAP. XIX.

CVM vrina merito inter euacuationis species referatur, pauca de hac quoque monere decreui[m]nus. Est enim vrina serosior pars sanguinis a reni[b]us attracta.

Præstat autem vrinam non supprimere, sed emit[t]ere, quandocunque natura exigit, ita vt etiam vel [n]on stimulante natura excretionis conatus sit adhi[b]endus. Si enim excretio vrinæ, vltra quam par est, [p]rotrahitur, renum ac vesicæ calculi inde procrean[t]ur, aliiq. dolores sequuntur. Ipsa enim vesica exten[d]itur, atque vrina supprimitur; & sic concoctrix fa[c]ultas propter tensionem læditur.

Vrinarum inspectio atque cognitio non plane da[m]nanda est, propterea pauca subiiciam.

Optima vrina est in substantia mediocris ac quan[t]itati potionis, quæ assumpta est, proportione respō[n]det: matulæ non adhærens, colore subrufa & subfla[u]a, auroque non puro similis, pro ratione tamen æ[t]atis, sexus, temporis, sedimento albo leui & æquali, [s]ine pilis, bullis, tuberculis & aliis malignis conten[t]is. Alba vrina cruditatis nuncia est, & concoctricis [f]acultatis debilitatem significat. Rubea calorem in[d]icat. Nigra est mala. Viridis mortem plerumq. de[s]ignat. Bulla & integra corona grauedinem, dolo[r]emque capitis significat.

Sanorum vrina est clara, permanetque sicut emis[s]a est, in qua nulla aut valde exigua hypostasis cōspi-

citur, vt in aqua rosacea. Aliquando clara emittitur, & postea subsidit, significatque imperfectam concoctionem. Quæ autem crassa excreta est, talisque persistit, hominem non sanum, sed ægrotum designat. Nonnunquam vrina repente turbida euadit, hoc sanis post exercitationem, ægrotantibus post morbos euenit. Ego cum indulgeo poculis, deprehendo me primum emittere vrinam claram, quæ deinde statim subsidit. Si arenulæ albæ vel rubræ, copiosæ & crassiusculæ, infundo inueniuntur, lapidem renum aut vesicæ minantur. Et caliditatem hepatis & renum indicant. Si quid pingue innatauerit vrinæ quod diu durat, resolutionem totius corporis; sin autem subito & cumulatim appareat, nec diu duret, colliquationem renum denunciat.

De Sudore. CAP. XX.

SVdoris quoque commoditas est, quod humorem redundantem aqueum frigidumque excoquat, eliciat & consumat; ideo eius prouocatio vtilis & necessaria est, præsertim in febribus pestilentialibus, vbi noxius humor interiora corporis infestat. Elicitur autem sudor ignitis lapidib. vino perfusis & linteolo inuolutis, arena feruenti, maximeque marina, sole, linteis calefactis atque exercitiis vehementioribus. Optimus autem sudor est, qui per equitationē, venationem & exercitationem corporis iucundam mouetur. Sudorem post exercitium siue frictionem abstergi facite, locaq. frigida fugite, & corpus contegite. Quia a calore ad frigus transitus est periculosus.

Paucis etiam subiungam, quid ex sudore prædici possit. Boni sudores sunt, qui ex toto corpore manant, & qui fiunt in acutis morbis, in diebus decretoriis. Pessimi vero sunt frigidi, & qui tantum circa caput, faciem, & ceruicem oriuntur. Hi in acutis morbis mortem designant, in mitioribus longitudinem ægritudinis.

De Balneo. CAP. XXI.

BAlnea quoq; non immerito inter euacuationum genera recensentur: ideo hæc silentio præterire minime decet. Balnea calida siue naturalia, quæ dicuntur Thermæ, in his oris non emergunt, quorum alioquin vsum vobis periti Medici suggerent.

Balnea item arte confecta vobis parum conducere reor, eam ob causam quod harum regionum aquilonarium incolæ plerumque ex catarrhis & asthmate laborent, quibus morborum generibus balnea, sicut & vnguenta calida fomenta suppeditant. Merentur vero laudem balnea subfrigida, quibus minores nostri vti consueuerunt. In his membra non pedetentim, sed vniuersum corpus submergendum esse volunt nonnulli Medici. Quod mihi etiam probatur, si modo corpus nō est antea exercitatione aliqua calefactum. Hæc enim calidis balneis sunt salubriora, vniuersum corpus firmant, robustum reddunt, & condensant, optimumque ad externa nocumenta arcenda præsidium præstant: ita vt vix verbis exprimi possit, quantum momenti ad sanitatis custodiam frigida lotio afferre videatur. Qui frigida lauantur etiam si senio propemodum confecti sunt, corpore tamen constanti & compacto & colore florido manent. Pater meus nunquam balneis calidis vtebatur, neque calida lotione capitis; cum tamen sensibus illæsis, membrisque integris ad septuagesimum tertium ætatis annum peruenerit. Existimabat enim malos humores inde in capite gigni, quod idem & ego expertus sum. Quicunque autem vestri vti voluerit balneis, siue frigidis siue calidis, caueat, ne corpus immodica Venere, vigilia, crapula, fatigatione, inedia, aut aliquo grauiori exercitationis genere sit debilitatum & exhaustum: Sed vt pristina fruatur sanitate, nec ante confectum magna ex parte in ventriculo cibum, balneum ingrediatur.

Post balneum antequam omnis caliditas expirarit, frigoris iniuria maxime arceatur, nec statim cibus capiatur, antequam trium horarum sit interiectum spatium; sicut & a balneis calidis frigida potio est perniciosissima. Quod si autem calidis vti volueritis, imitentur hæc rationem & qualitatem quatuor temporum siue partium anni. Nam sicuti hæc tempora certis qualitatibus distinguuntur, ita vt ver sit humidum & calidum in principio & fine, in medio autem temperatum; æstas calida & sicca; autumnus frigidus & siccus; hiems vero frigida & humida: Sic itidem in balneis cauendum, ne subito a calidis ad frigida descendamus, sed paulatim ab altero ad alterum progrediamur, hasque qualitates pedetentim immutemus. Omnes enim repentinæ mutationes naturæ sunt infensæ. Nam simile simili gaudet. Hinc extreme calidus vel frigidus aër, aut subita ab altero ad alterum mutatio, periculosa est, & noxam imbecillitatemque parit. Sunt qui affimare non dubitant, iuxta communem versiculum:

Sæpe manus, raroq; pedes; caput vero nunquã esse lauandum.

Lotiones tamen pedum ieiuno, quam pleno ventre, vel hora cœnam proxime præcedente, sunt salubriores. Capitis vero lotio singulis anni partibus semel instituenda est, quemadmodum postea dicetur. Nũc saltem hoc Epigramma obseruetur:

Balnea, vina Venus, corrumpunt corpora nostra;
Restituunt eadem balnea, vina, Venus.

De Venere. CAP. XXII.

VEneris legitimus & moderatus vsus ad prosperam valetudinem plurimum conducit: meatus enim dilatat, mentem ac rationem exhilarat, iramque vero & furores mitigat. Ex aduerso immoderatus multorum malorum est occasio; spiritus resoluit, corpora & animos eneruat, omne robur debilitat,

salo-

alorem innatum extinguit,cerebrum lædit,renes& esicam corrumpit, senectutem & mortem accele- at, vitalemque firmitatem dissoluit. Et hoc loco enerale præceptum repetendum plane est, quod in ibo,potu,labore,somno & vigilia,denique in Vene- mediocritas omnino sit seruanda. Sunt qui dicant minuere quæ nocent esse melius, quam cumulare multiplicare quæ iuuant. Mihi tamen videtur ve- i citra saturitatem, impigrum esse ad laborem, vi- ale semen conseruare, res esse longe saluberrimas. Calidis certe & humidis Veneris vsus maxime con- enit, quemadmodum & illis qui pituita laborant. n hieme & vere vtendum est Venere a cibo præser- im sumpto. In æstate vero & autumno abstinen- um. Senes omnino Veneris expertes esse decet. Huic enim ætati Venerem vt noxiam, ita inutilem sse notius esse puto,quã vt me indicare sit necesse.

De inedia. CAP. XXIII.

Sequitur nunc extremum euacuationis genus Inedia: Non autem vobis ciborum vsum per conti- uos aliquot dies interdico,eo quod hanc intermis- onem alimentorum, plerumque debilitatio natu- æ,& malorum humorum generatio comitetur;sed nterdum per vnius diei spatium inediam tolerare, el nonnunquam prandium aut cænam intermitte- e vos volo,quo tenuitate victus & abstinentia cor- ora vestra consuescant in bellis, in profectionibus ut venationibus,necessitate ita exposcente labores tiam sine cibis sustinere. Conducit quoque ad sa- itatem inedia,præsertim iis qui non sunt biliosi aut d choleram procliues, sed valentibus præditi viri- us,repletique crudis humoribus,qui hoc modo per nediam consumuntur,vt corpus ali possit. Satietati nim nimiæ, vel longa quies, vel prolixus somnus, el inedia plerumque mederi solet, amissaque sani-

tas, vbi ex redundantia & copia morbus natus, subtractione & paucitate ciborum restituitur. Ideoque addam hoc loco, quod Galenus narrat Antonium Imperatorem ventriculi cruditates depellere solitum inedia vnius diei, & hauriendo cyathum vini, cui aliquantulum piperis inspersit. Nam multi & magni morbi abstinentia & quiete curantur. Sed vt breuiter summam totius rei complectar; inedia tempestiue, & iis, quibus conuenit, adhibita, mirifice prodest; reliquis autem de quibus dixi, plurimum obest. Salomon:

Qui abstinens est, adiiciet vitæ.

De Retentione. CAP. XXIIII.

EXpedito capitulo de excretione, ordo materię iam exigeret, vt de retentione quoq. institueretur oratio: Verum cum contrariorum eadem sit natura, & de euacuatione satis prolixe sit dictum, pauca tantum de illa addam. Retenta excrementa grauant & molestant corpus, & tandem morbos pariunt. Sunt etiam aurium, narium, palati excrementa mature euacuanda. Nunc ad reliqua transeamus.

De perturbationibus seu affectibus animi. CAP. XXV.

ABsolutis igitur iis quibus corporis sanitatem tueri potestis, etiam ad animi medicinam vobis progrediendum erit. Nam vt animæ perturbationes sequuntur corporum passiones, sicuti videre licet in ebriis, de quibus Horatius inquit,

——nam corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoq; prægrauat ipsum,
Atq; affligit humi diuinæ particulam auræ:

Sic contra ex passionibus animę corpus afficitur, perduciturq ad consensum, vt in amoris, tristitiæq. affectibus manifestum est. Cum igitur corporum & animæ passiones, ita sint coniunctæ, & naturali quodam

vincu-

ınculo copulatæ, vt fiant causæ plurimarum paſſio-
um ad inuicem, animum bene compoſitum ad ſani-
tem conſeruandam plurimum conferre, turbidos
item concitatoſq. animorũ motus, a ratione auer-
, ſanitatem conuellere & debilitare arbitror. Qua-
vobis ô filii in eo potiſſimum laborandũ eſſe cen-
, vt tam animę, quam corporis perturbationes of-
ſioneſq. caueatis, nec modum vlla in re excedatis.
Mæſtitia diurna parit melancholiam, &, vt Salo-
on inquit, *Spiritus triſtis exiccat oſſa, cor lætum exhilarat
ntem.* In timore calor omnis & ſpiritus ad intima
rdis penetralia confugiunt; quo fit, vt partes alge-
t, corpus palleſcat, nerui lædantur, vireſq. omnes
nuellantur.

Ira inſanię initiũ, ſanguine circa cor efferueſcente,
tum mentis immutat, ita vt ardeſcant oculi, os
mat, lingua titubet, dentes concrepent vultum
culet nunc ſuffuſus rubor, nunc calor albeſcens.
eterea ira plerumque effundit calorem natiuum
exteriora, corporaque inflammat. Ideo tunc ea fi-
t rubicundiora, & ad omne patrandum facinus
omptiora. Nullis prodeſt ira, niſi in quibus phle-
a redũdat. Præ nimio & inſperato gaudio multos
piraſſe legimus puſillanimes, dilatato nimirum
de, foraſque repente effuſo, diſſipatoque ſpiritu.
amobrem cum tanta ſit perturbationum animi
& affectiones ſint naturales cordis motus, ab ob-
tis ſenſu perceptis orti, omni ratione eas arcete &
rigite, ne vltra modum contriſtemini, nimioue
dio efferamini, nimisve timeatis, confidatis, ſpe-
s aut deſperetis. Quæ niſi cauentur, ſubitam in
erius afferunt naturæ veſtræ mutationem. Sed
rimis viris nobilibus vtraque fortuna, tam aduer-
uam ſecunda æquo animo eſt ferenda, & vbi non
nia pro votis cedunt proſpere, fortuna induſtria
tudio prompto ſubleuanda.

Hæc de animi affectionibus, siue symptomatibu[s] monere volui, quæ cum ratione difficulter regi que[]ant, diuini spiritus gratiam in subsidium vobis implo[]randam esse mementote.

Præcepta quædam de diæta singulis diebus seruanda.

CAP. XXVI.

HActenus ordine rectum & legitimum vsum ea[]rum rerum, quæ si sinistre adhibentur, corpus n[o]strum alterant & mutant, naturalemque corpori[s] statum labefactant, persecuti sumus. Nunc præcept[a] quædam de victus ratione singulis diebus, septima[]nis, mensibus, & annis seruãda trademus, a diæta sin[]gulis diebus instituenda exorsi.

Principio e lectis surrecturi, omnia vestra mem[]bra extendite. Hac enim ratione spiritus animale[s] ad membra exteriora attrahuntur, cerebrum subt[i]le redditur, corpusque corroboratur. Totum ver[o] corpus aliquantisper palmis perfricate, pectus, do[r]sum & ventrem leniter, fortius autem brachia & t[i]bias vel manibus, aut linteis tepidis. Deinde, cap[ut] vnguibus, ab anteriori parte versus posteriorem e[x]ercete leniter. Postquam autem leuati fueritis, [o]mni studio ac diligentia caput, ceruicem & pedes frigore matutino tueri vos volo. In aurora enim [&] sub vespertinum crepusculum frigus ob radiorum solarium imbecillitatem intensius, ac magis noxiu[m] esse, quam circa meridiem, minime est dubium. I[n]duite vestes nitidas & puras, æstiuo tempore prius [a]qua odorifera supra descripta, hiberno vero ad foc[um] non quidem ex fœtidis, sed quercinis aut aliis lign[is] constructum, exiccatas & vnguentis madefactas. [N]corpora nostra nonnihil ex vestibus afficiuntur, [&] veluti cibi & potionis vsus vires auget, vitamque t[u]etur: ita vestes corporis calorem conseruant, [&]

frig[]

igora arcent, vsque adeo, vt victus & vestitus paria
se videantur, & in vtroque par diligentia sit præ-
anda.

In æstate in primis laudo vestes ex pellibus ceruo-
m & hinnulorum confectas. Ceruus enim est ani-
al longæuum, aduersaturq. venenis & serpentibus.
circo ego vestibus huiusmodi per hiemem etiam
or, ex panno tamen superindutis.

Deinde corpori non male conuenire iudico vestes
icas vel bombycinas, vel ex purpura villosa para-
. Ex pellibus autem martium vel lupinis, vel etiam
lpinis confectas, per hiemem maxime congruere
bitror: attamen pestis tempore sericæ & pelliceæ
stes damnantur, quod contagiosum aërem facilli-
e admittant, & diutissime retineant.

Postquam corpus indumentis probe est tectum,
pillos capitis eburneo pectine diligenter & mode-
e pectite, a fronte ceruicem versus, quadragies pe-
ne ducto. Deinde omnia sensuum instrumenta, vt
ulos, aures, nares, os, linguam, dentes, totamq. fa-
m frigida abluite. Oculos autem non tantum la-
te, sed apertos aquæ gelidæ plane immergite, sor-
que palpebris inhærentes inde remouete. Non-
nquam etiam aqua rosacea vel fœniculi irrorate,
uicem panno asperiore perfricate. Hæc enim to-
n corpus confirmant, animũ alacriorem reddunt,
isum conseruant. Placuit hoc loco adiicere non-
lla dentifricii: aquæ non solum dentes dealbant,
etiam conseruant, nec non medicamenta quæ-
n visum confortantia.

Puluis ad conseruandam albedinem dentium.

℞. Putamina trium ouorum.
rallorum rubeorum drach. tres.
serici albi in olla noua ad cinerem exusti, drach.
duas.

Cinnamomi drachmas duas.
Caryophyl. drachmam vnam.
Pyrethri drachmas duas His ad ſubtiliſſimum pulue-
rem contuſis, dentes ſingulis diebus veſperi ac
mane fricate.

Deſcriptio dentifricij quo vſa eſt Meßilina Augusta ex Scribonio Largo.

℞. Cornuum cerui vſtorum in ollam nouam ad
cinerem redactorum, vnciam I. ß.
Maſtichis chiæ vnciam I. ß.
Salis armoniaci drachmas VI.

Ad dealbandum dentes, & a colore præſeruandum, Conſerua qua vſa eſt Duciſſa quædam magni nominis.

℞ Aloës vnciam j. ß.
Margaritarum vnciam j.
Corallii rubei & albi.
Ligni aloës, Santali rubei ſing. vnc. j.
Sanguinis draconis.
Porcellinæ finæ, id eſt, albæ terræ, vnde conficiuntu[r]
illa vaſa quæ ex Hiſpania deferuntur Antuerpi[-]
am, vnciam j. ß.
Aluminis roche, tam diu loti in aqua pura, vt fiat cla[-]
rum in modum cryſtalli, vnciam j.
Maſtiches, ambræ, myrrhæ, ana vnc. ß.
Corticum vel putaminum cancri fluuialis, drachma[s]
duas.
Pulueriſentur omnia ſubtiliſſime vnumquodq. ſigi[l]-
latim, vt ſit quaſi puluis impalpabilis. Deinde accip[e]
as mellis roſarum optime deſpumati vncias XVII. [...]
cum præſcripto puluere ebullire lento igne facia[s]
exceptis maſtiche & myrrha, quæ poſtea immiſce[ri]
debent. Et cum ad conſeruę peruenerit ſpiſſitudin[em]
amoueatur ab igne. In coquendo baculo ſemper ve[r-]
ſetur, etiam cum ab igne amotum fuerit, donec fr[i-]
geſca[t].

gescat. Tunc addas myrrham & mastichen, & postea in vase vitreo ad vsum seruabis. Hoc dentifricio si mane dentes fricantur cum linteolo grosso, mirum in modum dealbantur & confortantur.

Alius puluis dentifricius.

℞. Corallorum alborum & rubrorum ana vnciam vnam.
Pyrethri,
Maceris,
Mastiches singul. vnc. j.
Pumicis,
Boli armeni ana vnc. j.
Fiat demum puluis subtilissimus.

Aliud ad dealbandos dentes.

℞. Corallorum rubeorum
Aluminis sing. drach. ij.
Cornu ceruini adusti.
Santali citrini.
Sanguinis draconis sing. scrup. 4.
Margaritarum drachmam dimidiam.
Spumæ maris drachmas tres.
Musci grana tria.
Camphoræ grana quinque.
Fiat deinde puluis subtilissimus, quo fricentur dẽtes, aut in pilulas formetur cum syrupo aliquo, aut melle rosaceo.

Medicamentum confortans visum.

Accipe margaritas, quas in tenuissimas particulas contusas excola per linteum cum aqua rosarum: deinde aquæ istius aliquot guttas pluma oculis instilla. Quidam pro margaritis vtuntur saccharo optimo cum aqua rosacea. At ego margaritarum vsum meliorem esse iudico.

Hæc sequentia prosunt magis oculis. si tueamini eos a puluere, fumo, aëre excedente in caliditate &

frigiditate, a ventis fortibus, nec visum intendatis acutius, inspiciẽdis rebus subtilioribus & tenuibus, sed viretis multitudinem coitus, & repletionem cibi & potus; neque statim a prandio vel a cæna dormiatis; atque, vt supra dictum est, oculos aquæ claræ immergatis. Quamquam sequentia medicamenta mihi etiam valde probentur.

℞ Aquarum verbenæ,
Betonicæ,
Fœniculi ana vnc. vnam & dimid.
Vini albi vnc. vnam.
Tuthiæ præparatæ drach. vnam.
Sacchari cand. drach. duas.
Aloës Epaticæ drach. vnam.
Lactis mulieris drach. ij.
Camphoræ scrupulum dimid.

Puluerisanda puluerisentur, & 24. horis in infusione permaneant; deinde colentur, & colatura oculi clausi abluantur.

Aliud Collyrium præstantissimum contra omnis generis passiones oculorum.

℞. Fœniculi, absinthii, apii, rutæ, *Scheinvvurtz*, vna cum radicibus. Item Euphrasiæ, saluiæ, betonicæ, auripigmenti, gnidii, pimpinellæ, cardobenedicti, sing. partes æquales. Hæc omnia simul in mortario contusa misce, ac vrinam pueri infunde. Deinde ℞. 14. gra. piperis contusi, & cochlearia duo mellis ex apibus, camphoræ drach. vnam. Hæc omnia simul in mortario contusa, per linteum exprime, & colaturam seu succum in vitreo vase conserua, ac inde singulis diebus vesperi & mane guttam vnam in oculum patientis instilla. Animaduertendum tamen est, quod hæc aqua per spatium nouem dierum Soli est exponenda & distillanda, antequam in vsum transferatur.

Superfluitates omnes amouete, tam per vrinam quam ventrem, quem ad minus ſemel ſingulis diebus deiicite. Ex naribus & pulmone ſordes per excretionem & ſputum excernite, & in facie, capite, corpore toto ac veſtitu ornatum & munditiem diligite. Nam in ipſis cunis immunditiem horremus ſuadente iam tum natura, cum nondum ratio valet.

His peractis precationes veſtras clara ad Deum voce effundere mementote, vt is dies vobis felix fauſtusq. illuceſcat, vtq. Deus actiones veſtras dirigat, ad nominis ſui gloriam, patriæ vtilitatem, & corporum veſtrorum conſeruationem.

Deinde molliter inambulate, & quicquid eſt excrementorum ad inferiora delabatur, & calore naturali excitato, melius ſuccedat excretio.

Negotia ſiue publica ſiue priuata cum honeſtate quadam tractate, & poſtea profectiones venationeſque perficite.

Horas antemeridianas omnes, & ex pomeridianis tres aut quatuor, quæ cænam proxime præcedunt, ſtudiis & negotiis ſeriis attribuite. Semper in manibus verſate vel corallos, vel ſuccinos, vel chalcedonios, orbiculos odoriferos, aut lapides pretioſos. In annulari ſiniſtræ manus digito, annulos ſmaragdo, ſapphiro, aut draconite ornatos geſtate. In lapidibus enim, ſicut & in herbis, magna virtus eſt & efficacia, ſed nobis non penitus perſpecta. In ore vel hyacinthum, vel cryſtallum aut granatum, vel aurum & argentum puriſſimum, aut ſaccharum candidiſſimum interdum tenete. Affirmat Ariſtoteles & Albertus Magnus, quod ſmaragdus collo adalligatus, epilepſiam impediat. Magna quidem eſt herbis virtus, ſed maxima gemmis, quas veriſimile eſt occultis quibuſdam virtutibus eſſe præditas.

Bis de die tantum comedite, cum virilē eritis nacti ætatem; his tamen qui choleræ obnoxii ſunt, ſæ-

pius cibum capere licet. Prandium & cœnam ſemper a cibis liquidioribus, nunquam a potu incipite.

Medio tempore inter prandium & cœnam a poculis prorſus abſtinete, niſi vel ratio neceſſitatis, vel cōſuetudinis id requirat; quarum tamen poſterior cōſuetudo vitioſa, & paulatim mutanda eſt.

Nolo vos certam & ſtatutam prandii aut cœnæ horam obſeruare, quemadmodum ſuperius abunde ſatis dictum eſt, ne conſuetudo diuturna in naturę habitum tranſeat, poſteaquam huius conſuetudinis intermiſſionem naturæ læſio conſequatur. Imitatur enim naturam conſuetudo, & quod conſuetum eſt, id ipſum iam naturale euadit.

Tempore æſtiuo in frigidis, hiberno autem locis calidis ad focum luculentum cibum ſumite, cœnaculis prius ſuffumigationibus purgatis, quæ non ante ingrediamini, quā ſuffitus plane fuerint extincti, ne pro odore fumum attrahatis.

Cum non omnibus vna eademq. victus ratio promiſcue congruat, ordine quo ſupra dictum eſt, cibos capite. Nonnunquam etiam per integrum diem ciborum vſum intermittite, quia per inediam vitia ſtomachi in crapula aliove accidenti concepta depellūtur. Hac quoq. ratione corpora veſtra famem, & inediam in profectionib. & bellis tolerare conſueſcunt.

Cœnam prandio largiorem & vberiorem ob temporis intercepti longitudinem adhibete, niſi morbis nocturnis, aut deſtillationibus affligimini.

A cibo ſumpto, neque corpore, neque animo laborate, faciem & os aqua frigida abluite. Dentes raſo ebore aut cornu ceruino, & puro argento, aut auro expurgate. Poſt epulas vnam atq. alteram horam iucundis confabulationibus, aut mollibus deambulationibus tribuite. Vigilias in multam noctem non extendite, ſed elapſo duarum horarum ſpatio, cubitum diſcedite. Quod ſi vero honeſta negotia vigilan-

di necessitatem vobis attulerint; tum vicissim eo di-
utius somno indulgete, vt vigilia somni diuturnitate
compensetur.

Antequam vos cubitum conferatis, caput, brachia, dorsum, & totum corpus leni frictione manuumque palpitatione a pueris vestris demulceri vobis curate: nisi ista mane fieri quis malit ad distributionem promouendam, cuius tempus est matutinum.

Hieme ad focum sedentes vestes exuite, pedes ante focum siccate, fumo tamen & calore vitato, qui pulmoni & oculis maxime obest.

Hiberno etiam tempore lectum, linteamenta & stragulam pelui ignito exiccari facite. Calore enim externo fouetur interior, concoctioque adiuuatur, præterea & humiditas omnis absumitur. Cæterum pater meus hanc consuetudinem improbabat, monens virum fortem, & ad res gerendas natum, non esse assuefaciendum ad huiusmodi mollitiem, quæ corpora nostra eneruaret.

Reliquis tegumentis corporis exutis, tunicam talarem lupinis pellibus subductam corpori circumdate. Id enim pellium genus, præterquam quod animalcula noxia nulla recipit, vt pulices, pediculos & eius generis alia, maxime calorem cõseruat & fouet. Ideoq. huius vsus maxime in bellis, itineribus & venationibus vobis conueniet, & interdum in defectũ lectorum poteritis vti. Quoties igitur hac veste talari sumpta cubitum contenditis, omnes cogitationes vestras grauiores, tam de rebus publicis quam priuatis deponite. Nam cum membra omnibus curis vacua libere somno resoluuntur, concoctiones, reliquæque actiones naturales melius perficiuntur.

Mane vero surrecturi vna cum vestibus, cogitationes & curas pridianas resumite. Hoc præceptum pater meus frequenter in ore habebat, ideoque tanto maiore dignum obseruatione vobis trado.

Antequam ſomnus vos opprimat, Deum ardenti-bus vocibus inuocate, vt vobis felicem & fauſtã concedat noctem, aduerſus malorum ſpirituum inſidias ac vim vos protegat ac defendat, largiaturq. vt naturalibus actionibus perfectis integra mentis corporiſq. ſanitas conſeruetur. Singulis noctibus ad minus ſemel vrina emittatur, quæ matula excepta foras proiiciatur. Quæ autem circa exortum Solis redditur, vitro eſt excipienda, ex cuius inſpectione de ſtatu corporum veſtrorum coniecturam facere poteritis.

De nocte hianti ore dormite, corpus pro qualitate aëris probe tegite. Caput aduerſus frigus linteo munite inuolucru, in cuius ſummitate ſit foramen, per quod vapores exhalare queant. Nimia aũt coopertura caput debilitat reſoluendo, vel replet attrahendo.

In dextro latere ſomnus auſpicandus, in ſiniſtro perficiendus. Reſupinus autem decubitus ſemper cauendus eſt. Nam hominem mortuum repręſentat, & morbos periculoſos generat.

Ab inſtituto noſtro non alienum quoq. eſſe videtur, vt his adiiciatur, qualis humor in corporibus noſtris tam nocte quam die ſibi dominium vindicat, vt eo modo de accidentibus cauſiſq. morborum iudicium facile fieri queat. Nam dominatur ſingulis ſex horis proprius humor. Sanguis a nona noctis vſque ad tertiam diei. Flaua bilis ſiue cholera dominatur a tertia vſq. ad nonam diei artificialis. Atra bilis ſiue melancholia, a nona diei vſq. ad tertiam noctis; a tertia noctis vſq. ad nonam noctis phlegma. Ita vt fere nocte phlegma & atra bilis, die autẽ ſanguis & cholera dominentur. Creſcit autem ſanguis in vere, cholera rubea in æſtate, nigra in autumno, phlegma in hieme. Hæc ideo monere volui, vt ſi quis veſtrûm in morbum incidat, cognita morbi hora & humore in principio morbi dominante, eo facilius remedia quærere poſſit.

Cum

Cum dies critici in ægrotis ac vulneratis magnas ſæpe mutationes ac præſagia de vita ac morte oſtendant, illos etiam vobis annotare libuit.

Eſt autem dies criticus, in quo fit vehemens in morbis, in ſalutem, vel ad mortem mutatio. Et fit plerumq. criſis a morbi initio die 7. 14. 21. 28. ſecundum tamen Lunę celeritatem aut tarditatem, & dies 4. 11. 17. 24. a morbi initio plerumque iudicant de ſequenti criſi, an bona vel mala ſit futura.

Diebus autem criticis corpora veſtra medicinis purgantibus aut acribus non grauate, nec ſanguinis fluxum, ſudorem aut aluum cohibete.

Nonnulli etiam obſeruant dies Ægyptiacos ab Ægyptiis inuentos, opinantes quod qui in his ægrotare incipiant, vix aut nunquam euadant: quod mihi tamen non veriſimile videtur. Ego nihilominus, cum Beda eorum mentionem faciat, eos ſubiicere volui. Sunt igitur hi: 1. & 7. Ianuarii, 3 & 4. Februar. 1. & 4. Martii, 10. & 8. Aprilis, 3. & 7. Maii, 10. & 15. Iunii, 10. & 13. Iulii, 1. & 2. Auguſti, 3. & 10. Septembris, 3. & 10. Octobris, 3. & 5. Nouembris, 7. & 10. Decembris.

De Diæta ſingulis ſeptimanis inſtituenda.

CAP. XXVII.

CVM iam oſtenſum ſit, quid ſingulis diebus ſit agendum, reliquum eſt, vt ad ſeptimanas conuertatur ſermo. Poſtquam igitur ad virilem progreſſi fueritis ætatē, non inutile fuerit ſingulis ſeptimanis ſemel vti Theriaca Andromachi ad nucis auellanæ magnitudinem, aut Mithridato quæ ego ex Belgico, quę Venetiis deferuntur, ad nos tranſmitti curo. Nā non ſine inſigni valetudinis meę commodo a teneris annis Theriacæ vſu delectatus ſum. Nonnunquam etiam proderit ſumere compoſitionē Antidoti quod

Cn. Pompeius in ſanctuariis regis Mithridatis deui-
cti inuenit, cuius deſcriptio paulo poſt ſequetur. In-
terdum adhibebitis medicamentum Leonis X. quod
in primis laudo, & cum ſit præſeruatiuum etiam con-
tra Peſtem, huius deſcriptionem reliquis etiam me-
dicamentis contra venena inſerui. Interdum vero
etiam medicamentum Marſilii Ficini. Hæc omnia
corpus leniter purgant, ſed Theriaca & Mithridati-
cum conſtipant. In eundem quoque vſum ſumere
poteritis vinum ſublimatum, quo Caroli V. Medicus
vſus eſt, ad menſuram quantitatis auellanæ, vt cum
ſaccharo & mica panis in minutas & tenuiſſimas
partes trita. Hoc vinum ſublimatum etiam odore
iuuat. Nonnunquam etiam diſceſſuri cubitum, de-
glutite aliquot grana Maſtichis, quia hoc ingenio &
memoriæ prodeſt.

Medicamentum Marſilij Ficini, quod fouet præcipua membra & purgat nonnihil.

℞. Cinnamomi electiſſimi drach. iiij.
Chebularum myrobalanorum,
Emblicarum ana drach. duas.
Croci, roſarum drachmam vnam.
Santalorum rubrorum drachmas duas.
Corallorum rubrorum drach. vnam.
Sacchari albiſſimi, quantum ſatis eſt.

Funde ſaccharum, aqua roſacea atque ſucco citri
vel limonum, æqualibus ſcilicet portionibus, coque
ſuauiter. Deinde adde muſci tertiam drachmæ par-
tem, atq. ambræ tantundem. Demum confice bolos
ſolidos, quos morſulos vulgo nominamus, auroque
inuolue.

Deſcriptio vini ſublimati.

℞. Cubebarum, cinnamomi, galangæ, caryophyl-
lorum, nucis myriſticæ, & zinziberis ana vncias tres,
ſaluiæ libr. vnam & vncias duas. Hæc omnia mace-

duabus libris & quatuor vnciis aquæ vitæ ſexies eſtillatæ, atq. hæc leniter deſtilla ſimul. Cum nuper hanc aquam vitæ componerem, integram vini mphoram, & ſex congios ad hanc ſumpſi, ſexieſque eſtillari feci; cumque inde demerem tantum quanum reliquorum pondus eſſet, vix dimidius vini ſubmati ſextarius ſuperfuit. Hoc vino ſublimato M. allus Caroli V. Imperatoris Medicus vſus, vixit anos 129. Eſt autem calidiſſimum. Simplicia peracta eſtillatione poſſunt ſtomacho etiam admoueri vel nponi. Hoc vinum ſingulis ſeptimanis ſumatur enſura ad quantitatem auellanæ. Agit in naturas b tenuitatem, vimq. illam impartitur ſpiritibus, colquat ob caliditatem vehementem, nec tñ membra alefacit ob ſubſtantiæ raritatem. Hoc vino ſublinato etiam manus & cutem poteritis imbuere.

Medicamentum quo vſus eſt D. Hieronymus Brunſvvick, Medicus & Pharmacopola Argentinenſis per omnem vitam ſuam, quam Deo adiuuante ad CX. annos illæſa valetudine produxit.

℞. Cinnamomi, zinziberis, ana ſeſquiunciam.
Nucis myriſticæ, caryophyllorum, piperis longi,
Maceris, galangæ, ana drachmam vnam.
Diptami, zedoariæ, calami aromatici,
Pimpinellæ, Angelicæ ana ſeſqui drachmam, nucum vomicæ drachmam vnam.
Rhabarbari ſemiunciam.
Rhapontici drach. duas.
Croci drachmam dimidiam.

Pulueriſentur ſubtiliſſime, & addatur ſacchari libra vna & vnciæ pars, ſed ita vt decoquatur ſaccharũ ſecundum artem, & fiat confectio in tabulis. Cerebrum & memoriam confortat, vertiginem prauasque melancholias tollit, ſanguinem purificat & mundat, cor roborat, cibi potuſque appetitum generat.

ſedes medicas, naturæq. commodas prouocat, tuſſ
culoſis & phthiſicis mire confert: Apoſtemata calid
& pectoris vlcera ſanat, cordis diſtrictionem diſſo
uit, omnibus aliis membris prodeſt, eaq confortat

Mane & veſperi quantitate maiuſculæ nucis ſum
tum aduerſus multos noxios & incognitos morbo
præmunit vtentem, & præcipue ab acidis ructibu
quod eſt in multis expertum, præſeruat.

Et quamuis hoc medicamentum ex optimis com
poſitum eſt ſimplicibus: tamen quoniam ſaporis e
amari (a quo natura mea valde abhorret) rarius ho
vtor. Omne enim id quod a natura alicuius abho
ret, id eidem inimicum atq. minus conueniens eſ
arbitror. Quod tamē de homine ſano intelligi volo

Ex his vero quæ vires augent & præſeruant ab im
minente ſenio, eſt Iulepus de vino & ſaccharo, v
in tribus vini libris ponantur duę libræ ſacchari & fi
ſyrupus, recipiaturque cum pura aqua. Nam vice
cibi ac potus gerit, cum in eo ſint amica & accep
naturæ.

Electuarium cordis Petri Aponenſis.

Hoc Electuarium conſeruat totam naturam, &
am reddit hilarem, aufert laſſitudinem membroru
principalium, ſubuenit triſtibus, & melancholicis, i
uat paralyticos.

℞. Corallor. rub. macis, oſſis de corde cerui, am
bræ, margaritarum, cryſtalli, auri cocti, argenti me
oſſis eboris, ſapphiri, rubini, hyacinthi, ana drachm
quinque. Balſami drachmas duas, muſci drachma
dimidiam, anthos, ſpodii, ſantalorum, caryophyll. g
langæ, calamitæ, aromatum cubebarum, ſpicæ na
di, corticum phyſticorum, ſeminis Baſiliconis, card
momi, piperis longi, baccarum lauri, pyrethri a
drachmas tres; ſtyracis calamitæ, magnetis, myrrh
electæ, opii Thebaici ana drach. vnam, ſe. pæoniæ c
lectæ in nouiſſima ætate Lunæ, flor. camom. floru
li

ifagi, ſampſuchi, balſamitę, ameos, ariſtolochię, an-
ſos ana drach. tres, croci orientalis drachmam di-
mid. ligni aloës, papaueris albi ana drachmas duas,
ſacchari quod ſufficit. Doſis a II. vſque ad III. cum
vino calido.

Reſtauratiuum.

℞. Conſeruæ roſarum vnc. vnam.
Boraginis.
Violarum ana vnc. dimidiam.
Radicum cichor. conditar.
Citrinati conditi ana drach. tres.
Spec. Diarrhod. abb. ſcrup. duos.
Diambr. drachmam dimid.
Spodii vel ſpicæ Indæ.
Corallo. rub. præparat.
Margarit. præparat. ana ſcrup. vnum, cum ſyrupo a-
cetoſo citri condit.

Moneo autem ne prædictis medicamentis ſimul
ut ſemper, ſed per vices, hac ſeptimana hoc, altera a-
lio vtamini. Varietas enim præterquam quod dele-
ctat, efficit, ne frequens & crebra conſuetudo in na-
turam tranſeat.

Sed cum patri meo & mihi nonnunquam ſaliua
nocturno tempore ex ore fluere ſoleat, & vos etiam
huic morbo obnoxios fore metuam, nonnulla reme-
dia contra hanc paſſionem annotare libuit.

Sin ſaliua fluat propter calorem diſſoluentem, cu-
retur phlebotomia, abſtinentia & vſu ciborum ſtipti-
corum: Si fluat propter multitudinem phlegmatis,
quod ego arbitror, curetur abſtinentia, & digeratur
materia cum hyſſopo bullito in oxymel. & purgetur
cum hiera picra, fricceturque lingua & os cum ſaluia
& aurea Alexandrina, & reliqua quæ deſiccant cor-
pus, applicentur.

Singulis ſeptimanis præcindātur vngues, tam a di-
gitis pedum quam manuum; pedes etiam ſemel la-

uentur pro qualitate aëris, in calida vel frigida aqua in quam iniiciantur chamæmelum, hyssopus, lauendula, &c. Et post lotionem aceto & sale fricentur. In hieme vero ad ignem exiccentur. Intelligatur autem hoc de illis quibus lotio cõuenit. Nam multis, vt potè catarrhosis, in quibus pituita excedit, plus detrimenti quam commodi affert.

De Diæta singulis mensibus seruanda.

CAP. XXVIII.

ABsolutis iam diebus & septimanis, vt de mensibus quoque pauca tractemus, ordinis ratio postulare videtur. Singulis mensibus secundum præscriptum Hippocratis & Auicennæ, bis est vomitus adhibendus, idque duobus continuis diebus; quod tamen ego non obseruo. Superfluitates enim quæ ex nimii cibi & potus ingestione generantur, & alioqui propter immoderatum victum, in his frigidis regionibus sunt frequentes & copiosæ, per vomitum rursum educuntur. Propterea cum vos crapula onerati fueritis, vomitus remedio nimiam repletionem subleuandam esse mementote. Quod ad me attinet, quoties modum in cibo & potu excessi, bis singulis mensibus vomere consueui, interiecto tamen inter singulas vices aliquo dierum spatio seu interuallo, ita vt quod prima vice relictũ est, altera eiiciatur. A vomitu oculi, dentesq. aceto & vino, vel vino austero siue aqua rosacea, siue ea quæ supra descripta est, eluantur. Æstiuis mensibus aqua frigida corpus lauetur.

De quatuor anni temporibus.

CAP. XXIX.

ANnus a veteribus in quatuor est digestus tempora, hanc (vt opinor) ob causam, quod a sole cæterisque stellis ea in alias atque alias qualitates pedetentim permutentur, quemadmodum Ver in pri-

cipi-

pio id humidam, in medio in temperatam, in fine ro in calidam; æstas in calidã & siccam; autumnus siccam & frigidam; hiems vero in frigidam & huidam qualitatem conuertitur. Singulis enim fere ebus ac noctibus sentimus quatuor anni qualitas, mane frigiditatem & humiditatem, ante meridin temperaturam aliquam, post meridiem caliditam & siccitatem; vesperi vero siccitatem & frigiditem, idque minus & magis secundum anni tempo. Primum igitur singularum anni partium mutatines enumerabo; deinde, quæ victus ratio in singu sit instituenda, breuiter docebo.

DE VERE.

Ver præbet flores, calidum ver feruet & humet.

CAP. XXX.

VER incipit, quando sol ingreditur signum Arietit, quod fere fit decima die Martii. Et eo tempo dies æquantur, frigora hiberna minuuntur, terræ ori iamdudum clausi & frigore constricti aperiunur, dissoluuntur calore niues, humiditates ad arboum summitates extolluntur, radices & herbæ latens in terra producuntur, virent prata, & variis coloum picturis ad certamen vsque luxuriant, induunur nouis floribus arbores, lasciuiunt pecudes, genentur animalia, suauiter modulantur volucres, reonant philomelæ, denique omnis terræ superficies missum frigore decus & ormamentum, cunctaque nimantia vires pristinas recuperant.

Ineunte igitur vere minus comedere, plus vero ibere, paulatim ab assis ad elixa progredi, oleribusq. aucis vti, in primis autem carnibus vitulinis & hæorum vesci, atque a crebris & longis ieiuniis abstiere expedit. Et quia ver est temperatum & saluberimum, moderatissima quoque victus ratio tunc est uscipienda, vt in temperato sanitatis studio corpus tineatur.

Tempore verno ſanguinem mittere, qui humor tunc dominatur, purgationeſq. adhibere conuenit, ea tamen lege & conditione vti ſupra ſcriptum eſt. Cum autem ver in principio & fine nonnihil in humiditate & caliditate excedat, hæc quoque obſeruatio, vt circa victus vitæq. rationem non inutilis, haud eſt negligenda.

DE ÆSTATE.

Æſtas ſicca calet, formoſa eſt meßibus æſtas.

CAP. XXXI.

ÆStas incipit quando Sol ingreditur primū gradū Cancri, quod fit fere 12. Iunii. Et hoc tempore dies longiores noctibus efficiuntur, calores intenduntur, venti leniter agitantur, maria conquieſcunt, fructus & flores ad maturitatem perducuntur, aues canore maximo reſonant, apes mellificantes floribus variis reficiuntur, naſcuntur ſerpentes, & funduntur venena.

In æſtate cibis magis demendum, potioni adiiciendum; cibis non vtendum niſi elixis ac frigidis; vt a calore & ſiccitate corpus vindicetur, vnice enitendum. Tunc potus veſter ſit cereuiſia actu & qualitate frigida, nec tamen frigus adeo ſit intenſum, vt corpus inde alteretur.

Æſtiuo tempore dominatur flaua bilis. Itaq. tunc omnis purgatio, ſanguiniſq. miſſio cauenda eſt, in diebus præſertim canicularibus: vulnerum etiam curatio tum eſt difficilis & periculoſa.

Æſtate induere oportet veſtes oleo imbutas. Item lente ambulare, niſi per æſtus iter ſit faciendum. Cū autem æſtas ſit calida & ſicca, ad humida & frigida tunc eſt declinandum.

DE AVTVMNO.

Muſta dat autumnus, & morbos ſiccat, & alget.

CAP. XXXII.

AVtumnus incipit,quando Sol ingreditur primum gradum Libræ, quod fit fere 13. die Septembris. In hoc tempore dies & noctes æqua vice labuntur, noctes etiam crescunt, dies decrescunt, mutantur tempora.aër frigescit, venti commouentur Septentrionales, flumina crescunt, fontes diminuuntur, folia arborum marcescunt, destituuntur arbores fructibus, demetuntur & percipiuntur ex agris fruges, facies terræ pulchritudinem suam amittit, volatilia in calidas regiones se recipiunt, animalia suas appetunt cauernas, serpentes foueas faciunt. Per autumnum cibo paulo pleniore ac ficciore vtendum, minus quidem sed meracius bibendum, fugiendumq. frigus matutinum & vespertinum, cum illud tempus propter cæli varietatem & intemperiem prorsus in frigore & calore sit inæquale. Veneris in primis usus tunc fugiendus: Nam corpora eo tempore modo frigore, modo calore intemperato afficiuntur, ideoque merito perhibent autumnum mortalibus esse lethiferum.

Fructus omnes sunt cauendi, ne malus succus ad aëris intemperiem accedens, totum corpus corrumpat. Dominatur enim tunc atra bilis & cholera nigra. Estq. autumnus frigidus & siccus; quare ad calida & humida tunc est declinandum.

De Hieme. CAP. XXXIII.

Friget & humet hiems, glacie & niue flumina stringit.

HIems incipit quando Sol ingreditur primum gradum signi Capricorni, quod plerumque fit 12. Decembris. Tempore brumali noctes producuntur, dies abrumpuntur, inualescunt frigora, exasperantur venti, niues & aquarum inundationes subito oriuntur, terra glaciali frigore constringitur, cadunt arborum folia, maior pars animalium in ventre terræ & cauernis montium præ nimio frigore & humiditate

latet, obſcuratur aër, tremeſcunt pecora & iumenta, debilitantur virtutes corporum.

Hieme quidem quamplurima comedere, quampauciſſima bibere, & fortiter ſe exercere conducit. Virtus enim ventriculi tunc fortiter & ad coquendum aptior eſt. Vtendum vino quam meraciſſimo, cibis calefacientibus & exiccantibus, carnibus & piſcibus aſſatis, oleribus autem quam pauciſſimis. Potus veſter hiberno tempore ſit tepidus.

Frigus matutinum ac veſpertinum ſumma diligētia cauete, ac in primis a capite, ceruice ac pedibus arcete. Hieme celeriter ambulare prodeſt, tum currere, tum luctari. Exercitium quoque corporis tunc vtile eſt, quemadmodum & moderatus licitusq. Veneris vſus nullam corporibus noxiam infert.

Hiems quoniam frigida & humida eſt, ad contraria quoque declinandum nobis eſſe monet. Pituita enim hieme augetur.

De anno in genere.

CAP. XXXIV.

EXpeditis iam quatuor anni temporibus, pauca in genere de anno dicemus.

Quoties ſingulis annis dies veſter natalitius recurrit, moneo vt illum cum amicis & propinquis iucunde & hilariter celebretis, Deoque trino & vni gratias agatis, quod mentis corporisq. veſtri ſanitatem per decurſum hactenus vitę ſpatium benigne ſeruauerit. Deinde intimis animi viribus id conniti vos volo, ne nobile veſtrum corpus ad deteriora delabatur. Singulis quoque annis directiones, profectiones, themata & figuras reuolutionum diligenter inſpicite. De multis enim rebus inde coniectura fieri poteſt.

Cum ad naturam & grandæuam prouecti fueritis ætatem, labores tam animi quam corporis immoderatos

atos fugite. Lacte humano ac caprino, nec non sanguine suum vestrum senium fouete.

Versamini cum fortunatis ac iuuenibus. Ex bonis enim naturis, tamquam ex bono vicino aliquid boni deriuatur.

Mementote familiaritates inire eorum quibus gratiæ cælestes affluunt. Quod ex bonis animi, corporis & fortunæ cognoscetis. Sicut enim odor ex musco, sic ex bono vicino, boni nonnihil exhalat in proximum ac perseuerat infusum. Deniq. effrenatos, impudentes, infelices ac malignos procul fugite, contraria vero ratione consuetudinem frequentem, continuumq. commercium, felicium excellentiumque hominum amate.

Singulis annis lauandum est corpus in aqua frigida; vt supra dictum est, præcipue tamen æstiuo tempore; cauendumq. ne id fiat ab exercitatione magna, & ne aqua auditus meatus ingrediatur. Nam iis solis quæ frigidæ lotio noxia est. Prodest etiam singulis annis caput ter, aut ad summum quater frigida lauare, & propterea hoc loco rationem lauandi caput frigida annectemus.

Et primum quidem lauetur lixiuio tepido, vel leniter calido. Inde aqua frigida fontana vel putealis ex alto magis quam prope capiti instilletur, paulo post vero copiosior superfundatur ad quantitatem trium aut quatuor sextariorum, prout quisque perferre poterit.

Deinde caput linteolis frigidioribus siccetur. Quamuis autem hæc lotio repentina horrorem incutiat non leuem, videaturque homo totus corrigescere, multa tamen & magna commoda adfert. Coacto enim intus calore concoquuntur cruda, excrementa digeruntur, spiritus tẽperantur. Et hæc lotio caluitiũ fondum præsens & canos retardat, caput & sensus iuuat, & ad omnes motus prõptiores reddit. Similia

enim iuuantur conseruanturque a similibus. Præterea inspersio frigidæ, in caput & balneum ex tepida pedibus adhibitum, mirifice prodest, lotioque manuum cum frigida a cibo Omnia hæc oculis conducunt,& sunt salutaria, vt sæpe iam dictum est.

Hanc consuetudinem lauandi caput frigida, maxime hi qui ex catarrho laborant, obseruent. Ego sine hanc lotionem sæpe adhibui, neque vllam læsionem, sed maximas vtilitates inde percipi: cum enim antea calida lauarem caput, nulla adhibita frigida, meatus permanebant aperti, efficiebaturque caput cuilibet iniuriæ noxium. Vnde grauedines & distillationes ferme sequebantur. Quæ res me prorsus a lauando deterruit, sicut & patrem, donec tandem Hieronymi Cardani, de aqua opusculum inciderem,& Celsi consilium de hac frigida lotione penitus cognoscerem.

De annis Climactericis.

CAP. XXXV.

NE annos Climactericos siue decretorios omnino silentio prætereamus, sciendum est horum annorum obseruationem non esse superstitiosam, sed ex vsu & experientia natam. Certis enim quibusdã annis insignes mutationes accidere videmus: sic septenarius annus vitæ est Climactericus, omnibus periculosus. Hic enim magnam & euidentem in corpore mutationem adfert. Nam singulis septenis annis ordo planetarum reuertitur ad Saturnum, qui plerumque nobis est peregrinus, & Saturnus interfector mortalium peruenit ad quadratum loci contrarium naturæ signi, vnde est egressus. Et quemadmodum Luna, quæ proxima nobis est, & motu celerrima fere septimo quoque die in contrarium signum eius naturæ vnde egressa, progreditur, & inde criticos producit dies: ita Saturnus, qui motu est tardissi-

tardiſſimus, & tot annis fere quot diebus Luna in vno ſigno commoratur, hos climactericos & periculoſos annos efficit, ac mutationes atque alterationes varias cauſatur. Vnde fit, quod ſeptimo anno elabuntur & renaſcuntur pueris dentes: decimo quarto accedit pubertas. Et quando completa fuerit ſeptem annorum hebdomada, id eſt, ſepties ſeptem anni, hoc eſt, anno quadrageſimo nono, iam matureſcit in homine prudentia, & fit ætas perfecta. Cum vero ad decadas ſeptenas, id eſt, ad 70. annum fuerit peruentum, tunc meta viuendi eſt peracta. Et videmus plures præſtantes viros annis climactericis eſſe extinctos, vt Orphea, Ariſtotelem, Ciceronem, Demoſthenem, Scipionem Africanum, noſtraque memoria Fridericum I. & Chriſtianum II. Reges Daniæ.

Fuit quoque ſeptimus annus diuina inſtitutione Sabbatarius, quo nec agros aut vineas colere, nec culturam terræ exercere licebat, inſtitutus ad memoriam quietis diuinæ. Quemadmodum & quinquageſimus quiſque annus dicebatur Iubilæus, poſt ſeptem annorum hebdomadas circumactas, id eſt, poſt quadrageſimum nonum, qui eſt Climactericus hebdomaticus, & continet ſeptem hebdomadas.

Faciunt quoque mentionem annorum Climactericorum Philo Iudæus, & D. Auguſtinus: item Cenſorius & Gellius. Ciceronem etiam annos Climactericos obſeruaſſe, inde conſtat, quod in Somnio Scipionis ait: Cum ætas tua ſeptenos octies Solis anfractus, reditusq. conuerterit: duoque hi numeri, quorum vterque plenus, alter altera de cauſa habetur, circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint, &c. Hic fuit annus climactericus Scipionis quinquageſimusſextus. Eſt paulo poſt eodem loco Cicero ait: Septimum numerum rerum omnium fere nodũ

esse. Sic & Hippocrates ætatem hominis septenario dierum numero constare ait.

Annus quartus est etiam consideratione dignus, quoniam medium in septenario tenet: item Nouenarius. Et habent hi anni rationes, quemadmodum apud Medicos dies decretorii & indicatiui. Dicunt enim Medici quartum à principio morbi indicē esse septimi. Hæc obseruatio non est aspernanda. Scribit enim Augustus Imperator ad filium: Lætare mecum fili, transgressus enim sum omnibus senibus periculosum annum sexagesimum tertium. In hoc enim septenarius & nouenarius concurrunt, & propterea senibus plerumque est fatalis. Estque annus Climactericus aut etiam enneaticus, quemadmodū & annus quinquagesimussextus est Climactericus, quamuis hic non ita vt superior senibus extimescendus. In hunc enim septenarius & quaternarius tantum coincidunt.

Ego arbitror, vti septimo aut nono mense nati iustam vitæ perfectionem obtinent: ita contingere quoque vt vita plurimorum hominum (diuinæ tamē maiestatis salua prouidentia, & rerum omnium ad libitum gubernatione) ad Climactericos vsque annos in quibus septenarius nouenariusq. numerus in sese quasi in cyclum recurrunt, producatur, ibiq. absoluatur & finiatur. Cui non absimile & illud est, quod egomet multorum hominum obitū compertum habeo, quod graui & periculoso morbo decumbentes, vt plurimum animam reddere soleant, Luna in gradu ascendente, vel media cæli domo existente, raro in quarta vel septima domo, numquam fere in reliquis, quod & a me & ab aliis multoties est obseruatum.

Annus quinquagesimus sextus in nocturnis genituris propter frigiditatem Saturni duplicatam, & sexagesimus tertius in diurnis ob siccitatē Mercurii

& Veneris

&Veneris,vtroque ſubſcribente,iam ætate frigida & ſicca maxime periculoſi ſunt, ſecundum Cardanum. Quotieſcumque igitur huiuſmodi anni Climacterici vel Enneatici inſtant, vel nonnulla ſigna futuri morbi apparent, vt ſunt laſſitudines ſpontaneæ membrorum, tormina genuum, lumborum dolor, tenebroſitas oculorum, grauitas ſuperciliorũ, tinnitus aurium, cibi faſtidium, ſudor multus in ſomno, ſine aliqua manifeſta cauſa, oſcitationes & pandiculationes inſolentes; item cõſuetarum excretionum ſuppreſſio, vel immodica euacuatio; tunc Deum immortalem precibus ardentibus inuocate, Aſtrologos & Medicos peritos conſulite, prudentiam in omnibus actionibus adhibete, temperantiam in cibo & potu, & rebus ad vitam neceſſariis exercete. Oratione enim ad Deum, ſideralis doctrinę cognitione ac euentuum quorundam præuiſione, medicamentorum conuenientium vſu ac in rebus gerendis prudentia & circumſpectione, multi graues caſus euitantur, ac ſæpe determinatus noſtræ vitæ finis prorogatur. Sũt autem anni Climacterici, 7. 14. 21. 28. 35. 42 49. 56. 63. 70. 77. 84. 91. 98. Enneatici hi, 9. 18. 27. 36. 45. 54. 63. 72 81. 90. 99.

De ratione victus in itineribus ac profectionibus probe inſtituenda. CAP. XXXVI.

POſtquam nũc de victus ratione ſingulis anni temporibus inſtituenda, pauca egerimus, reliquum eſt, vt de itinerantium diæta verba faciamus. Si igitur ô filii, exterę & longinquæ regiones vobis adeundæ fuerint, mementote primo lente ingrediendum eſſe, deinde feſtinantius properandum: in fine autem moderatius. Id & noſtris corporibus & iumentis prodeſt.

Aluus veſter ſit laxus, quod effici poteſt, ſi ſyrupus acetoſus, aut oxymel ſimplex, aut ouum molle

mane ſumatur. Pauxillulum Rhabarbari cum Saccharo roſaceo etiam vim laxandi habet. Idem præſtat ſerum lactis, trium aut quatuor heminarum menſura cum ſale & melle ſumpta. Quemadmodum & puluis Enulæ Campanæ & cinnamomi. Non improbo quoque ſuppoſitorium ex lardo fumo indurato. Aut quatuor ficus, vel etiam ſuppoſitoria ex melle & ſale compoſita, quæ vbi ventriculus non ſuſtinet; medicamenta per os ſumpta, aluum deiiciunt.

Si quis forte in itinere equo præcipitatus interiores corporis partes læſerit, vtatur Ambra, id eſt, *VValradt*, in iuſculo cereuiſiario calefacto mane ſurrecturus, vel veſperi diſceſſurus cubitum, ad quantitatem nucis auellanæ. Sequens etiam vnguentum contra læſionem internarum partium eſt valde vtile.

Vnguentum contra læſionem ſiue contuſionem partium internarum.

℞. Pimpinellæ, lauendulæ, ſpicæ nardi, rutæ, hyſſopi, ſaluiæ, pyrethri, pulegii, fœniculi, ſiliginis agreſtis, millefolii, prunellæ, ibiſci, conſolidæ maioris, auryn, amaraci, verbenæ, abrotoni, epaticæ, meliſſæ albæ ac fuſcæ, angelicæ ſatiuæ, veronicæ, fœnigræci, fragrariæ, clematidis, cordialis, pedis leonis, roriſmarini, foliorum linguæ ceruinæ, tormentillæ, betonicæ, ana manipulum vnum. Hæc omnia cultello in tenuiſſimas particulas comminuta, iniice in lebetem, & effunde butyri optimi in Maio confecti, & per cocturam a ſale purgati libras 28. & hæc ſimul ad ignem ex carbonibus confectum probe decoque, tantiſper donec virtus egrediatur; deinde cum hæc per mundum linteolum expreſſeris, affunde olei laurini libras duas, & habebis præſtans vnguentum. Hoc valet contra internam læſionem,

ex

t casu aliquo ortam, quantitate nucis auellanæ in
lido iusculo cereuisiario sumptum. Si primo non
edetur, vsus eius bis aut ter est iterandus; quin et-
m externæ corporis partes affectæ apud ignem
ntum sunt inungendæ.

Præcepta contra iniuriam frigoris, & remedium ad curandam ambustionem.

CAP. XXXVII.

QVONIAM vero in his septentrioni subiectis regionibus frigus magis dominatur quam ca-
or, & hiberno tempore sæpe nobis in venationibus
ut castris cubandi necessitas adfertur, quemadmo-
um etiam proxime præteritis annis in inferiori
Germania brumali tempore castra statiua sub dio
onstituta sunt, de frigoris & algoris iniuria propul-
anda pauca adiungam. In primis autem ad fri-
us amouendum vestes sunt comparandæ, quæ non
ito corrumpuntur, quia non semper in expedi-
ionibus has mutare possumus: Statim a tenera æ-
ate frigori assuefacere sese expedit. Id enim ad sa-
itatem & ad res bellicas gerendas, plurimum mo-
nenti adfert.

In magnis algoribus capitis, manuum ac pedum
igor conseruetur; quo illæso, vniuerso corpori sua
onstat integritas.

Frigus facile quidem a quibuslibet corporis mem-
oris vestium, aut ex panno aut ex hirsutis pellibus,
præsertim ceruinis, concinnatarum obiectu arcere
icet. Capiti vero nullorum animalium pelles salu-
ores sunt, sed pannei potius, aut bombycini galeri &
ilei sunt inducendi.

Citius tamen frigiditas a calcaneo, quam a cere-
bro ad cor penetrat.

Curſus, motus, manuum pedumque concuſſio i[n] ſummo frigore prodeſt.

Si quis vultum manusq. aqua frigida mane lauat & deinde chirothecis probe tegit, primo quidem ali[-] quantulum perfrigeratur, mox vero ampiius corpo[-] re caleſcet.

Frigus enim meatus cutis conſtringit, & ſic nos a[b] externo frigore tutos reddit, prohibetque ne calid[a] ſubſtantia, quæ intus retenta, ſuapte natura calore[m] auget, diffluat aut diſſipetur. Sordes item, quæ frigu[s] quoque augent, a pedibus abluere, chirothecas & li[-] neos ſoccos vino ſublimato aliquantulum imbuer[e] confert Quemadmodum hoc vini genus vim calefa[-] ciendi totum corpus obtinet, ſi admixtis calidis aro[-] matibus bibatur. Ad idem valet, comedere nuce[s] muſcatas, zinziber, calamum aromaticum, oleis vn[-] guentisq. corpus fouere non eſt inconueniens, allii[] & nuces etiam ad arcendum frigus mirabilem habē[t] proprietatem, præſertim ſi quis hæc duo in iure ca[r-] nium contuſa comedat.

Ex vrtica & oleo factum linimentum cum pauc[o] ſale tuetur partes corporis ab atrociſſimo frigore, valet etiam ad vlcera a gelu contracta: ſi quis nol[it] pedes vel manus a frigore offendi, pinguedine vul[-] pis inungat.

Quibus vero rationibus medicina facienda ſit, ſ[i] aliqua extrema pars corporis pæne ſit emortua, mo[x] addam.

Probatum itaque confirmatumq. eſt experientia ſi quiſpiam membra gelu & frigore ſtupētia habue[-] rit, non igne aut aqua calida, ſiue tepida calorem re[-] moueri, ſed inde magis putreſcere & excidere. Fri[-] gida autem ſi lauentur, paulatim iis priſtinum reſti[-] tui vigorem. Galenus ad algores intenſos, & ex hi[s] contractos dolores vſus eſt Euphorbio, quod cum o[-] leo triuit, ceramque immiſcuit liquatam.

Nonnull[i]

Nonnulli contra frigoris adustionem præcipiunt loca affecta ad spatium dimidiæ horæ detinere in aqua, in qua stercora equorum, auena pastorum sint decocta. Alii membris ex frigore adustis combustæ pellis leporinæ cineres inspergunt; nonnulli rapam, aut pomum tostum calidum applicant. Quidam felle anguillo loca affecta inungunt.

Quod si cui digiti manuum pedumve nimia frigoris adustione etiam denigrati fuerint, ita vt plane stupescant, animum propterea tamen non abiiciat, sed sanis consiliis & remediis occurrat.

Magnam enim natura & ars vim habet. Memini proxime præterita hieme Caium Alefeldium, cui ambo pedes frigore adusti erant, sumpta quadam potione vulneraria, cuius descriptio mox sequitur, effecisse, ne damnum latius serperet, cum omnes chirurgi de eo desperarent, quod articulos pedum frigore pæne emortuos esse, & putredine quadam decidere viderent. Et quamuis per integrum anni spatium pedes ipsi non fuerint consolidati, tamen nunc incedere vtcumque potest.

Remedium ad curandam ambustionem.

Accipe duo linteola munda, quorum hoc lacteo cremore, qui dicitur Germanice *Rom*, illud vero sebo butyrino imbue, & parti læsæ singulis diebus ter applica, donec feruor interior refrigeretur. Deinde lardo porcino masculino auenam, nec non vnam aut alteram assulam infige. Hæc incende, & sic porcinam pinguedinem ignitam in vas aquæ puræ ex alto cadere facito. Deinde sume sex ouorum vitellos abiecto albumine, quibus adde parum prædicti lactei cremoris, & deinde pinguedinem lardi liquatam ac supernatantem adiice, & hæc vna probe decoque. Inde fiet emplastrum, quo ter de die partem affectã úges, ac breui eam sanam reddes. Quod si linteola

curi tenaciter adhæſerint, imbuas hæc butyro no[illegible]
ſalito, & facile inde reſoluentur.

Ad refrigerationem prodeſt etiam cortex tiliç ra[illegible]
ſus in aquam, donec inſpiſſetur, parti vſtæ ſic applica[illegible]
tus.

Deſcriptiones medicamentorum quorundam ad vulnera ex[illegible] terna curanda vtilium.

CAP. XXXVIII.

SEquitur nunc eius potionis vulnerariæ deſcripti[illegible]
cui vna eademq. opera alia quædam emplaſtra, l[illegible]
nimenta & olea, ad curanda vulnera egregie vtil[illegible]
ſubiicere placuit, vt his ſi opus fuerit, commode v[illegible]
poſſitis in bellis aut aliis profectionibus.

Potio vulneraria, qua vulnera mirum in modum curantur.

Accipe duas menſuras cereuiſiæ vetuſtiſſimæ, ini[illegible]
ce manipulum Clemaris ſiue peruincæ, cauliculu[illegible]
artemiſiæ rubeæ, paulum herbç, quç dicitur *Rodiche*[illegible]
vel in defectum huius ſume meram peruincam, d[illegible]
que ad medietatem in vaſe fictili, operculo probe[illegible]
tecto. Deinde excola in ollam lapideam ſiue lag[illegible]
nam, ſic vt orificium eius probe obſtrui poſſit, ne a[illegible]
ingrediatur, poſtea vſui ſerua. Ex hac potione dab[illegible]
homini vulnerato ſiue læſo mane ieiuno ventricul[illegible]
in meridie poſt ſumptum cibum, a veſperi cum di[illegible]
ceſſurus eſt cubitum. Singulis vicibus ad quantit[illegible]
tem trium cochlearium, iubebisque vt læſus poſt[illegible]
duabus aut tribus horis abſtineat a cibis, & quoti[illegible]
inde biberit, paululum inſtillet in vaſculum, & h[illegible]
vulnus abluat. Folium etiam braſſicæ rubrum a[illegible]
maxime fuſcum liquore huius potionis imbutu[illegible]
vulneri imponat, ita tamen vt aſperius folii lat[illegible]
verſus vulnus ſit cooptatum, quod linteolo firm[illegible]
ter inuoluatur. Quod ſi vulnus poterit conſtringi [illegible]
cu, fiat id quoque, ne magna cicatrix inde rem[illegible]

nea[illegible]

at, alioqui nihilominus tamen vulnera consolidat
c potio.

liud cataplasma præstantißimum, quod cum in comitatu Tyrolensi apud Carolum V. Oenoponti commoraremur, Iohannis Friderici, quondam Saxoniæ Electoris Chirurgus, Illustrißimum Holsatiæ Ducem Adolphum docuit, & contra quemuis ictum, & ad vulnera a tormentorum globulis illata, mirabilem curandi vim habet.

℞. Galbanum,
moniacum,
opanacem,
ellium,
ram,
ui, *Baumohls* libras duas.
gyritis siue argenti spumæ præparatæ, *Silberglet*,
ibram j.
ei laurini vnciam dimidiam.
rrhæ,
uris,
stichis,
stolochiæ,
rræ cadmiæ, siue lapidis calaminaris præpar. *Salmeiß*, vnciam j.
mphoræ vnciam dimidiam.
rebinthinæ, vnam drachmam.
Redige ad puluerem, quem fac igni excādescere,
quicquid dissoluendum est, dissolue, & in morem
aplasmatis forma modo sequenti.
Quatuor gummi macera nocturno tempore in a-
o acerrimo ex vino confecto, in vase ex orichalco
refacto, aut olla incrustata, ita vt acetum quanti-
em gummi excedat: postea decoque gummi tātis-
donec sordes, excrementa aut ligna ab iis separē-
. Deinde exprime, siue excola per mundū linteū
acabum aut lebetem, & gummi iterū coque vsq.

ad consumptionem aceti, & donec gummi a lebete segregentur.

Fac colliquescere oliuum & ceram in pelui ex orichalco, immitte argyritim siue spumam argenti, & versa rudicula, vt argyritis in fundum subsidat, & cū calorem fuscum induere cœperit, fac periculum cultro lato aut spatula: Quod si non adhæserit cultro tenaciter, sed inde resoluitur, perfectæ decoctionis est signum. Ab igne igitur remoue statim, & paululum infrigidari sinito, non tamen nimis cito. Postea de quatuor gummi maceratis in aceto, singulis vicibus ad quātitatem fabæ vel nucis auellanæ immitte in decoctū cataplasma pedetentim, donec gummi prorsus ingressa fuerint. Nam si simul iniicerentur, cataplasma nimis ebulliendo ascenderet, fortassis etiam effunderetur. Verum ad maiorem cautelam peluim cum aqua in promptu habeto, vt si nimis bulliat, supra aquam teneri & infrigidari possit, illudq; rursum emplastro adiice, quod in aquam effusum est. Et cum gummi plane in emplastrum ingressa fuerūt, coctură eius de integro repete, parumperq. decoque. Deinde adiice myrrham, mastichen, thus, terram cadmiam, id est, *Salmeisen*, aristolochiam. Redige iterum in puluerem tenuissimum paulatim supra ignem, non nimis calide tamen, ne pulueres ardore conflagrent vel consumantur. Extremo iniice terebinthinam & oleum laurinum; & cum plane ab igne remotum & infrigidatum fuerit, adiice Camphoram. Deinde effunde in aquam calidam donec aptum efficiatur, vt manibus tractari & subigi possit. Postea macera oleo artemisiæ, vt nitidum & purum reddatur. Immitte in pellem hinnuli bene præparatam. Tunc ad 40. aut 50. annos vsui conseruari potest. Conducit hoc cataplasma aduersus omnia vulnera sclopetaria, contra ictus & vulnerum inflammationem.

Insigne

...igne cataplasma vulnerarium, contra quemuis ictum, quo vsus est Christiernus II. Rex Daniæ vna cum sequenti Balsamo & puluere. Nam hæc omnia in libris eius medicinalibus post mortem sunt inuenta.

℞. Ceræ vncias tres cum semisse.
...lophoniæ seu picis Græcæ, ...*chenschmaltz*, ...umiæ, } ana sesquiunciam.
...rrhæ vnciam vnam.
...hii vnciam dimidiam.
...rallorum alborum drachmas tres.
...gnetis vnciam vnam.
...Ceram vnà cum colophonia primum dissolui fa...o, deinde mumiã adiice, postea *das Aschenschmaltz*. ...c ad lentum ignem collocato & probe versato. ...inde reliquis quoque prædictis speciebus immis... ...d lentum ignem paulisper stare sinito, probe fre...enterque moueto, sæpe etiam periculum facito, ...n satis sit decoctum, & in fundo subsidere incipiat. ...la ex alto guttulas aliquas ex calida spatula in fri...um. Quod si illud infrigidari & spatulæ adhæ...rere senseris, ab igne remoueto, tam diuque ver...o, donec sua sponte sit frigefactum, & in solidam ...at massam, ne sequentia tria gummi in eo adu...tur. Adde insuper thuris & mastiches ana vnciam ...m, camphoræ sesquiunciam; & in olla tam diu ...ueto, vt infrigidatum duritiem contrahit, & ma...us tractari prædictoq. adipe subigi possit Et hoc ...do cataplasma rite paratum habes. quod si igitur ...nus inflictum est recens, panno lineo crassiori il...o, & parti affectæ applicato Quibuslibet etiam ...eribus, siue cæsim gladio secante, siue punctim ...rone sint inflicta, hoc cataplasma recte adhiberi ...st.

Alia potio vulneraria.

℞. Limonii siluestris, id est, *VVintergrün*, & Beto-
nicæ ana drachm. vnam; Saniculæ, *Sanickel*, & pedi-
leonis, id est, *Sinnua*, ana drachmam dimidiam, cum
duabus mensuris vini in noua olla vitreata firmiter
occlusa, quæ farina subacta probe obturetur. In me-
dio autem operculi foramen relinquatur, per quod
vapor egrediatur. Coctura huius potionis ad spatium
duarum horarum continuetur. Ex hac potione ho-
mini sauciato singulis diebus mane & vesperi ad
quantitatem vnius cochlearis exhibe bibendum,
& loco affecto brassicæ folia vel præcedens catapla-
sma impone.

*Pretiosum oleum balsaminum, quod instillari potest vulne-
ribus quæ non capiti, sed alioqui corporis partibus sunt
inflicta.*

Accipe olei rosati vncias nouem.
Rebaræ minutim contusæ vnc. sex.
Hęc firmiter contecta in ampulla siue legena stan-
nea per tres dies stare facito. Deinde lagenam vna
cum prædictis in balneũ Mariæ immittito, & ad ho-
ræ medietatem probe bullire sinito. Postea in lage-
nam inijce mastiches subtiliter contusi drachm. sex.
Item thuris, bdellii, opopanacis, camphoræ, ana sin-
partes æquales vnciam dimidiam, postea illud oleum
per mundum panniculum laneum excolato, ita vt
omnis virtus prædictarum specierum inde exprima-
tur; habebisque in hunc vsum paratum oleum præ-
stantissimum.

*Ratio conficiendi pulueris vtilis contra dissectionem nerui ali-
cuius qui a Chirurgo est conglutinandus.*

℞. Oculos cancri, in subtilissimum puluerem
comminutos in paruo linteolo. Hunc puluerem ner-
uis insperge, & siccis fasciis ex linteolo confectis, l[illegible]
cu[illegible]

um obliga, ne humiditas aliqua ad neruos penetra- possit. Hanc ligaturam per spatium 24. horarum tactam relinquito. Elapso prædicto temporis spa- o, Chirurgus neruum inspiciat, ipsiusq. congluti- tionem exploret, & deinceps vulnus illud calidis nculis deliget instar alterius vulneris recentis, & st diem vnum aut alterum ligaturam dissoluat.

tio certa, qua fluxus sanguinis ex quouis vulnere erum- pentis cohiberi potest.

Ineunte vere, cum ranæ semina prima siue oua iiciunt, tunc accipe crassioris linei pāni vlnas tres quatuor, plus minusve quantum satis est. Hunc nnum cum huiusmodi ouis ranarum probe ablui- soliq. siccandum exponito. Deinde secundo ter- que lotum, similiq. modo in sole siccatum vsui di- enter seruato. Cum autem hoc vti volueris, par- n vulnere duplo maiorem, inde præcisam instar aplasmatis vulneri imponito; sanguinis effusio im supprimetur, quod certo experimento in plu- is est comprobatum.

Præcepta contra calorem & sitim.

CAP. XXXIX.

Vemadmodum frigus proficiscentibus obest, sic etiam calor, & ex hoc profecta sitis peregri- ntibus molestias exhibet. Nam suis ab humido ciente aut calido superante fit. Cum enim nimii s noxa peregrinantes infestat, calor nimius sem- excoquens corporibus firmitatem eripit, & humi naturali exigendo vires dissoluit.

rimum autem moneo, ne cum iter faciatis, mul- h loquamini. Inde enim sitis faucibus aridioribus trahi solet. Ad caloris vim pellendam balneum æ frigidę, etiamsi quis febrim aut capitis dolorem mperie contraxerit, prodest. Quam rationem

etiam cerui sequuntur. Nam cum æstu immode[...]
to vexantur, in frigidam sese immergunt. Alii co[...]
nas ex rosis, violis, nymphææ floribus, polygoni [...]
mulis, adianti, vitis, myrti foliis, salicum virgulis [...]
liisq. refrigerantibus plantis capiti contra æstus [...]
iurias imponunt.

Contra sitim ex calore prouenientem detine[...]
tur in ore crystalli, coralli, argentum, saccharum [...]
didum, aut silex, qui aliquamdiu in frigida aqua [...]
tana iacuit. Iulepus etiam rosarum & violarum [...]
aqua. Item radix glycyrrhizæ recens e terra euul[...]
manducata, siue ex aqua pota sitim sedat. Quem[...]
modum & vigiliæ extinguunt sitim a calore ort[...]
sic somnus ortam a siccitate. Frigida siue aqua [...]
odorifera, quam superius descripsi, etiam os coll[...]
prodest. Fici recentes sitim leuant, caloremque[...]
frigerant. Nuclei nucis pineæ, portulacæ foli[...]
linguæ subditum, fraga, pyra, pruna, cerasa, malo[...]
cydoniorum grana, lactucæ & cucumeris semin[...]
minuendam sitim sunt præstantissima. Perfus[...]
qua frigida panis, & cum vino sumptus, contra [...]
prodest. Vinum refrigeratur, si in aquam frigid[...]
vna cum cantharo collocetur, panisque tostus [...]
quam fontanam frigidissimam imittatur, cui p[...]
inde exempto vinum infundatur, illudq. hoc m[...]
bibatur, aqua interim sæpius permutata. Hac [...]
suetudine refrigerandi ego vti consueui. Nam [...]
bris est, nihilque nocumenti adfert, veluti ea[...]
nitro aut niue perficitur. Hæc enim est violen[...]
propterea naturæ contraria & inimica, vt sunt [...]
quibus refrigeratio petitur.

Præcepta contra famem.

CAP. XL.

PEregrinationes & bella sæpe hominem in[...]
piam rerum omnium cōiiciunt, ita vt ingen[...]
hementique fame laborandum sit. Quare non [...]

erit pauca contra hanc ſubiungere. Fame igitur
minante omnium animalium iecur aſſatum in
nuria panis ſatiat magis. Item panis coctus ex a-
ygdalis dulcibus & ſaccharo plurimum nutrit.
Panis quoque nauticus, ſiue biſcoctus, eo quod
pter ſiccitatem ſitum minime contrahat, & diu-
s reliquo incorruptus ſeruetur, in hunc vſum cir-
nferendus eſt. Legimus quoque quendam rui-
ædificiorum obrutum cum nullam vitæ ſpem
iquam haberet, ſeptem dies noctesque, ſola vri-
epota, famem ac ſitim toleraſſe. Auicenna
bulos contra famem compoſuit, qui ſunt conſer-
ndi, ne ſolis calore colliqueſcant. ℞. Amygdal.
lcium excor. libram vnam. Adipis vaccini li-
efacti libram dimidiam. Olei violarum vncias
as. Mucaginis rad. althææ vnciam vnam. Teran-
omnia ſimul in mortario, & fiant pilæ ſicut glo-
li nucis inſtar Italicæ.

De nauſea marina.

CAP. XLI.

QVOD ſi verſamini in mari, nolite prohibere
vel impedire vomitum; verum ſi ſit nimius &
erfluus, in potu paululum aquæ marinæ miſce-
vt ita ventriculus veſter paulatim mari aſſueſce-
diſcat.

Toſtus etiam panis ex aceto comeſtus contra vo-
tum valet, quemadmodum & multarum galli-
rum ventriculi per vſtionem in cinerem redacti,
n vino ſumpti in tali affectione ſtomacho non pa-
n proſunt.

Quidam volunt ad hanc rem conducere, ſi quis
uam marinam ſiue ſalum ex naui intueatur, ſiue
alto in mare deſpiciat.

De haustu aquarum. CAP. XLII.

SED quoniam in expeditionibus & peregrinati
nibus multos aquarum turbidarum & limosaru
vsu extinctos esse compertum est; omnino inter
co vobis, ne aquam ex puteis vel stagnis haustam
batis. Possunt enim hæ multifariam ab hostibus in
ci, vt plerumq. ab hostibus fit, cum alioqui etiam s
dibus scateant.

Fontanam quidem aquam non omnino imp
bo, hac tamen conditione, vt cum exhausta est
fonte, linteum nitidum in eam iniiciatur: quod s
post duarum horarum spatium nullas concipiet m
culas, sine omni veneni suspicione bibi potest. P
gantur autem aquæ excolatione, cum ex vno vase
aliud transcolantur per arenam dulcis insipidive s
in colum siue sacculum iniectam, aquæ prauitate
arena sic remanente.

Mala aqua etiam cum allio sumpta, vel inie
theriaca minus nocet; cuius posterioris vsus in
mis in expeditionibus est salutaris, vbi varia loca
tanda sunt.

Aqua limosa salis inspersione emendatur, turb
alumine clarificatur.

Lauri folia, pulegium, acetum permixtum ole
trioli gutta vna aut altera, folia acetosæ, cornu r
nocerotis, coralliũ contusum & iniectum in aqua
hæc omnia prauitatem eius emendant. Sed vt in
tutum de aquis sermonem absoluam, in casu su
cionis aquæ venenosæ, mihi satius esse videretur
integro puteum effodere. Indicium autem vel s
aquarum subterranearũ est nebulosa exhalatio a
exortum solis, vel creber & spatiosus iunci, vel ar
dinis prouentus.

De eruptione sanguinis ex naribus.

CAP. XLIII.

[C]VM Sol quoque peregrinantibus sanguinem nimis subtilem & tenuem reddat, eumq. ex na[rib]us effluere faciat; rem non inutilem videor mihi [fact]urus, si paucis de huius nimio fluxu reprimendo [dixeri]m.

[P]rimum autem sciatis, quod si cui vestrum sanguis [sine] læsione sæpe ex naribus profluit, in propinqua [sanitatis] parte hoc esse numerandum. Si autem hæc [erup]tio est nimia & crebra, tunc poterit vitare cibos [aro]matibus conditos. item allium, cepas, porrum, [si]nanum & cætera. Mirifice autem sanguinem ex [nari]bus promanantem reprimit stercus porcinum, si [cali]dum infarctum linteolo naribus admoueatur; [quand]oque frigescit stercus, rursus illud excalefacere o[por]tet. Sequens etiam cataplasma cum linteo cana[bin]o impositum sanguinem sistit.

[R]. bolum armenum & farinam volatilem mo[le]linariam, & ex his cum albumine oui & aceto ro[sace]o confice cataplasma, illudque fronti & arteriis [temporum] [illegible]tis applicato. Et si sanguis nondum reprimi[tur], linteolum aceto imbutum collo circumuoluito. [Mag]nimo ad eundem etiam modum pudenda hume[ctar]e poteris. Et quod si sanguis stillauerit ex nare de[xtr]o, cucurbitulum adhibebis iecinori, tamquam [part]i affectæ. Sin ex sinistro, in latere eam sinistro, ex [adu]erso splenis applicabis.

[S]i vero neque hoc sanguinem retinebit, non inu[tile] fuerit secta vena iecinoris sanguinem infrigida[re, &] e naribus inspirari curabis puluerem compositũ [ex h]erba quæ dicitur gratia Dei, qui puluis mirificam [siste]ndi sanguinis vim obtinet, etiam ex vulneribus [pro]fluentem. Cauebis tamen ne nares purges vel [mu]ndifices antequam sanguinis fluxus plane sit su-

superfluus. Aliqui etiam vtuntur croco vel puluer[e] fuliginoso molēdinario, vna cum tela araneæ. Quin etiam ex astringentibus lignis, vt quercu, ilice, fag[o] cinis non parum astringit, ideoque si forsan nullun[i] aliud remedium esset ad manus, sanguinis erupti[o] hoc modo cohiberi posset.

Præcepta aduersus alui fluxum.

CAP. XLIV.

NOnnumquam in profectionibus & bellis sæp[e] ex copioso alui profluuio laboratur, ideo rem[e]dia hunc morbum curantia vobis quoque minime negligenda esse censeo.

In principio autem istius morbi nolite statim m[e]dicamentis comprimendi facultate præditis, alui fluxum sistentibus vti. Etenim obluctari & excreti[o]nis cohibitionem moliri, maiorem morbum faci[t]. Sed potius candens siue ignitum aurum, vel chalyb[is] laminas, in potu quem hausturi estis, iterum atq[ue] iterum extinguite.

Genitale etiam cerui siccatum & comminutum in puluerem, in dysenteria efficacissimum est rem[e]dium, quemadmodum & argillæ rudera ex clibar[i]dium, quemadmodum... desumpta & decocta cum aqua, qua postea in po[tu] vtamini, facultatem sistendi & astringendi aluum præstant. In hunc vsum conuenit etiam sacchar[um] rosarum cum rubris corallis, vsto ebore, electuari[um]que ex cydoniis.

Contra ardorem stomachi.

CAP. XLV.

NON raro quoque ardor siue æstuatio stoma[chi] proficiscentes infestare solet. Operæpretium igitur visum est remedia huic morbo succurren[tia] breuiter obseruare.

Nonnulli contra hunc vtuntur glycyrrhiza, carp[i]nu[m]...

n alii lapides in ore detinent, vel olibani grana
lutiunt. Nonnulli contra hanc affectionem aquã
dam bibunt, aut lac tepidum, vel cerasorum nu-
os, aut panem ex aceto comedunt. Ego autem
xima ex parte hæc sequentia duo medicamenta
ibere soleo, quorum hoc a Daniele Rantzouio,
nissimi Daniæ regis Friderici II. in bello contra
cos primario duce, cognato meo, didici; illud ve-
lioqui vsu compertum habeo.

Medicamentum Danielis Rantzouij, contra ardorem stomachi.

℞. Vetus saccharum rosarum & lapides cancro-
n, quos contusos & in puluerem redactos saccha-
rosarum insperge, adde paululum de bolo arme-
. Misce hæc omnia simul. Obseruetur tamen vt
ides cancrorum dimidiam sacchari partem quan-
ite sua adæquent.

Aliud contra ardorem stomachi.

℞. Sesquiunciam cretæ.
es nuces muscatas siue myristicas.
quiunciam sacchari electissimi, quod ex Insulis
nariis aduehitur. Fiat puluis. Nunc aduersus are-
tionem linguę, qui morbus etiam plerumq. castra
uitur, remedia quædam asscribam.

Aduersus arefactionem linguæ, quæ dicitur vulgariter Brunella.

CAP. XLVI.

℞. Nucleos cydonei 2. aut corticem medianum
æ in aquam colloca; cui si addes cochlearium ace-
osacei, efficitur inde limus vel succus, quo oris hu-
ditas retinetur.

ALIVD.

℞. Syrupum acetosum simplicem cum aqua ex

cremore ptisanæ præparata; hac gargarizetur os quod valet contra linguæ ariditatem.

Syrupus acidus simplex.

℞. Aquæ fontanæ siue rosaceæ lib. iiij.
Sacchari lib. v.

Coquatur in vase lapideo, aut potius terreo vitreato carbonibus accensis, aut flamma exigua citra fumum, semper despumando ad dimidias. Deinde adiiciantur aceti albi clari lib. duæ. Si autem valentissimum vis, libræ quatuor. Si viribus mediocre, libræ tres, & percoque in syrupi consistentiam. Reconde in vase vitreo. Hic syrupus affectibus ac febribus maxime biliosis auxiliatur, quia bilem tenuitate & caliditate furiosam frangit, retundit & extinguit, adeoque sitim sedat. Humores quoque crassos tenuat, incidit, obstructiones tollit, vrinas mouet ac sudores. Putredini resistit, ob id pestilentibus febribus est saluberrimus. Ego hoc syrupo valde delector, & vobis eius vsum maxime commendo, quia non est ex venenatis compositus. Laudatur etiam ab Aristotele in libro De regimine Principum Alexandro inscripto.

ALIVD.

Lardum purum porci castrati ad longitudinem dimidii digiti, & latitudinem duorum digitorum transuersorum linguæ ægroti impositum probe insere, ita vt linguam & fauces interiores penitus contingat. Hoc lardum inde non remoue, sed colliquescere sine. Ægrotus autem illud per suctionem attrahat, donec plane in liquorem resoluatur. Postea copiosum vomitum edet; tum caue ne suffocetur. Postmodo videbis adusti sanguinis copiam, & cutem tenacem per vomitum eiici. Vtatur igitur ægrotus huiusmodi lardo secunda vice, & tandem conualescet.

Aliu

Aliud contra idem.

Veloci & celeri cursu vsque ad defatigationem agitetur equus, donec præ nimio calore liquidus humor ex ore ipsi emanet. Hæc spuma spongiæ in bacillum fixæ imponatur, eaque lingua & faucium partes remotiores, quousque fieri potest, inungantur per aliquot vices. Caueatur tamen ne spongia delapsa in collum descendat. Ægroto, cum comedere aut bibere voluerit, eluatur os aqua prunellæ. Deinde aliquoties hæc vnctio cum spuma prædicta repetatur. Illud extra dubium morbo medebitur, quod experientia constat.

Cum etiam peregrinantibus ocreæ soleant nonnumquam indurare digitos pedis, ita vt in callum intumescant, & duritiem quamdam contrahant (quod genus Germanice *Lickdorn* appellatur) sequens remedium eum in vsum subiicere volui.

℞. Cineres foliorum iuglandis combustorum, allium & seuum, misce simul & decrescente luna callum linteis probe conuolue. Et hoc vnguentum bis aut ter impone. Aliqui imponunt stercus gallinaceum. Alii testudinem sale necant, & spumam inde prouenientem huiusmodi tuberculis illinunt. Contra verrucas manuum aliqui liquorem ex lignis quercinis ardentibus promanantem imponunt, alii spumam maris.

De ebrietate. CAP. XLVII.

CVM in expeditionibus & communi vitæ inter homines conuersatione necessario interdum conuiuiis amicorum interesse cogamini, pauca vobis de præseruanda & curanda ebrietate adiicere operæ pretium esse duxi, a definitionibus incipiens. Est ebrietas nihil aliud, quam perturbatio mentis & omnium actionum eius, ex immodico potu profecta, ac voluntaria insania.

1. Ad hoc autem vitandum malum prima ac præcipua ratio eſt, parce bibere, & non plus quam neceſſitas poſtulat.
2. Deinde a fortibus potibus abſtinere, tenuiores cereuiſias intermiſcere & pedetentim bibere, nõ vno hauſtu omnia euacuare.
3. Inter pocula parum comedere. Nam cibus potum in ventriculo remoratur.
4. Sumere ante cibum pauxillum vini abſinthitis, aut 8. aut 9. amygdalas amaras, aut paululum lactis. Nonnulli deuorant lauri folia. Alii alia.

Africanus in ſuis commentariolis vult, quod qui caprinum pulmonem toſtum ederit, ebrietatem non ſentiet.

Ego ſemper in pectore geſtare ſoleo magnam amethyſtum, eo quod aliqui ſcribunt, eum valere contra ebrietatem, qui humores ad cerebrum aſcendere non patitur, mihique videtur, eum nonnihil præſtare: vnicuique tamen ſuum permitto iudicium.

Omnia dulcia & ex ſaccharo confecta inter potandum ſumpta, prohibent ebrietatem, quia non ſinunt aſcendere vapores & frangunt vim vini, eiusq. ſaporem. Præſentiſſima curatio eſt vomitus aut alui profluuium, ſecundum Hippocratem: Ex plenitudine enim quæcunque ægritudines accidunt, euacuatio ſanat.

Vltimo ſomnus curat perfecte ebrietatem, qui protrahi debet tamdiu, donec ructus aut oſcitatio adeſt. Nam (teſte Galeno) ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt. Non tamen vos ilico poſt pocula cubitum conferte, ſed vnam ad minus horam in cubiculo ambulate & vigilate.

Auicenna ſequentem ſyrupum præſcribit contra ebrietatem; verum ego eius vires non ſum expertus. Nam potius me amygdalis amaris, amethyſto, dulcibus rebus, odoribus frigidis, vt roſis, violis, camphora præ-

[illegible] præſeruare ſoleo, ſi propter valetudinem vomi-
[illegible]um ciere nolo, vt ſupra monui.

℞. Succi alborum caulium,
[illegible]ucci granatorum,
[illegible]ceti vini optimi ana vnciam vnam.

Ferueant ebullitionibus aliquot, & fiat ſyrupus.
[illegible]os vti poteſtis ex prædictis, quæ naturæ veſtræ ma-
[illegible]ime conuenire animaduertitis. Hoc certo ſcio, ine-
[illegible]riari, contra naturam & nulli hominum ex vſu eſſe.
[illegible]ropterea ſpero vos admonitionis meæ memores
[illegible]ore, & quantum communis vitæ ratio patitur, hanc
[illegible]ræſentiſſimam peſtem fugituros, Deoque optimo
[illegible]aximo id prohibēti magis obtemperaturos, quam
[illegible]ortem ſodalium & amicorum cauſa voluntate ve-
[illegible]ra acceleraturos.

[D]eſcriptiones nonnullorum medicamentorum & antidotorum contra venena.

CAP. XLVIII.

HActenus breuia quædam præcepta, ad conſeruationem ſanitatis & diurnitatem vitæ vtilia, qua
[illegible]otuimus breuitate enumerauimus: iam in fine me-
[illegible]icamentorum quorundam contra venena vim ha-
[illegible]entium deſcriptiones ſubiiciemus.

Primo igitur omni cura iudicium ciborum appo-
[illegible]torum habete, odoremque eorum, antequam in
[illegible]s immittatis, explorate, diuque lingua & dentibus
[illegible]ractate. Si enim cibus eſt venenoſus, ſtatim lædit
[illegible]uttur. Deinde cauete, ne cibus ſit peregrini diuerſiq.
[illegible]aporis, neq. eum cito diglutite. Nulli enim citius at-
[illegible]que guloſi veneno inficiuntur. Eam ob cauſam vo-
[illegible]o, ne quis veſtrum maxime familicus aut ſitibundus
[illegible]d menſam accedat, ne auiditate cibi deceptus vene-
[illegible]oſum neſciat dignoſcere materiam.

Aſſumpti autem veneni cura eſt, vt ſtatim percepti
[illegible]ocumēto prouocetur vomitus cum butyro & aqua

calida, aut oleo tepido, siue etiam aqua tepida cum aceto. Postea bibatur lac aut butyrum, vel sumatur album stercus gallinaceum, assatum cum vino, quod etiam in huiusmodi casu vomitum ciet. Vomitus autem tamdiu & quidem copiose continuandus est, donec nec sapor, nec odor, neque morsus, nausea aut vlla anxietas percipiatur. Hoc enim vbi fit, indicium est adhuc venenum esse reliquum.

Post vomitionem sumenda est theriaca bona cum aqua plantaginis, scabiosæ, aut acetosæ, vel Mithridatum aut diamoschum. Aliquot grana etiam iuniperi trita, & in potu data miro modo venenum expellunt. Allium & raphanus hebetant vim venenorum, quemadmodum & smaragdus, achates, succinum & corallium, & quæcunq. appensa collo, manibusve mutantur, siue colorem naturalem amittunt.

Quidam ferunt, ambram, muscum vel lapidem bufonis gestantes a venenis tutos præstare. Alii contra eadem ieiuno stomacho vrinam propriam, vel pueri non polluti recens emissam hauriunt. Nonnulli mirabilem contra venena efficaciam habere scribunt, si quis infectus veneno, mulo aut equo exenterato, statim, dum adhuc feruet, inseratur, & capite prominente tamdiu in eo iaceat, donec a vi veneni liberetur. Si vnus non sufficiat, alter idem exenteretur. Hoc remedio Valentinus Gorgias Alexandri Sexti Pontificis filius aduersus venenum vsus euasit.

De peste. CAP. XLIX.

DE Peste, quæ præsentissimum quoque est aëris venenum seu corruptio, pauca adderem, nisi plurimorum doctorum virorum multi de hac medicæ facultatis particula variis temporibus editi libri extarent, quos consulere potestis; saltem monebo peste grassante, præsidium omnium Medicorum testimonio laudatissimum esse fugam arripere, solum cælum-

cælumque mutare, loca vitiosa & pestifera, huic contagiosæ lui obnoxia primo quoque tempore relinquere, & in hæc tarde redire, iuxta versiculum communem:

Hæc tria tabificam pellunt aduerbia pestem,
Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Appendi collo etiam pro amuleto sequens sacculus potest, qui mirifice pesti resistit gestatus, cordisque regioni appositus, secundum Paracelsum. Fiat autem hoc modo:

Iacobi Carpensis remedium.

℞. Arsenici albi crystallini partes siue vncias duas.
Rubei partem siue unciam vnam.

Fiat placenta rotunda crassitudine digiti cum albo oui vel mucilagine tragacanthi. Insuatur linteolo lineo, superaddito serico, & admoueatur cordi.

Nec opus est indusium interiici (nam etsi arsenicum intro sumptum sit lethiferum, nec etiam occulta vi, sed sola rosione, vt proinde venenum non sit dicendum) tamen admotum extra venenis resistit certa experientia.

Poterit etiam sacculus pro corde conseruans & curans huiusmodi componi.

℞. Sapphyri, smaragdi, hyacinthi, rubini, corallorum rubeorum & alborum sing. drachm. croci scrupulum.
Margaritarum drachmam semis.
Arsenici albi drachmas duas.
Ambari grana sex.
Radicis Iridis siccæ & odoræ vnciam ß.
Cornu ceruini vsti drachmam.
Auripigmenti vnciam ß.

Terantur omnia, & fiat sacculus cũ sindone pur-

purea, cordisq. regioni apponatur. Nonnulli ad præseruandum propria vrina vtuntur.

Alii odore radicis Enulæ Campanæ, aceto maceratæ, aut Angelicæ, aut granis iuniperi vel lauri. Multi non prodeunt in publicum nisi cibati.

Si quis tamen hac lue infectus fuerit; expurgato quam primum fieri possit, ventriculo, communibusque viis, puluere sudatorio, non prius tamen quam naturæ propensionem ad sudorem cognouerit, & clystere vtatur. Deinde Theriacam, Mithridatum, cæteraque remedia morbis pestiferis aduersantia adhibeat, ita tamen, ne hæc remedia semel, vt fit, ve continue sumat, sed ter quaterve eodem die, semper interuallo sex horarum interiecto. Si bubo se ostendat, aut carbunculus, sanguisugas non procul a loco affecto, si sit in membro ignobili, applicet: præstabit tamen prius cucurbitulas amplas & magnas cum multa flamma, vel gallum aut catulum, vel pulmones animalium subinde admouere: Cæterum inter initia pestiferi morbi, antequã pharmaca sumpserit, somnum fugiat, eique nullo modo indulgeat, ne veneni vis aut pestilentiæ virus, vnà cum sanguine membra principalia inuadens protinus interficiat, cor cæteraque membra confortantia adhibeat, & quantum fieri potest, cibis ventriculo suo maxime congruentibus se reficiat, Deoque vitam suam & omnia reliqua, ardentibus precibus commendet necnon Medici periti consilio reliqua committat, diuina sua clementia gratiaque ille, hic vero arte sua ipsi succurrere velit.

Præmissis his in genere de Venenis & Peste, sequitur ordine nonnulla antidota.

Medicamentum regis Mithridatis aduersus omne venenum & præcipue pestiferum.

Plinius lib. 23. cap. 8. scribit, Cn. Pompeium in sanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti inue-

ni-

nisse in peculiari commentario ipsius manu conscripto compositionem antidoti e duabus nucibus siccis: Item ficubus totidem & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano; & ei qui hoc ieiunus sumat, nullum venenum nociturum illo die.

Idem antidotum etiam hoc modo conficitur:

℞. Nucum iuglandium siccarum vncias sex.
Ficuum siccarum vncias 4.
Foliorum rutæ siccæ semiunciam.
Salis drachmas duas.

Omnia hæc in minutas partes concisa aqua rosarũ imbuantur, neque vt quidam volunt, terantur. Aliqui hæc miscent succo acetosæ aut aceto rosaceo. Nonnulli addunt etiam semiunciam granorum Iuniperi. Hoc antidotum ieiuno stomacho sumatur ad quantitatem nucis castaneæ, estque aduersus venenum præseruatiuum.

Experimentum Medici antiquioris Regis Angliæ, estq; puluis mirabilis contra toxicum & omne venenum.

℞. Pimpinellæ,
Radicis tormentillæ,
Cinnamomi ana vnciam dimidiam,
Ligni aloës, granorum iuniperi,
Zinziberis ana drachmam vnam.
Interdum additur cardui benedicti, radicis Angelicæ, ana drach. dimidia.

Fiat ex his omnibus puluis subtilis, & occlusus in pyxide vsui bene seruetur.

Aliud electuarium præseruatiuum contra Pestem & alios morbos D. Prisciani de Corduba, Medici Leonis Pontificis decimi.

℞. Cinnamomi electi drach. dimid.
Zedoariæ drachmam vnam.
Boli armeni præparati drachmas tres.

Camphoræ grana ſeptem.
Seminis citri excoriati,
Acetoſæ,
Corticis citri ana drachmam vnam & dimidiam.
Radicis diptami, tormentillæ,
Pimpinellæ drachmam dimidiam.
Raſuræ eboris,
Oſſis de corde cerui drachmam vnam.
Auri & argenti præparati ana ſcrupulum dimidium.
Fragmentorum ſapphiri,
Rubini, ſmaragdi,
Granati ana ſcrupulum vnum.

Miſce, fiat puluis; cui adde conſeruæ roſarum, acetoſæ, bugloſſæ, ana drachmas duas, Sacchari albi libram vnam, diſſoluti in aqua bugloſſæ & endiuiæ, & fiat Electuarium.

Modus vtendi hoc præſeruatiuo contra Peſtem, talis eſt.

Pars magnitudinis duarum fabarum cultello acce- pta comedatur: Incenſo vero iam peſte, ſemiuncia cum vino acetoſæ detur omni die. Contra pleuriſi- ſemiuncia cum accommodato iuſculo, ſucco, vel a- qua bene diluta detur laboranti. Ego autem huic e- lectuario nonnumquam addere ſoleo vngulæ Alc- næ, cornu beſtiæ vnicornis ſiue monocerotis & ſuc- cini ana drachmam vnam.

Deſcriptio ſtibii præparati, & de eius vſu.

CAP. L.

NOnnulli vtuntur Stibii præparati ſecundum Matthioli traditionem granis tribus tritis & pul- ueriſatis cum ſaccharo albo, aut ſaccharo roſarum contra peſtem & venenum. Stibii etiam vſus contra varia & diuerſa morborum genera eſſe perhibetur.

Educ-

ducit per vomitum, deinde per secessum, sed tamē niter; quod ipse expertus sum, aliisq. exhibui. Scri- unt nonnulli stibium vix alium humorem quam m qui noxius est, aggredi, & partem fere corporis ectam, siue propinquam, siue remotam petere, uersus epotum venenum, aduersus ipsam pestem hil esse præsentius, curare capitis dolores antiquos, tarrhos, ventriculi dolorem & eiusdem imbecilli- em ab humorum copia & malignitate ortam, hy- opem, asthma, paralysin, epilepsiam, quartanam nique tollere, cumque morbus nullus, ne pestis idem ipsa quempiam inuadat, nisi qui ob vitium quod interius exteriusve impactum noxæ suscipi- dæ fuerit opportunus, esse hoc medicamentum n modo ad præsentes morbos propulsandos, sed am ad imminentes arcendos idoneum, & stibio pus humanum non aliter quam aurum ipsum imonio purgari. Ego stibium præparatum vbique orum in promptu habeo.

Exhibendi modus nouus & magis tutus.

Sume stibii ad puluerem tenuissimum triti tot na, quot alicui vis exhibere, affunde eis medio- m vini haustum, vasis orificio probe cooperto, in per noctem remanebit. Sequenti vero die vi- m leniter, rursus ex vase effunde, illudque ieiuno tricuło bibe. Hoc non adeo periculosum est, ne- tantos dolores excitat, quam si ipsa substantia ii sumatur.

Aliud Remedium contra periculosos & pestiferos morbos puerorum.

Nostræ matronæ pueris, si male habere cœperint, nt exhibere paululum ossis de corde cerui.
Ossis bestiæ vnicornis.
Corallorum rubeorum.
uccini albi.

Margaritarum.
Ramentorum auri.
Vngulæ alcinæ æquali portione. Hæc omnia in mor
tario contrita miſcent ſimul in morbis calidis cum
aqua roſacea, in frigidis vero cum aqua lauendulæ.
Exhibetur autem ad menſuram cochlearii.

Antidotus Saxonica contra venenum.

CAP. LI.

ETſi præmiſſa medicamenta venenis aduerſentu
maxime; tamen contra vim omnium venen
rum ferme, maximum præſtat vſum Antidotus S
xonica, quæ apud Illuſtriſſimum Electorem Aug
ſtum Saxoniæ Ducem non ita pridem inclaruit,
ſtentationibus prodigioſis fere cuiuſdam ruſtici, q
deuoratis ſerpentibus variis, quotieſcunque ſpe
men de antidoti viribus edere voluit, huius bene
cio ab omni læſione vindicatus ſemper euaſit: don
tus tandem ab Electore honeſto & liberali præmi
ea conditione, vt porro, præter Electorem, compo
tionis rationem doceret neminem. Solis enim Pri
cipibus Elector dignam rebatur auxilii tam præſe
tis cognitionem, præſertim cum ipſa vtendi nece
tas in ipſos facilius Principes ac illuſtres viros, qua
vulgares homines & plebeios incidat.

Huius antidoti vires, vt sereniſſimus Daniæ R
Chriſtianus piæ memoriæ exploraret, quondam
Haffniæ homicidæ cuidam, ſupplicio capitis neca
do, venenum iuſſit exhiberi lethiferum, nempe M
curium ſublimatum, eumque copioſum, hac con
tione, vt ſi beneficio huius pulueris minime more
tur, Rex donaret eum vita. Quod factum eſt; ita
putem, cum hic puluis huiuſmodi venenum vice
facile eum quoq. omne veneni genus ſuperare p
ſe. Ego non ita pridem ab illuſtriſſimi Electoris c
iuge per literas obnixe petieram, vt rationem co
pone

ponendi hunc puluerem ad me perſcriberet, verum responſum non accepi, pulueris tamen ſatis magnã tranſmiſit copiam, cuius partem aliquam in myropolio meo inueniendam vobis relinquo. Alibi ſcribunt, vt Geſnerus Moybanum ſecutus, Electorem Saxoniæ Duci VVirtebergenſi rationem huius pulueris confaciendi tranſmiſiſſe; eumq. puluerem his radicibus conſtare.

Nomina ſimplicium ex quibus hic puluis conficitur.

Radicum Valerianæ ſemiunciam, Germanice *Baldrianvvurtzel, oder Theriackskraut*, Latine etiam theriaca, Græce Φὸ.

Vrticæ minoris, *Heitterneſſel*, Vincetoxici, id eſt, hirundinariæ, } ana vnc. vnam

quæ Germanice dicitur *vbervvindung des giffts, oder Schvvalbenkrautvvurtzel*, Gallice *domte venin*.

Polypodii quercini, *Engelſuß vvurtzel.* Althææ, *Ibiſchvvurtzel*, alias Ibiſcus dicitur, Olus Iudaicum, vel Biſmalua, Angelicæ ſilueſtris; } ana vnc. ij.

Angelicæ ſatiuæ recentis vnc. quatuor.

Corticum radicum Laureolæ, German. *Kellershals*, vnciam vnam ß.

Fructus ſeu baccæ herbæ quæ Paris dicitur, id eſt, *vierfingrig nachtſchatten*, vel *nachtſchatten mit vier blettern.*

Acetum acerrimum.

Radices omnes effodiendę ſunt eo tempore quod inter 15. Auguſti & 8. Septembris intercedit, quamuis aliqui tardius effoderint, & efficaciam tamen ex-

perti sit antidotum. Deinde incisæ reponantur in ol-
lam vitreatam affuso aceto acerrimo, quod duobus
digitis radices excedat. Tum olla operculo clausa, ri-
mæ omnes albo oui cum farina subacto diligenter
oblinantur, & sic in illa ad lentum ignem leuiter o-
mnia bulliant, postea olla aperta, abiecto quod red-
undat aceto, (nisi ex illo forte syrupum adiecto mel-
le & alios vsus commodum parare libeat) radices ex-
iccentur. quoad fieri potest. Deinde contritis omni-
bus addantur acini herbæ Paris dictæ (nos Solanum
tetraphyllum vocamus) numero viginti sex, & fia
puluis, cuius drachma vna e vino albo propinetur
Dosis huius pulueris est scrupuli duo, vel drachmę di-
midium adultis & senibus. Aliis enim minor dosi
sufficiet videlicet scrupulorum duorum.

Videtur hæc antidotus non aduersus omnia vene-
na solum, sed alios quoque affectus vtilis futura, icte-
rum præsertim, cachexiam, dyspnœam vel asthma,
splenis obstructionem, retentionem mensium & ca-
culos renum, quartanam, aliaque huiusmodi, vbi fri-
gidos, crassos & viscosos humores causantur: præsen-
tissimum quoque remedium est contra pestem,
contra eandem præseruatiuum.

Sunt & aliæ huius pulueris descriptiones, quas li-
bens prætereo, tantum vnam subicio, quam a Berl-
psio Illustrissimi Principis Electoris consiliario did-
ci: quæ mox sequitur.

Antidotus Saxonica contra omnis generis venena efficacißima.

℞. Valerianæ vnciam vnam cum duabus drach.
est, *Baldrianvvurtzel.*
Hirundinariæ, id est, *Schvvalbenvvurtzel*, vnc. vnam
Polypodii quercini, id est, *Steinvvurtzel*, sesquiunc,
Angelicæ satiuæ, Smyrnii, *Meister-vvurtzel.* } ana vncias duas.

Altha-

Althææ, *Eibischvvurtzel*, vnciam vnam.
Corticum radicum Laureolæ sesquiunc.

Radices effodiantur tempore quo supra dictum est. Deinde incisæ in nouam ollam testaceam vitream immittantur acerrimo infuso aceto, ita vt ad latitudinem duorum digitorum radices excedat. Deinde olla operculo probe contecta farina subacta obtinetur, ne vapor exhalare aut alioqui aura ingredi possit. Hæc ita ad spatium dimidiæ horæ bulliant, posteaq. ab igne sublata infrigidentur. At vbi iam probe infrigidata fuerint, abiecto aceto radicibus adiice XII. acinos herbæ quæ dicitur Paris, & singulis acinis tria folia ex cauliculo herbæ prædictæ adde. Hæc ita supra fornacem vel aëri exposita probe siccato in loco aliquo radiis solaribus minime peruio. Deinde omnia in puluerem tenuissimum comminuta, per cribrum setaceum transmittito; cumq. opus fuerit, ad pondus vnius drachmæ exhibeto. Hic puluis vim habet insignem contra pestem & venena, aliaque morborum genera, quorum superius mentio facta est.

Antidotus Nicomedis regis contra venena.

℞. Baccarum iuniperi drach. ij.
Terræ Lemniæ drachmas duas, & obolos totidem.
Hæc vbi in puluerem redegeris, oleo aut melle commiscebis, reponesque, atque cum opus fuerit, ex aquæ mulsæ cyathis duobus in magnitudinem auellanæ dabis.

Hoc loco placuit etiam adiicere medicamentum Regis Daniæ, Christiani III. contra morbum caducum, & syrupum S. Ambrosii in febre tertiana vtilem.

CAP. LIII.

Recipe Cranium siue caluariam hominis, præsertim furis suspensi, nulliusque morbi interuentu mortui (nam huic plus efficaciæ, quam reliquis tribuunt) hanc caluariam in craticula tostam ad pulue-

rem redigito. Deinde accipito tria grana Pæoniæ, atque hæc cum vna drachma prædicti pulueris, & aqua lauendulæ ad quantitatem vnius cochlearis ægroto tempore matutino exhibeto. Postero & tertio die fac idem. Sumet autem ægrotus hunc puluerem ieiuno stomacho, ac tres continuos dies se domi continebit, pauco potu & cibis lenis ac facilis digestionis vtetur, vt sunt oua. Non abs re etiam fuerit, vt ægrotus postea singulis diebus mane per ali quod tempus cochlear aquæ lauendulæ exhauriat Os bestiæ vnicornis etiam contra hoc morbi genu conducit,

Syrupus S. Ambrosii prouocans sudorem & sitim extinguens quo Mediolanenses adhuc vtuntur, vtilis in febribus tertianis.

CAP. LIIII.

℞ Milii excorticati quantitatem conuenientem decoquatur donec crepet: Deinde recipe vnc. quin que vel circa eius iusculi ebullientis; & infunde vi albi odoriferi vncias duas, & sic calidum da patient ac bene eum cooperias; tunc mirum in modum s dabit.

Perstrinxi iam fere breuiter singula quæ ad re nendam sanitatem & cauendos morbos vobis sign ficanda esse iudicaui. Cum autem Cornelius Cels Medicorum Romanorum Princeps, eadem fere m ra breuitate tractet, non possum non vos ad lecti nem eius authoris vehementer adhortari. Quapr pter etiam integrum fere capitulũ primum libri p mi huc adscribere, & tanquã epilogũ addere placu

Quemadmodum sanos agere conueniat, capitulum 1. Cornelij Celsi.

CAP. LV.

SAnus homo qui & bene valet & suæ spontis nullis obligare se legibus debet. Hunc oportet rium habere vitæ genus, modo ruri esse, modo in

,sæpiusque in agro,nauigare,venari, quiescere in-
rdum,sed frequentius se exercere,siquidem igna-
a corpus hebetat,labor firmat; illa maturam sene-
utem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest
iam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti,
odo vngi, modo idipsum negligere, nullum cibi
nus fugere,quo populus vtatur; interdum in con-
uio esse,interdum ab eo se trahere; modo plus iu-
,modo non amplius assumere; bis die potius quã
nel cibum capere, & semper quamplurimum,
mmodo hunc concoquat; intermissus propter
iles aliquas necessitates ordo exercitationis cor-
s affligit. Concubitus vero neque nimis concupi-
ndus,neque nimis pertimescendus est; rarus cor-
s excitat, frequens soluit. Cum autem frequens
non numero,sed natura.ratione ætatis & corpo-
scire licet, eum non inutilem esse, quem corpo-
neq. languor,neq. dolor sequitur. Idem interdiu
or est,noctu tutior: Ita tamen si neq. illum cibus,
q. hunc cum vigilia labor statim sequitur. Hęc fir-
s seruanda sunt,cauendumq. ne in secunda vale-
line aduersa præsidia consumantur. Hæc ille.

Conclusio. CAP. LVI.

Ostquam nunc ô filii charissimi recensui quæ pro-
utura vobis ex aliis partim collegi,partim ipse ex
ientia edoctus animaduerti (præscribere vero
enda vniuersa non magis possum, quam præscire
nia euentura) vestri erit officii hæc præcepta,tam-
m per manus a maioribus tradita studiose am-
ari,memoriq. mente seruare. Inter cætera autẽ
non extremum pręceptum esse arbitror,summo
io eniti,vt quę quis ex quotidiano rerum vsu ex-
ire sibi cognouerit, eorũ successum summopere
moueat,eaq.ad felicem exitum perducat. Quod
ro,ô filii,abnegata omni impietate,sobrie, iuste-

que & pie viuentes, Deum reuerenter colueritis, ma-
giſtratus, parentes, præceptoreſque veſtros obſerua-
ueritis, & in omni vita in aëre & motu reliquiſque
affectibus moderationem & temperantiam, iuxta
rationem præfinitam & præſcriptam adhibueritis
periculoſoſque caſus (citra tamen famæ veſtræ ia-
cturam) fugeritis, nequaquam dubito, quin ad gran-
dæuam ſenectutem vitam commode producturi ſi-
tis, ac filios filiorum viſuri. Denique hic labor, hæc v-
nica vobis cura ſit, primum Dei optimi maximi, de-
inde hominum gratiam & fauorem, honores diuiti-
aſque lucrari, & ſanitatem conſeruare. Quod vt mihi
vobiſque Deus æternus, qui cuncta ſuperna & infe-
na libere, pro iuſto diuinæ ſuæ maieſtatis arbitri-
moderatur & regit, benigne clementerque largia-
tur, hactenus aſſiduis ſeriiſque precibus ab eo
contendi, & etiamnum contendo, toto-
que ex animo precor.

FINIS.

GVILIELMI GRATAROLI BERGOMATIS, MEDICI CLARISSIMI,

DE LITTERATORVM ET EORVM QVI MAGISTRATVM GERVNT, CONSERVANDA VALETVDINE LIBER.

Omnibus, quibus secunda valetudo curæ est, apprime vtilis & necessarius.

15  91.

FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum, & Petrum Fischerum, consortes.

GVLIELMVS GRATAROLVS DOCTOR MEDICVS, EGREgio Iurisconsulto & Oratori D. Francisco Gratarolo, consanguineo suo colendo S. D.

NEmo est mentis compos, qui post animæ sanitatem, corporis valetudinem, maximum in hac vita bonum esse neget: & receptissimum est carmen illud vulgatum : Optandum est, vt sit mens sana in corpore sano : *neq; enim [d]iuitiarum vlla gratia, aut liberorum, aut regnorum, demum[q]ue virtutes nec vtiles, nec conferentes esse absque sanitate pos[su]nt: id quod etiam ex Ecclesiastici cap. 30. sic legitur: Potior [es]t pauper sanus, & bene valens, quam diues affecto corpore. [S]anitas & incolumitas præstant omni auro, & valens corpus [im]mensis opibus. Nullæ diuitiæ meliores sunt sanitate corporis, [n]ec vlla voluptas maior lætitia animi. Nec Plato id ignora[u]it cum in suis legibus bona humana enumerans, quatuor nu[m]ero, videlicet: primum locum dat sanitati, proximum for[m]æ, tertium viribus, vltimum diuitiis. Recto quidem ordine [sa]pientiq; vsus iudicio vir diuinus, quod intelligeret, dempta [s]anitate, nullo nobis vsui futura reliqua illa tria bona. Sed heu [p]udor & negligentia! tam preciosum & amabilem thesaurum, [r]ebus omnibus plerumq; negligentius curamus & tuemur: qui [t]andem non nisi amittendo fere cognoscitur. idcirco charitate [q]ua præ cipue erga pios & studiosos teneor, motus, ac cōtra mul[t]orum dicacitatem qui omnes medicos mala tantum quærere, [a]c pecuniæ inhiare nugantur, compendium istud qua potui di[li]gentia, & maioribus, quam res parua præ se ferat, laboribus, [c]oncinnaui. (uius caussa non ita in Græcorum medicorum [p]lacita iuraui (quibus tamen potiorem ac omnem fere medi-*

cinam debemus) quin ex Arabum quoq; præcipuis, veluti
floribus mellificium apes, quod verum & rationi consonum
sum est, selegerim, & quæ iam annis XV. in vsu artis hac
parte obseruaui, adiecerim. Et quamuis huius generis multi
varij existant libri ac libelli, quibus omnibus suus debetur
nos; pleriq; tamen vel nimia barbarie aut superflua prolixit
te legentes afficiunt tædio; alij amethodi sunt, vel rerum ince
titudine aut nimia breuitate parum prosunt. num vero ego
tile dulci miscuerim, cum iudicium esto penes doctos & can
dos lectores, tum opus artificem declarabit. quod potui fideli
præstiti: nec me ita fallit communis φιλαυτία, quin videa
potuisse rem elegantius & vberius a doctißimo aliquo no
temporis scribi. Sed hæc non edidi medicis, (vtpote quibus
ctiora & longe ampliora non desunt) at his quibus aliis in
bus & studiis occupatis, longiores medicorum libros euoluen
& iudicandi haud suppetit commoditas: qui boni consulent
natum meum & bonam voluntatem: quos, arbitror, non pæ
tebit emptionis ac lectionis huius libelli. Sed cum pene om
elucubratio suos habeat Zoilos & detractores, nec deessent
quorum nomine ac tutela hanc etiam emitterem, te, quo ne
nem ab ineunte ætate chariorem fere habeo, elegi: qui (c
alias etiam sis magnarum iustarumq; causarum patroci
assuetus) hoc paruum opus a calumniis æmulorum asseren
vt qui inter Iuris peritorum eloquentißimos, & eloquenti
iuris peritißimos, in ista multis nominibus ampla Venetiar
ciuitate, fortasse nemini aut paucißimis secundus dicaris
existas. Nec vero defuturum tibi in rem medicam amor
puto, qui ex ea natus sis familia, & affinitate cum ea eti
coniunctus, quæ multos iam diutißime habuit, & nunc me
habeat non triuiales aut empiricos, sed absolutos & claros m
dicos: ex quibus quos memoria teneo breuißime recensebo,
iuniores in familia nostra ad imitationem accendam, non q
inde gloriam affectem, cum in sola CHRISTI seruatoris
stri cruce ac cognitione sincera (inuito sathana & membris ei
glorier. Atq; vt a tibi coniunctioribus incipiam, claret istic
cellentißimus D. Hieronymus Gratarolus socer tuus, qui

veneranda præsentia, ægrotantes (nimirum curabiles) in atem, nedum in spem, reducit. hunc sequitur illius haudquam degener filius Antonius, auum suum paternum, ob um suam adhuc in multorum memoria hærentem, re & ine referens, ac facile (Deo adiuuante) superaturus, cum udiorum politiorum, & rerum omnium necessariarum moditates nactus sit, ac iam lauream adeptus. non silebo ius patrem meum Peregrinum Gratarolum, philosophum edicum talem cui non in patria modo satis ampla & doum numero celebri, sed etiam vicinis in regionibus pauci it æquales, superior fortasse (pro ratione ætatis) nemo, idque m qui illum nouerunt testimonio, non meo, quod aliquibus ectum videri queat. is pestifero illo anno 28. supra sesquiesimum, cum ob nimios (multorum precibus petitus) ac los in actu medendi labores erga plurimos conciues Bergon grauissimum morbum incidisset, qui caput maxime obsit, nec se ipsum in eo genere morbi iuuare posset, a quo pluriparum antea in sanitatem asseruerat, accersitis nonnullis medicis, tandem intra 14. dies obiit, ætatis suæ anno, ni r. 56. an vero vi morbi, aut fato, aut alia causa, quam di supersedeo, Dominus nouit. ante meum ortum celeber fuit dicus & grauis, Simon Gratarolus auus Simonis nunc Iure ulti elegantis, ac non paucis virtutibus in hac prima iuta præditi. nec prætereundi sunt duo istic iuuenes germani res Ioannes medicus, & Pasquimus Iurisconsultus, quos nulvel laboribus vel impensis parcere arbitror, vt in dies magis magis, tam grauibus professionibus respondeant. Sed faxit minus Deus & pater æternus, vt non minus Christiana fide, ac charitate crescamus, quam diuitiis, & mundi fluxis, ac dem vanis honoribus: vt in die illa impiis omnibus & indulis tremenda, acceptabiles compareamus. Bene vale, ac me sinceriter amantem, cum tuis omnibus perpetuo redama. Ex inclyta Basilea Kalend. Martiis.

M. D. LV.

GVLIELMI GRA TAROLI DE LITERA TORVM CONSERVANDA VA- LETVDINE LIBER.

PROOEMIVM.

VT ante omnia quod nam hoc in ope[...] meum sit officium, & quid in summ[...] præstare velim, pateat: præmittendu[...] breuissime censeo, indicationes med[...] cas a quatuor sumi capitibus, nempe[...] vel a sanitatis natura & causis eius, vel a corpore sa[...] no: vel a natura morbi suisque causis & corpore aff[...] cto: vel a medio seu a quibusdam communibus. In[...] dicatio autem nil aliud est, quam nota iudicans qui[...] agẽdum secundum rationem a rei natura, cuius gra[...] tia vel agimus, vel affectum curandũ sumimus. Qu[...] a natura sanitatis, & a corpore sano sumuntur, vna[...] habent communissimam indicationem, bipartitam[...] tamen, conseruationem scilicet & præseruationem[...] conseruationem quidem cum corpus est exquisit[...] sanum: (quale raro contingit) præseruationem v[...] ro cum corpus iam incipit in deterius labi: hæqu[...] duæ indicationes ac communes medicinæ ad nos i[...]

pra[...]

æſenti opere pertinent: nam cum conſeruatio & æſeruatio vel ad Gymnaſticum vel ad medicum rtineant, ac Gymnaſtica ars noſtris temporibus de- rit, ad medicum ſolum pertinebunt, vt etiam Ga- nus in proprio hac de re libello, tum alibi voluit. iæ indicationes quæ a natura morbi eiuſque cau- & a corpore affecto ſumuntur, quæ res ſunt præter turam, quarum communiſſima indicatio eſt cor- ſtio & ablatio, ad medicum morborum curato- m ſpectant. Mediam autem illam communiſſi- am quandoque conſeruationem, quandoque ab- ionem, indicant cauſæ non naturales, nempe aër, bus & potus, motus & quies, inanitio & repletio, mnus & vigilia, & animi ſymptomata: quibus ad- ntur ætas, temperatura, conſuetudo, ars, & natura pria ſiue indiuidualis. Sunt autem media, quia andoque conſeruationem indicant, quandoque lationem: ablationem quidem, cum exempli gra- , aër ægritudini aduerſus eſt: aut enim alteratur m contrariis, aut mutatur: ſi vtilis, conſeruamus m ſimilib⁹. ita, cũ ſanos conſeruamus facimus. Cõ- unes ergo ſunt iſtæ indicationes, quia tam conſer- tor aut præſeruator ſanitatis, quam ægritudinum rator, his vtitur. Meum igitur hic conſeruationis præſeruationis munus aggrediens, ſequar præci- e illarum quinque rerum ordinem Hippocrati- m, quem Galenus cum alibi, tum in ſecundo De enda ſanitate recenſet: ſunt autem, labor, cibus, tio, ſomnus, venus: in quibus, modo ac ordine hibitis, ſanitatem potiſſimum conſiſtere, hi duo dicinæ patres aſſeruere. illis quinque, Deo iuuan- addam acceſſoria, res alias non naturales, & quæ- nque ad præſens negotium vtiliora eſſe videbun- r. De labore itaque ſeu exercitio narrationem, ocato æterni patris per Chriſtum auxilium, incipi- us. Hæc pauca prætermittentes. Quod cum ho-

minum naturæ sint numerosæ, diuersam quoque vi-
ctus & exercitii rationem postulant: ac proinde si-
cuti (inquit Galen.) fieri non potest vt vnum calopo-
dium ad omnes homines sutor accommodet, ita ne-
medicus vnam omnibus vitæ speciem quæ conduca-
potest accommodare. Nonnulli siquidem sunt, qu-
si triduo se ab exercitatione abstineant, protinus a-
grotent: alii in perpetua fere quiete degentes, ta-
men secundam tuentur valetudinem: & in ali-
rebus similis reperitur diuersitas. Cum autem v-
corporum ipsorum numerosa diuersitas est, ita vit-
rationum quibus viuimus, sint species diuersæ: fie-
nequit sane vt in qualibet proposita vita, absolute o-
ptimam corporis nostri curam exhibeas, sed eam-
tantum quæ cuique optima sit. Quare omnibus i-
qui aut seruitute, aut etiam impediti negotiis, co-
pori curando vacare nequeunt, optimam prorsu-
corporis curam scripsisse, superuacaneum fuerit. i-
autem qui omni modo liberam vitam degunt, pr-
cepisse fas est, quemadmodum victuri sint felicite-
que & diutissime. Porro quod simplex inculpatum
que in omni genere est, id cæteris omnibus ceu r-
gula quædam præponi postulat. Ac simplex inculp-
tumque in corporibus quidem est (velut Polycle-
regula) quod optimo est habitu: in vitæ generibu-
quod omnino liberum est. Vt aliquis etenim in lo-
gissimum prolata vita, etiam bona valetudine perp-
tuo vtatur, is liber oportet sit ab omni negotio p-
blico, nimirum sibi viuens duntaxat, solique indu-
gens corpusculo. Etenim immortale fieri quod ge-
tum est, plane non potest: vt vero in longum pe-
duret tempus, id maxime fieri potest. Nam qui op-
mum (ait Galenus) sortitus est corporis habitum,
si ab omnibus quæ ad publicum in vita spectant, -
cedat, sibique tantum vacet, nec morbo vllo quo-
fieri poterit vnquam tentabitur, neque ante long-
simu-

5. De tuenda sanit.

Aliorum omnium regula.

Quinam diutissime viuant.

...num vitæ tempus morte occupabitur. Sed quis ...n modo inter Christianos, verum etiam inter E...nicos & Epicureos tam vecors est, vt sibi soli natũ ...esse putet, neque vnquam aut publici aut priuati ...cuius cura illi sit? His certe (si qui sint,) non scribi...us: sed illis, qui quod superest temporis a legitimæ ...cationis munere, curando corpore modeste im...ndunt, vt hominis proprias actiones integrius ob...queant: non vt animum corporis voluptatibus ...uire cogant, tanquam aliam superesse vitam mi...ne credant, atque idcirco solum curando corpori ...ent, quibus Galenus in libris sex de Tuenda sani...e satis faciet, qui tam longa serie & exquisite ar...n præscribit, vt ne inter principes quidem liberri...s & potentes & otiosos, vix puto aliquem repe... qui omnia sua, alioqui sanissima præcepta obser.... Quæ scribimus, omni fere ætati conducent, pu...ria & senectute vltima exceptis. quisque quod sibi ...portunum est, & commodum accipiat quantum ...est. Ad ordinem igitur propositum redeamus.

Non soli nobis nos nasci.

Quibus scribatur hic liber.

De exercitio seu Labore.

QVoniam magna pars conseruationis sanitatis in ...oportuna corporis exercitatione consistit, vt A...enna, & ante ipsum Hippocrates & Galenus ait, ...eruanda in primis exercitatio est. Laudatur au... cum ob alias causas, tum vel maxime quod op...tune facta, prohibet ne repletionis materia con...getur, & corpori leuitatem præbet: quin etiam ...tum calorem & seruat & mirifice excitat, totius... corporis vires instaurat, & omnes virtutes robo... etenim tenuem calorem amplificat, & superflui...s quæ paulatim congeruntur, quaque die dissol... & ad loca vnde egredi solent, adducit: tum ...mbra ad suscipiendum alimentum aptiora red... propterea quod excrementitias materias ab eis

Exercitij commoda.

expellit: ad hęc meatus aperit, in quibus facile re
ceptus sanguis ab altrice anima, virtutibus naturali
bus bene ministrantibus quæ huic officio delegat
sunt, in substantiam membri vertitur: quæ nutri
tio assidua, vitæ perquam necessaria est. Huius c
nim virtutis cessationem, confestim mors sequitu
Accedit & illud exercitationis commodum, quo
cum superfluos humores prohibeat, a pharmacoru
vsu excusat. Danda enim impensa opera est, vt Plat
in Timæo inquit, (quæ prius fuit Hippocratis sente
tia) ne pharmacis dum fieri aliter potest, corp
commoueamus: quoniam & si purgant, tamen i
ueterant: quæ etiamsi venenosa non sint, qualia ce
te plurima sunt, attamen ea sumere perquam labo
osum est: tum quod naturæ contrarium eorum o
cium est, quia humores a membris detrahunt, qu
naturæ vires ad ea ipsa pro alimento attrahunt: tu
quia præter malos humores quos educunt, bonos
tiam, necnon spiritus quibus vita consistit, bona
parte extrahunt. Non ab re itaque sapientes n
stri multa de exercitio conscripsere ad vitandos m
bos, qui ex paulatim facta repletione contingunt
Quippe cum post nutrimenti distributionem, m
teriæ quædam supersint, quas haud complete nat
ra euacuat, subindeque adauctæ, ni educantur, co
mittunt morbos: tum ad euitanda pharmaca, q
bus vel sanetur corpus, aut priusquam morbi ve
ant, præseruetur, per exercitationē sicut generant
ita quotidie expellantur opus est: rati si reliqua q
paulo post narranda sunt, recte obseruata fueri
bonam posse valetudinem in hac præsertim ætat
quæ consistens dicitur, imo vero & antecedente
consequente eam ætatem, paucis mutatis vel ad
tis, belle seruari. Senectutis regimen pręcipu
hic non tractamus, quod præter Galenum, cum
aliis in vniuersum describitur, tum præsertim p
prio libello tractauit egregius senex medicus An

Pharmacorum nocumenta.

V. de Tuenda sanitate.

lus Fumanellus Veronensis. Dabis igitur pie lector
peram (in Dei gloriam & proximi commodum)
t floridissimos consistentiæ annos incolumes cum
ua prudentia, tum etiam nostro consilio transigas:
ęc namque ætas flos vitæ dicitur. Transiges autem,
quæ a maioribus nostris præcepta, & hoc compen-
io per me notata sunt, diligenter obserues, quorũ
otissimum exercitatio est. Quare recte Galenus, o-
nes amicos suos qui diligentem exercitii curam
abuere, semper sanos fuisse testatur. Sed quoniam
on quoduis nec qualibet hora opportunum & lau-
abile exercitium est, de tempore quo peragendum
t, deque illius generibus tractare iustum est. Tunc
ora, vt inquit Auic. corpus exercendi peropportuna
t, quando in eo ipso corpore quod exercendum est
raui humores non existunt, quos exercitium per a-
tationem, & calefactionem per corpus dispergat,
ut ad membrum aliquod princeps aut principi mi-
istrans, aut aliam corporis partem declinare, vel
tendere & putrescere faciat. Ad hæc alui & ve-
cæ excrementa priusquam te exerceas, deposuis-
, & cibum ante assumptum concoctum in ventri-
ulo esse, operæprecium est. Nam & Hippocrates
ræter rationem ipsam præcipit vt labores cibos prę-
dant. Quamobrem post cibum cauendam exerci-
tionem puto quoniam & accidentia animi fortia,
motus corporei fortes concoctionem impediunt,
utredinisq; causa sunt: quamuis leuem ambulatio-
em, vt cibus ad imam ventriculi partẽ accedat, (vbi
elior fit cibi concoctio) profuturã arbitror. Postea-
uã vero cibus e ventriculo egressus est, nec tamen
rtior adest fames, tunc cõpetens hora exercitii est,
tate quidem in exortu solis, ne duplici calore affi-
tur corpus: primo autem vere & autumno duabus
st solem exortum elapsis horis, vt frigus matuti-
um vitetur. Vt enim meridianus calor noxius est,

Exercitij tempus.

6. Epid. Par. 4. Aph. 28. & Gal. 5. De tuenda sanit.

ita matutinum frigus,autumno præſertim & hieme, fugiendum eſt. quanquam & domi ſimulatque de lecto ſurrexiſti,exercere te valeas. Hieme vero, tepefacto aëre in domo,aut in operto quouis loco & circa meridiem,exerceri Auicenna præcipit,ne commoda exercitii tollat frigus,aut impediat: nihil enim virtuti regitiuæ totius, frigore infenſius eſt: præſertim cum maius quoddam excalfacto corpori repente accidit. Cum vero plura ſint exercitii genera,ea potiſſimum quę cognouero eſſe præſtantiora, & magis his quibus ſcribo opportuna,commemorabo. Primum itaque deambulatio occurrit, quæ frequentius præſto,tum leuis & fortis exercitatio eſſe poteſt. Naſi leuis motio & plana ſit, debile exercitium eſt,quo feruidis menſibus &prima autumni parte vtaris,quoniam per hæc tempora calor aëris & ſiccitas præualet: non igitur (præcipue bilioſo homini) motione forti magis inflammandum, & exſiccandum eſt corpus: & profecto nullum eſt tempus quo minus æſtiuo exercendum ſit corpus: quamobrem quiete potius (in regione calida)quam forti exercitio eſt opus: quoniam nihil eſt quod innatum calorem adeo incendat ſicut labor & motus. iterata vero perdiu & abſque interpoſita mora fortiuſculi exercitandum eſt, quod verno tempore agendum eſt, quia vernum exercitium iure optimo maius quã æſtiuum eſſe debet. Vnde longiorem ambulationem, ſuauem tamen,per opportunam hoc tempore arbitramur: longiorem quidem, vt ſuperfluitates quæ per id tempus antecedente hieme congeſtæ ſunt facile reſoluat: Leuiorem autem,ne calefaciat & nimia agitatione homines feruere (præſertim calidioris temperaturæ) faciat: id namque leuioris & lõgioris exercitationis genus calidis & humidis corporibus plurimum conuenit. Fortis autem ambulatio & maxime per ardua atque inęqualia, vt per ſcala-

Anni partium exercitium.

Deambulatio.

Æſtas.

Ver.

[sc]alas aſcendendo & deſcendendo iteratis vicibus, [it]a vt anhelitus magnitudo & frequentia adſit, ve[ru]m & laudabile exercitium eſt, quo per frigida & [h]umida tempora exerceare liberius. Eſt alterum [e]xercitationis genus, de quo ſcripſit Galenus, ſed [gr]auibus & occupatioribus viris, capitique læſo in[o]pportunum, qui ludus paruæ ſphæræ ſeu pilæ dici[tu]r. in hoc enim ludi genere omnia corporis mem[b]ra & ſingulæ partes æqualiter mouentur: ſed ca[p]iti obeſſe ſolet, quoniam deprimi frequenter eue[ni]t: idcirco dum luditur, ſtare, & caput erectum te[n]ere oportet: id quod inſtrumento quodam quod [e]x reti & ligno in circulum ducto fit, quo pila luden[d]o excipitur, fere conſequeris. Accedit ſuauiſſimæ [e]xercitationis genus, quo opportune ruſticando vti [p]oteris. Equitatio namque laudatiſſimum exerci[ti]um eſt, capiti & ventriculo ac inteſtinis maiorem [i]n modum conferens, quod priſcis & poſterioribus [p]ergratum ſalubreque extitit. Laudo autem exerci[ti]um, quod ab Auicenna ad trahendas materias a ca[pi]te ad inferiora, traditum eſt: fit autem in hunc [m]odum. Ligato ligno in fune trabi infixo, appenſis [m]anibus, ita vt a terra leuatus ſis, pedes mouendos [ex]erceas. Veruntamen optime purgatum ſit cor[p]us neceſſe eſt, ne forte ſuperfluis humoribus ad i[ll]as partes detractis, abſceſſus contingat: Luctam [v]ero, ac Palæſtram, & ſaltationes, quæ inter fortia [e]xercitii genera numerantur, vtpote publico aut ſtu[di]oſo viro minime congrua, non pertractabo. hic [ta]ntum obiter hoc non præteribo, eos exercitatione [v]ti debere vehementiore, ac contentiore deambu[la]tione, qui valentioris alimenti cibum ſumpſerint, [n]empe venatu, palæſtra, curſu, diſco, pila parua: & [ſu]mmatim quodcumque exercitationis genus his [co]nuenit, quod reſpirationem vehementiorem [co]ncitare poſſit, ac calorem augere, tenui quodam

Deambulatio fortis.

Paruæ pilæ ludus.

Equitatio.

Exercitiũ pro capite.

Lucta.

Exercitiũ fortius quibus conueniat.

ſudore humectam cutim perfundere. Etenim exercitatio acuta corpus tenuat: contraria craſſius reddit, multa corpus ſiccat, mediocris obeſum præſtat. Iis autem qui tenui victus ratione vtuntur, ſatis erit etiam breuior deambulatio. Sunt vero alii qui impenſe calido temperamento ſunt, & qui exercitari prorſus non debeant: ſed abunde his ſatisfaciant inambulatio, balneum, & mollis ex oleo frictio, graciliores namque tales ſunt, & bilioſi admodum. Illud perpetuo obſeruandum, vt tantiſper ſe quis exerceat, dum nondum laſſitudinem exercitatione contrahat, quam ſi ſuboriri perſentiſcat, deſiſtere conuenit: ita enim corpus cum ſuis partibus exercendum eſt, ne excrementitiæ materiæ, quæ augeri per otium ſolent, congregentur: quum vero ſudor apparet, laborque (vt dixi) non leuis in motu percipitur, ceſſandum ab exercitio, ſudorque abſtergendum eſt: tum paulo poſt quietem, reficiendum eſt corpus: ipſis namque exercitationibus, ſicuti & cibo & potui aliiſque rebus menſura congrua adhibenda eſt, quæ rem ipſam neque vltra quam par ſit, protrahat: neque etiam de illa adimat: quia exceſſus diſſoluunt vires: defectus vero tantum de vtilitate adimunt quantum ipſi a recta menſura deficiunt. facultates enim noſtræ robur ſibi comparant, ſi moderatis congruentibuſque exercitiis foueantur. Sed leuia exercitationis genera, quę vix nomen exercitii merentur, tum quæ partibus corporis opportuna ſunt, quam breuiſſime perſtringamus: quorum primum iam antea explicatum eſt, ſuauis inquam deambulatio: cui fricationes accedunt, quæ conualeſcentium & ægrotantium interdum exercitia ſunt: non enim ſanis ſufficiunt, vt Plato in Timæo elegantiſſime, quem Galen. ſecutus eſt, docuit, eas vero profuturas cum in diuertendis a capite vaporibus ad extremas partes, tum in aperiendis meatibus vt facile diſſlentur ma-

Quinam exerceri non debeant.

Exercitij terminus.

Quid post exercitiū fiendum.

Congruam in omnibus menſurā requiri.

Leuia partium exercitia.

Fricatio.

teri-

riç subtiliores, credimus. Quinimo veteres ante
& post quodlibet exercitationis genus adhibere fri-
ctiones & vnctiones consueuerunt: ante quidem,
vt apertis perfricationem meatib⁹, facilius exire pos-
sint materię: post vero, vt quæ egressa materia est,
abstergatur a cute, & quæ in carne retenta est, dissol-
uatur: quę mihi res summopere cōferre videtur. Itaq.
te hortor vt priusquam e lecto surgas, pectus, dorsum
& ventrem leuiter, fortius autem brachia & tibias
manibus aut linteo calidis fricari facias: aut tu ipse
tuas potes partes fricando te exerceas. Nam ea fri-
ctio concoquit etiam crudum succum, simulq corpo-
ream molem animatis nutrit. quin etiam si contige-
rit sudor post exercitium, abstergi cum leuiori frica-
tione facias. Dura porro frictione ligari corpus,
molli solui, multa extenuari, mediocri crassescere, au
tor est Hipp. Iuuerit etiam quando itur dormitū, si
forte capitis grauedo adsit, tibias & manus fricare at-
que comprimere. ita enim vapores qui superiora pe-
tunt ad inferiora deriuantur. Vespertina insuper to-
tius corporis frictio iis vtilis est, quos vel lassitudo va
lida premit, vel siccitas male habet, vel atrophia ma-
cerat: cui tamen olei perfusio temperati, seu inun-
ctio, subsequi debet: nisi vngendi antiquorum mos
exoleuisset cum multis aliis rebus. Oleum siquidem
non solum post, sed ante frictionem etiam in
apotherapeutice seu recuratrice frictione post exer-
citationem ac lassitudinem adhibebant, quod ad ve-
locitatē frictionis conducit, remittit tensa, simulque
mulcet ac mollit mēbra defatigata. Leuissimū item
exercitationis genus & aptissimū est, vehi nauicula.
Sed motiones quę partes quasdā exercent, pręter fri-
cationes, particulatim percenseamus. Arcū manibus
cōtrahere, lapides aut quæuis grauia sedēdo aut stādo
iacere, brachiorum & vicinarū partium exercitiū est,
quanquam in hoc totū etiam corpus exerceri posse

Frictio in vesperi quibus cōferat.

Olei vsus in frictione

Varia partium exercitia.

videtur. Vocem autem humilem primo, deinde altam legendo mittere, linguę, gutturis, pectoris, ac pulmonis exercitatio est: quę etiam ventriculo conferre solet. Capitis vero exercitium præcipua cura obseruandum est, quoniam cerebrum inter ceteras corporis partes frigidissimum est: seruandus igitur omni industria est suus calor innatus, & ne multitudine superflui obtundatur, diligentiore opera vigilandum. Itaque velim quotidie dum e lecto surgis, depositis alui & vesicę excrementis, fricationibus adhibitis (vt monui) petiis lineis mundis, siccis, parum calidis, ab anteriori parte versus posteriorem caput fricando exerceas, sintque primæ fricationes leues, quibus fortiusculæ succedant, tum pectine anteriore præsertim & superiore capitis parte retrorsum trahēdo, & rursus petiis (seu linteolis) caput mundando vtendum est: quę si puluere ligni aloës vel caryophyllorum & rosarum siccarum suffiãtur, cerebro ac sensibus longe magis conferent. Equidem præsentaneum auxilium ex fricatione & pectinis vsu percipies: Naturalis enim calor excitatur, meatus aperiuntur, quibus obstructis materiæ retinentur & cerebrum patitur: adapertis vero difflantur materiæ & vapores, cerebrumque syncerum & validum redditur.

Capitis cura habēda.

Inualuit opinio apud multos præsertim vulgares homines, caput non esse abluendum, habentque vulgatum sed minori ex parte verum carmen, *Sape manus, raroque pedes, caput vero numquam*: quibus breuiter dico, ea præcipue capita lauari debere quę cerebrum habent humidum: vel eorum qui comam nutriunt, in quibus superfluitatum interiorum expulsio retinetur ob capitis & capillorum immunditiam, quę non parum nocet, cum vaporum ac fumorum, poros obstruendo, egressiones resolutionesq. impediat: quę sordicies per conuenientem capitis ablutionem remouetur, ob ea incommoda dicebat Auicenna non

Capitis lotio.

a non conueniens esse capillos aut barbam prolon-
ari permittere, quod sordiciem terrestrem crassam
bstruentemque circa radices retineant, nisi bene a
rdicie mundentur. His igitur pręcipue ac etiam il-
s qui lauari consueuerint, bene calida vt lauentur
uenzoar præcipit: rosarum vero siccarum pugillus
ligni aloës nec non florum chamęmeli, aut betoni-
e in frigidioribus si tantillum ea in aqua vel lixiuio
ebili infusum fuerit, certe præstiterit, (qui caput
ebile aut frigidum humidumque ac memoriam
de læsam restaurare voluerit, optima & facilia re-
edia reperiet in opusculo meo De memoria repa-
nda edito.) statim vero atque lotum est caput, li-
eis linteolis mundis ac siccis tum calefactis diligen-
cura siccandum, beneque muniendum est ne ven-
aut frigore lædatur. Ego tamen non lauare, hie-
e potissimum aut sæpe satius duxerim, iis præser-
m qui absque capillis vt plurimum degunt, frequē-
tamen vsu fricationes iam dictæ, & pectinis mini-
ratio habendæ sunt: quoniam præter iuuamenta
uæ diximus, maximum etiam visui præsidium af-
runt. Visus autem peculiare, exercitium est res
minutas & luminosas non sine mensura aspicere:
uanquam in canticis Auicenna exiles figuras &
onfusas, tum subtiles & minutas literas inspicien-
as non esse existimet. Auditus vero exercitium est
nos lenes, interdum etiam magnos audire. Sed a
rtioribus obiectis vt in hoc sensu, ita in aliis ca-
endum est. Quoniam vt Aristot. ait, excellens sen-
bile corrumpit sensum.

Can. 3. Fen. 3. cap. de ophthalmia.

Visus exercitium.

Auditus.

EXercitii vices supplet aliquando balneum, vel aë-
reum, vel aqueum in aqua dulci: nam de mine-
libus aquis quæ thermæ dicuntur, nihil dico, cum
d curationem morborum potius spectent, aëreo
tantur ieiuni qui crassiores sunt, & concoctis super-
is humoribus, aut excrementis abundant, aqueum

Balneum.

vero gracilioribus magis conueniet, cuius vsus varius est pro intensiori aut remissiori caliditatis gradu: de quo Galenus sic inquit, Dulcium calefactarum aquarum si temperata sint, vis calida & humida est: Si tepidiores sint, humida & frigida. Quod si iusto calidiores reddantur, calida quidem, sed non perinde humida. Quippe horrere corpora, contrahique exiles eorum meatus cogunt, ita vt neque madescere ab extrinsecus accedente humore possint, nec excrementi quod intus latet, quicquam emittere. ac paulo post. Balneum si probe adhibeas, ipsum quoque apotherapiæ pars fit. Nam duras tensasque partes emollit, excrementum, liquamentumque, si quod intus ad cutem hæret, euocat. Qui corpore constant carnosiore, aut collectorum humorum multum circumferunt, noxam potius contraxerint intempestiuo harum vsu. Quibus tamen ipsis si euacuentur prius, iam impertiri hac iuuamentum suum queant, vtpote quæ meatus irrigent, atque expediant, satisque per halitum digerant. Sed quemadmodum in aliis rebus moderatus vsus immoderato anteferendus videtur: ita se quoque habet balneorum ratio, quippe haud quaquam præpropere iis vti oportet: potissimum si quis continua cruditate qui lauatur humores coaceruauerit, aut paulo ante cibis se expleuerit. Siquidem cibi nondum concocti, humoresque crudi accumulati, caloris ad cutem impetu, vnà & ipsi properant: quo fit, vt inde in posterum, quod crassiores facile simul egredi nequeant obstructiones succedant. Ad hæc vehementioribus frigoribus, & anni tempore æstiuo, æque sunt fugienda, nam hieme dissoluti qui antea quiescebant humores, dum inter digerendum a contrario anni temporis impetu, in incautos vehementius irruit inuaditque frigus, in necessariam aliquam partem impelluntur ac morbum ibi creantes, grauiter hominem offendunt. Æstate vero media cũ iam ard

3. de Tuen- de sanitat. cap. 3.

Quando noceant balnea.

dor viget. & calor ad externa propẽsius fertur: bal-
ei vsus, reliquum quod est caloris dissipat, ac inter-
as ita facultates debiliores efficit. Quod si locus æ-
isque hominis consenserint, multo iam impensius
unt vitanda. Siquidem conuenientem opportu-
umque balneorum vsum maxime auxiliari est per-
uasum: (Nihil enim æque concoquit, aut malos suc-
os discutit, vt somnus a balneo:) at contra obesse,
rout alieno tempore, cunque minime conuenit, vti
ontigerit. Porro de frigidis lauacris, hoc est sermoni
nnectendum, ea insuetis, ceu plus lædentia quam
iuuantia, esse fugienda: præcipue si occasio magni
stus & fortis iuuentutis ætas non suaserit, sed is qui
ti volet, gracilis & subfrigidus fuerit. namque in
iusmodi, frigus promptius ad profũdiora penetrat,
c succos quodammodo cogit, neruosque ad motio-
nem ineptiores reddit, vt taceam, quod interdum in
ffectus his deteriores, qui temere frigida se abluunt,
ncidant: atque inter cæteras optimum corpus quo-
d augescit, frigida lauandum non est, ne eius incre-
mentum moretur. Vbi vero abunde est auctum,
um frigidæ quoque est assuefaciendum, vt que & il-
ud roboret, & cutem duram atque densam efficiat.
Tempus autem ad id percommodum, est æstatis ini-
tium, vt ante hiemem, toto interposito tempore
consuetudo minime spernenda inducatur, incipiat
autem in die calidissima, & loco æque calido.

Balneum frigidum.

Frigida lotio quibus & quando conueniat.

NVnc de cibo & potu agendum est. Principio illud
obseruasse contulerit, vt simpliciore cibo vesca-
ris. Simplex etenim cibus vtilissimus est, pestifera
autem varia diuersaque ciborum genera. Vnde ve-
teres qui perdiu sani vixerunt, teste Galeno & Aui-
cen. vnis epulis carnes, alteris panem solum come-
debant. Nolim tamen vni cibo te, pręsertim si iunior
sis, assuescere: quoniam Galen. illum Hippoc. Apho-
rismum explicans, Quæ ex longo tempore consueta

Cibus.

2. sect. aph. 5.

ſunt, & ſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent: oportet igitur ad inſueta permutari: ait, non debere nos vni rei addicere, ne ab eo more diſcedentes, labamur in morbos. Et Cornelius Celſus ſanos vti victu populari debere conſulit. Nimiam tamen ciborum varietatem fugere profecto rectius & ſalubrius eſt: quia plurimum laborat ſtomachus ſeu ventriculus dum variæ naturæ cibaria concoquenda occurrunt. Humida vero ſiccis, & frigida calidis, & frigidis calida, tum acribus dulcia miſcere, conceſſum eſt. Cæterum qui cibi in omnis exceſſus mediocritate conſiſtunt, ii omnium cõmendatiſſimi ſunt. Eius generis panes optimi habentur: præterea gallinarum gallinaceorumque carnes nec non phaſianorum, perdicum, attagenarum, columbarum iuuenum, merularum, turdorum, turturumque, & ſimilium paſſerculorum. Piſces item ſaxatiles, pelagici, littorales, gobii, murænæ, percæ, & ſimpliciter omnes, qui neque inſuaue, neque mali odoris, neq. glutinoſum quicquam guſtu repręſentant: de quibus infra particulatim ſcribemus. Dandi tamen cibi pro corporum diuerſitate ſunt: quibus enim ſanguis eſt admodum melancholicus, humidi calidique cibi ſunt dandi: quibus vero bilioſior, frigidi & humidi, verum vbi pituitoſus exiſtit, cibis tunc opus eſt qui calefaciendi ſiccandique vires obtineant. Sanguis porro fit optimus, a modica exercitatione, & cibis tum boni ſucci, tum iuſto tempore modoque aſſumptis: præterea potione tempeſtiua, modiceq. aſſumpta. Nihil autem in cibariis omnibus ad bonâ ſucci generationem tam pertinet, quam ſi probe in ventriculo concoquantur: hæc ſiquidem & ſecundam, quæ in iecore & venis fit; & tertiam, quæ in particulis quæ nutriuntur, perficitur, facilius concoctionem admittunt. Seruandus itaque eſt in ſumendis cibis ordo conueniens, vt ſtiptico & duro lubricus &

Varietas ciborum fugienda.

Cibi qui commendentur.

Cibi vt variandi.

Sanguis vt fiat optimus.

s & humidus anteponatur: tum qui facilioris est ctionis ante eum sumatur qui tarde concoqui so- t: vt oua sorbilia ante carnes, anteque panem & a id genus sumenda sunt. Similiter qui suapte na- ra facile corrumpitur, vt lac, pariter humidiores ctus, de quibus in sequentibus disseruimus. Nam m cibus facilis concoctionis post eum sumitur qui rde concoquitur, ad intestina transire nequit, sed rius sumpto detinetur: quamobrem diutius am par sit concoctus cibus ventriculo immora- r, & corruptioni aptissimus est: quæ res bonæ letudini maximum affert incommodum. Sunt men quædam ciborum genera paruum inter se crimen coctionis habentia, quemadmodum gal- æ & lactentis vituli, tum pulli gallinacei & hœdi, c non vituli maioris natu & iuuenci carnes: & nc nihil impedit, si quæ duriuscula sunt ad con- quendum, ante alia sumantur, quæ paulo leuiora, oxima tamen illis sunt. Hæc (vt arbitror) fuit aleni sententia: nec sine ratione, quoniam graui- es ad concoquendum cibi potentiore vi indigent concoquantur. confessum autem ab omnibus est feriorem ventriculi partem superiore & media in ncoquendi munere potentiorem esse. Itaque fficilioris coctionis cibi ante eos sumendi sunt, qui ntum ab illis distant in facilitate concoquendi, antum potentia imæ partis ventriculi in coquen- a prima distat & media: quod discrimen iudicio riti medici committendum est. Primum igitur enci carnes ante vituli maioris. hœdi lactentis & uli minoris, post vituli maioris carnes comedi: lumbacei vero pulli, nec non gallinæ & capi ante rdices & pullos gallinaceos recte edi possunt. nec nor est eas corrumpi in ventriculo, tum quia non ile corruptibiles sunt, tum quod eadem fere er cibos in facilitate & difficultate coctionis,

Ordo ciborum seruandus.

Quæ cibaria simul sumi queant.

quæ inter ſuperiorem & imam ventriculi partem ad concoquendum proportio eſſe videatur. quapropter eodem tempore coqui poſſunt in ventriculo: quia grauioris concoctionis cibi ad inferiorem potentioremque partem, leuioris ad imbecilliorem missi ſunt. Illud præterea monendum eſt, ne crudiores cibi edantur, ſed omnia diligenti artificio & coctione parentur. Cauendum tamen ne cupediis aut lautioribus condimentis illiciatur ventriculus ad nimium cibum: quippe cibus ſua copia onerans, etiamſi boni fuerit ſucci, cruditatem, alui profluuium & vomitum generare ſolet: Parcior vero quam necessitas exigit, cauſa eſt, cur corpus non alatur, & imbecillum fiat, nec amplius cum priſtina facilitate ſolita obeat munera, quod corpus inane reddatur, neque ſpiritui ſufficiens alimentum ſuppeditet. Quippe vt largior nutritio nocet, ſic abſtinētia omnimoda, nauſeam inducit, ventriculum lędit, reſoluit vires, ac prauum ſuccum accumulat. Et quemadmodum praua victus ratio ſegniores nos, ac mente retusa: eodem ſane modo, quæ accommoda ſit, perſpicaciores adq. intelligendum aptiores facit. Sed in vniuerſum hęc notata ſint. Nunc ſigillatim cibi & potus genera tractanda ſunt ac primo panis occurrit a paſcendo (vt inquit Nonius) dictus. Veſcendū pane triticeo eſt ab extraneis rebus purgato. locoq. ſalubri collecto, qui conuenienti fermento confectus, modicoq. ſale conditus, tum bene agitatus manib. beneque decoctus, nec tamen exuſtus ſit. eodem vero qui factus eſt die, poſteaquam calorem ab igne conquiſitum amiſerit, Auenzoar comedendū pręcipit, quod in ſanitate conſeruanda plurimum poſſe putat: ſupra vero diem vnum comedi vetat, quoniam ſuā temperatā cōplexionem amiſerit & quanto magis induratur, tanto grauioris concoctionis efficitur. Auicenna tamen debere per noctem vnam panē manere antequam

Cruda non edenda.

Non nimis irritandus appetitus.

Partioris cibi incommoda.

Extrema etiam vitanda.

Panis.

…iam edatur, opinatus est: quamdiu vero calidus est, …tandum putat: quoniam a natura (vt Auicenna ait) …ceptibilis nõ est, tũ sitim sua caliditate facit, ac pro…er vaporosam humiditatem natat in ventriculo, …ideque descendit: quinetiam calorem extraneum …mittit ventriculo, eique dominatur & officit. vi…ndus igitur calidus est & qui duos dies æstate, hie…e vero tres attigerit Neque oportet nos in purgan…s seminibus, quæ ad esum comparantur, esse negli…entes: persuasos, etiam si noxam quæ quotidie fit, …exiguitatem sensu non percipimus, quod tamen …ngo tempore ex ipsa aceruatur, (vt in multis re…us aliis fit) tandem erupturum. posteaquam de pa… egimus, quem Homerus medullam hominum vo…tat, ac sacræ literæ cor hominis confirmare dicunt: …unc de vino, quod ab eodem robur hominum dici…r, ab hisdem vero cor lætificare, agendum est.

Semina ante molitionẽ purganda.

Vinum.

¶ Quidem in vino sita vis maxima est, variosque & …magnos effectus e vini potu nascentes, cum ab A…stot. & Galeno, tum a posterioribus medicis anno…tos cernimus: inter quos pręcipuus cum breuitate …postremo fuit clarissimus ac diligentissimus And…atthiolus Senensis medicus: cuius nulla verba re…ro, ne commentarium ex commentariis frustra fa…am, meque alienis plumis ornem, præsertim cum …us libri omnibus & vbique fere sit expositi. Nam …t succincte rem expediam) Vinum quod bonum …t si moderate sumitur, copiosum & substantiæ me…ocris, tum vehementis luminis & splendoris gene…t spiritum: ideoque & confortat ipsum, & ani…um recreat: quapropter non immerito maximam …tificandi & conseruandi vim obtinet Immoderate …ro sumptum, (vt hoc tempore a plurimis vbiq. fit) …axime noxium & plurium morborum causa est: …enim cerebrum sensusq. omnes & neruos aperte

Com. Diosc. lib. 5. cap. 7.

Moderati vini vtilitas.

Immoderati nocumenta.

lędit, totumque corpus nimia humectatione confi-
cit. idcirco & temperate bibendum, & e meliori ge-
nere ac loco diligendum est: quod vt assequaris, nō-
nulla vini genera (neque enim omnia possum, ne-
ratio compendii patitur,) quæ meliora habentur &
sunt, perstringamus. Vinum præ cæteris eligendum
illud est quod nec vetus nimium, nec recens admo-
dum, sed inter nouum & vetus medium est, tum be-
ne purgatum & clarum, quodque ad colorem ver-
gat rubeum, seu ad citrium, tum bono sapore, ne-
non suaui odore præditum sit: tali inquam sapore
præditum sit qualem gustus nec acrem valde ne-
dulcem percipiat. res namque acres & ponticæ, pari-
ter & dulces, obstruunt facile: illæ quoniam consti-
pant, hæ vero quia inconcoctę, & præcipue vinum, ad
membra & venas transeunt. Vt putarit Auerrois (li-
cet in re medica non multæ sit autoritatis) statim
atque bibitum est vinum ab hepate inconcoctum
trahi. Vinum pręterea album subtile, æstiuo præser-
tim tempore, cum medicinæ proceribus laudo, ho-
namque est quod Galenus medicorum princeps ve-
rusque & legalis experimentator (vt etiam Auerro-
es ait) in multis Italię locis se inuenisse testatur: in
quo nec asperitas, nec ponticitas, nec stipticitas, ne-
amaritudo, nec dulcedo inuenitur: nec ab eo flatu-
generatur, solumque hoc vinum absque nocumen-
tis inuenitur, quæ cętera vini genera & aquę potum
sequi assolent. quamobrem vinum hoc ætati valida
vel consistenti, & temperaturę calidę æstiuo pręser-
tim tempore, cum propter alia, tum etiam quod ca-
pitis dolorem non efficit, sed potius eum tollit qui
ex stomachi ardore prouenit, conueniet. huic ger-
manum est vinum quod a priscis ablutum dicitur, &
in Italia pręsertim, in Gallia Cisalpina seu Lombar-
dia, Vinum Auicennę vulgo nominatur. Fit autem
fere in hunc modum: tres musti partes, aquę vna, si-

Vini electio.

Vini albi vsus.

5. Reg. 10.

Vinum ablutum, seu Auicennæ.

mu-

...al coquuntur donec quarta pars minuitur: alii vuis ...icatis aquam proportionatam iuxta vini potentiā ...dunt, ac post aliquot dies in vasa reponunt. Frigi...ore vero anni tempore, aut temperatura vel ætate ...bilioribus, rubeum vel citrinum, ni aliud vetet, eli...ndum est. Quod si fumosum valde extiterit, com...xtione aquę temperandum est, ne caput aggrauet ...itim pariat: nec tamen dilutius admodum sit, quo...m ventriculum debilitat, & ventositates in eo ...nerat; mediocriter vero dilutum, quod tempera...n appellatur, Galenus laudat: quoniam humores ...nperat, calorem naturalem excitat, & sine læsione ...mbra penetrat; profecto vnumquodque ex his ...i generibus præsertim homini consueto, conferre ...et: Nam virtutem roborat, tum vtramq. bilem, ...nā sciendo, expellit, & humiditates, maturat, sub ...leq. materias a superioribus ad inferiora inclinat. ...de caput alleuiat, nisi debile admodū sit Cęterum ...psorum vinorum exhibitione, non minus regio...m temporum, exercitiorumq., quam affectuum ...temperaturarum hominum, ratio est habenda, si...t moderata conseruemus similibus, immoderata ...rigamus contrariis. Temperaturis igitur (vt nu...r innui) frigidioribus & siccis, rutilum dulceq. vi...m, vtpote calidum, accommodatum est. Contra...m vero, temperamentis atque dispositionibus ca...is: Vitāda insuper quæ nimis vetusta sunt, nimisve ...entia. Nam illa præter modum, hæc nullatenus, ...amdiu recentia fuerint, calefaciunt: quæ tantum ...est vt aliquem vsum cibis concoquendis afferant, ...etiam ipsamet conficiantur ægerrime. Superua...ueum autem esse puto monere, ne vinum ieiunus ...is bibat, quia modestis viris scribo, nō ebriosis. plu...a etenim impedimenta & pituitosos morbos hu...cemodi potus adferre solet: inter quos maxime ...endus est qui apoplexia dicitur. Post epulas item

Vini temperandi modus.

Vinum vt variandū.

Vina quæ vitanda.

Ieiuno stomacho nō bibēdum.

A cibo nō bibendū.

plurimum bibere noxium est, propterea quod ci-
bum inconcoctũ penetrare faciat. Numquam enim
quando in ventriculo concoquitur cibus, licet mul-
tum bibere. Posteaquam vero e ventriculo egressus
& bene concoctus est, ad abluendum ventriculum,
& penetrare cibum in venas faciendum, largiorem
potum Auicenna concedit; ante vero, abstinendum
esse, nisi forte maxima vexet sitis, præcipit. Ad ex-
tinctionem vero sitis si fortior sit, parum bibere, vel
æstate frigida potius os frigido colluere, satis fuerit.
Granata item medii saporis præsto fuerint, quæ eti-
posũt quãdo ex vini potu mordicatio accidit. Super
cibum præterea ex quo prauus humor gignitur, qua-
le est fungorum genus, bibere Auicenna prohibet:
similiter super tales fructus quales sunt melones,
chrysomela, & id genus alia; quoniam vinum hu-
iuscemodi fructus ad venas transire facit, vnde ho-
modo miscentur sanguini, & corruptionis; eius cau-
sa sunt. Huius tamen contrarium nostræ ætatis ho-
mines faciunt, qui vinum & quidem optimum (re-
medium, vt ipsi aiunt, fructum) cum hisce fructi-
bus libenter hauriunt, & aliquando medicos socios
& applausores habent. Satius autem foret si ventri-
culo subuenire velis, ne ex frigiditate & humiditate
illorum fructuum lædatur, id fiat sumendo anisum,
aut cinnamomum, aut gingyber, aut mel, vel alia id
genus. Accessorii loco, vel veluti parergon narra-
tioni de vino addam hæc paucula. Contingit ali-
quando (vt iam in summo est rerum multarum im-
postura) vinum melle misceri, vt suauius ac dulce ap-
pareat; si igitur ita adulteratum sit, illico dignosci-
tur, super candens ferrum conspersis guttulis paucis;
resoluto enim vino, vtpote tenuiori, mel residet,
quod sit substantiæ crassioris. Si suspicio est ne vi-
num aqua dilutum sit, pirum in vino impositum
indica-

Sitis quomodo extinguatur.

Super quos fructus non bibẽdum.

Vinũ mellitum, aut dilatum, nouere.

icabit; nam si supernatauerit, merum est vinum; undum petat, mixtum aqua est, possem alia hufarinæ adducere, nisi hæc nunc satis fore credem. Sed de hora comedendi iam dictorum ac similium fructuum genus, in sequentibus differes, quando de bene nutrientibus cibis egerimus. mque post panem & vinum duo maxima ac præna vitæ præsidia, carnes accedunt. Etenim (vt icennæ verbis vtar) Caro est cibus confortans pus, & magis propinquæ conuersionis in sanguim, præsertim si de laudabili quadrupedum volucrum fit. Eligunt pro sanitate tuenda santes nostri ex quadrupedibus carnes, hœdorum vitulorum lactentium; quæ eo præstabiliores t, quo & lacte optimo & bonis pascuis nutriti t. Animalium enim quæ sanam complexionem ta sunt, carnes iuniorum grandioribus natu mees habentur; vt in hœdis, vitulo, & similibus; tra in humidam temperaturam habentibus, mies natu fugiendæ sunt. Vnde Auicenna dicit, as annum decet attigisse. Maximam autem in vim habet regio, vnde in Orientali & Meridio plaga, agninas & ouinas carnes edere concessit cenna, quas ego in regione nostra humidiore, & umidis corporibus non satis probo. Rarius ita & æstate potius & Autumno, quo tempore sics viget, agninis carnibus vescendum est. Quod eme & primo vere interdum eis vesci contit, assatas potius quam elixatas edere, certe prærit. Non vetarim tauri iuuenis bene nutriti eque exercitati carnes hiemali tempore ac veredere. Tunc enim ventres calidissimi sunt na, & somni longissimi, vt ait Hippocrates, quare m grauiorem, ad concoquendum melius fe; æstate vero & autumno leuioris coctionis cibii

Carnis vis.

Carnium electio.

Tempor. distinctio in esu carnis.

edendi sunt: quoniam præ calore aëris imbecilli[...]
est calor innatus. Crassiores vero & ficciores ac du[...]
Vaccina. riores carnes, quales vaccinæ sunt, & aliæ id genu[...]
reprobo: quoniam præter alia incommoda, quę pro[...]
pter duritiem & concoquendi difficultatem faciun[...]
illud maximum est, quod mentem e suo statu dim[...]
uent. Domestici vero porci carnes, plurimum qu[...]
Porcinæ. dem alimenti afferre gustumq. oblectare nouimu[...]
sed humidæ nimis (præsertim si iuniores) & ad co[...]
quendum graues sunt; quamobrem iis qui labori[...]
sas exercent artes, fortemque habentibus ventric[...]
lum, relinquendæ sunt: mediæ tamen ætatis vt a se[...]
mensibus ad annum, semota pinguedine multa, h[...]
qui restauratione multa indigent, nec imbecilli sun[...]
ventriculo, summopere laudarem: cum nullæ ca[...]
nes (Galeno etiam teste) nutriant melius ac magi[...]
Galen. de Ench. & Cacoch. Syluestres autem porci laudantur, quoniam exerc[...]
tatione & pabulo ficciore minus humidi ac fere[...]
temperati redduntur. Leporis veró carnes hiem[...]
Lepus. potius & primo vere, suam ob siccitatem, raro tam[...]
edendæ sunt: quoniam melancholicum humore[...]
generant. Cerebrum tamen cerebro præsertim n[...]
mis humido, & corpori quod mollitie laborat, pl[...]
rimum conferre solet. Pennatorum vero gene[...]
Aues & Altilia. cum plura se nobis offerant, nos gallinas & cap[...]
hieme ac primo vere, pullos autem gallinaceos æst[...]
te & autumno edendos censemus, quia humores b[...]
nos generant & malos temperant: quo tempore c[...]
turnices, quin etiam gallos syluestres qui Phasia[...]
vocantur, & Perdices iuuenes edere optimum e[...]
Phasiani. Perdices. quoniam concoctionis, optimi nutrimenti, & pa[...]
carum superfluitatum sunt: tum etiam quia ventr[...]
culo conferunt, & os eius astringunt. iuuenes dix[...]
quoniam temperatiores sunt, quemadmodum & [...]
lia multa laudabilium auium genera: nam frigidæ [...]
Coturnix. siccæ temperaturæ dicuntur. Auicenna Coturnic[...]
no[...]

n edendas putat, quod ex earum comestione
eatur spasmus & tetanus, non solum quia elle-
rum comedant, & eo nutriantur, sed etiam
oniam in earum carne hæc sita vis est. Sed vtinam
e illas haberem: neque enim eos morbos timerē
urrere. Sciendum vero antiquorum Coturni-
esse, qualeas nostras, nostræ autem Coturnices
t nemorum aues rostro ac pedibus rubeis. Cæte-
n harum differentiam & historiam abunde descri-
A. Al. Mundella Epistola 6. Passeres quoniam cali- *Passeres.*
nimium & sicci sunt, spreuisse, ac senibus vxores
enculas habentibus reliquisse, contulerit. Turdos
unda autumni parte hyemeque concedimus, ni- *Turdi.*
am tamen eorum pinguedinem vitandam ac ga-
onibus relinquendam ducimus. Vituperabiles
em sunt quas Latini a sono vocis Querquerulas,
gares autem Qualeas vocant: quoniam pauci ex- *Qualea.*
itii sunt, tum calidiores & pinguiores turdis sunt:
æ tamen Italis præsertim Mediolanensibus quo
guiores sunt magis arrident. Columbi autem do- *Columbi-*
stici ad cōcoquendum grauiusculi sunt, præcipue *ni pulli.*
li qui nondum volare incipiunt, quoniam super-
um humorem obtinent. Volantes autem pulli
lioris humoris & leuioris concoctionis habentur.
nt autem syluestres, quia exercitatiores, domesti-
leuiores. Auicenna tempore æstiuo, propter hu-
ditatem (vt puto) eos edendos putat: alibi succū
rbæ vuę quæ agresta dicitur, & coriandrum, ad re-
uendum eorum calorem, adhibet. contra ego
ius autumno qui frigidus & siccus est, tum hie-
, ac primo vere borealibusque temporibus, eden-
arbitror: quorum etiam humor, assatione, qua- *Turtures.*
n ex parte tollitur. Turtures autē meliores sunt,
niam minorem humiditatem sortitæ sunt: quin-
putant multi siccæ complexionis eas esse: nec *Auerr. 5. Coll.*
o nimium calidæ sunt, mirabilemque proprieta-

tem confortandi cerebri & ingenii acuendi haben-
quamobrem secunda autumni parte hiemeq. tu-
edi possunt. Magnarum vero & aquaticarum auiu-
carnes vitandas ducimus, quoniam prauos & atr-
humores generant. Anatis autem siue terrenæ si-
aquatilis carnes, plurimi alimenti sunt, sed grauio-
concoctionis. Quamobrem athletis & laborio-
artes agentibus, non delicatis & imbecillis corpo-
bus, dandæ sunt: quamuis earum hepata non respu-
mus, quoniam bona & suauia sunt, bonumque su-
cum generent; quemadmodum & pinguium gal-
narum & pullorum hepata ab omnibus laudantu-
quod multi & boni sint nutrimenti, paucasque
corpore superfluitates relinquant. Testiculi ve-
præsertim gallorum, omnibus corporis partibus m-
liores esse dicuntur. Caro item alarum optimi est
limenti, quoniam exercitatior & concoctibilior e-
pauciores, ob frequentem motionem, superflui-
tes obtinens. Caro item circa ossa existens, suauior
concoctibilior est: similiter quæ in dextra parte. L-
xa autem caro, vt mammillæ & radicis linguæ, gust-
quidem grata, sed tarde concoquitur: concoctæ v-
ro alimentum interdum quidem phlegmaticũ, sec-
dum plurimum vero bonum est. Medullas & ce-
bella ventriculo infensas esse Auicenna monu-
quamquam cerebro humano conferre gallinæ ce-
brum, & fluxui sanguinis narium, quod ex vela-
nibus cerebri accidit, assatum præsertim conferre
nonnulli putant. Pinguis item caro in flauam
lem & vapores malos facile vertitur. Vnde pingu-
do & adeps pauci & mali nutrimenti materia su-
cibumque in ventre subleuant. Recte igitur Auice-
na, pauculam aliis carnibus miscendam concedit,
cundum mensuram quæ delectet. Probantur po-
vnumquodque etiam a genere carnis: quanto na-
que animalium caro ab albedine degenerat, ta-
min-

Aquaticæ aues. *Anates.* *Hepata.* *Testiculi.* *Alæ.* *Caro circa ossa.* *Partium carnis electio.* *Medullæ Cerebella.* *Pinguis.* *Carnis genera.*

ninus boni succi est: Communi vero omnium ra-
one, ex his quæ speciei eiusdem sunt, quæ tenera
dhuc ætate sunt, alimentum præbent humidius: æ-
ate autem consistentia, calidius sicciusque, vtriusq.
eteriora, quæ iam consenuëre, quod humorem ad-
ugeant atrabilarium & excrementitium: idque
uo maiore corporis mole constiterint, fuerintque
xercitatiora. Agrestia quoque domesticis calidiora
ccioraque sunt. Quæ tamen si congruo omnia vsu
xhibeantur, pro conuenienti nimirũ temperamen-
i ratione, nihil incommodare existimentur. Sali-
æ vero quamuis ante acceptum salem fuerint hu-
nidæ, vim tamen exiccandi & calefaciendi vehemẽ-
em adeptæ sunt, paruique alimenti euaserunt: ac in
niuersum salsamentum omne putrescentem corru-
tumque sanguinem ac melancholicum generat, &
ocet hepati. Quamobrem rarius humidioreque
empore, hiemali scilicet, edendæ sunt, illud præter-
a Auicennæ notare non piget, nigri animalis car-
es, similiter masculi, suauiores & leuiores esse. A
enzoaris quoque magni experientia viri senten-
am hoc loco citare (vtpote salubrem) volui: is enim
ibito, aut certe non multo post atque interfectum
nimal est, carnes edendas esse arbitratur. Quod si
uriores sint, quales anatis syluestris & veteris tur-
uris, post necem per duodecim horas hieme, per se-
tem vero æstate, coquendas, exindeque edendas
utumat: nec contrariatur Galeno: quam ego sen-
entiam & laudo & probo: Alterantur enim ab aëre,
t ad putredinem parantur, quando occisæ manent,
umido potissimum & calido in aëre. id apertissimũ
n piscibus est, qui meliores procul dubio sunt, quum
mulatque exempti de aqua sunt, decoctos edimus:
uamuis ob aqueum humidum citius putrescere
isces non ignorem. Quamobrem recte fuerit si
iquo salubri artificio carnes coctiles reddantur,

Salitæ caro.

Color.

Sexus.

Carnes nõ diu mortuæ edẽdæ.

Galen. de Attẽ. vic. ratione.

quo citius atque fieri potest. Post necem coqui & comedi valeant. Meliores autem calidæ hieme, præsertim & autumno, quam frigidæ sunt: præter hœdinas, quas Auicenna meliores esse frigidas, quoniam earum quiescit vapor, quam calidas, arbitratur: agninas vero calidas potius; quamquam vniuersalē tradidit regulam, vt alimentum ac potus, dum hieme sumuntur, sint actu calida, æstate vero frigida; sed neutrum ad rem perueniat, quæ tolerari non possit. Artificium vero tale sit. dum pinguiusculæ carnes & teneræ valdeque humidæ sunt, assari, hieme præsertim & vere, expediet. reliquas vero elixari, æstate præsertim & autumno, conueniet: quoniam & leuioris concoctionis sunt, & siccitati quæ viget per id tempus, obsistunt. Assatarum item carnium interiores potius, quoniam meliores humiditates intus collectæ sunt, quam exteriores partes, edendas putamus. Ligno Iuniperi veru factum carnes omnes, quę in eo torrentur, odore efficit iucundo. Caro assata omnis tunc optima est atque tollenda, cum optime olet: Saporis enim indicium ost odor. Hactenus de carnibus. Nunc reliqua alimenti genera percenseamus: inter quæ meliora esse oua gallinæ, perdicis, & phasianæ cognoscimus; atque semidecocta, ita vt sorbilia sint, Dioscorides laudat: quoniam & facilis concoctionis & optimi sanguinis materia sint: tum inter cordiales cibos Auicenna enumerat, vitellum complexionis temperatæ constituens: quamuis in Canone 2. vitellum ad caliditatem, albumen vero ad frigiditatem vergere, totum vero temperatum esse tradiderit. Serapio autem plus frigidum quam calidum esse arbitratur, nec iniuria: plus enim frigidum albumen est, quam vitellus calidus sit: quippe qui temperatus, aut prope temperamentum esse credatur. Sunt autem ante alios cibos sumenda, quoniam & velociter concoquuntur, & ocius descendunt e ventri-

Calidæ an frigidæ sint edendæ.

Regula.

Carnes coquendi varietas.

Assatæ carnis cognitio.

Ouorum consideratio.

entriculo, & ociſſime (præſertim vino commixta) utriunt: etenim omnes boni nutrimenti proprietes obtinent, quod velociter in ſanguinem mutalia ſunt, minimumque ſuperfluitatis relinquunt: ſtremo ſubtile & clarum ſanguinem, quo princeps embrorum alitur, generant: quippe qui ſubito ad ſum cor pellitur, & in diſſolutione ſubſtantiæ ſpiris & materiæ cordialis præſentiſſimum remedium t: quæ vero aſſata & dura efficiuntur ad concoionem grauia, & in vapores fumoſos conuertilia ſunt, ventremque inferiorem ſtipticum reddnt, quem ſorbilia leniunt. De quibus hæc ſunt Gani verba in De Euchymia & Cacochymia circa lib. incipium. Cochleæ (inquit) craſſi ſucci cenſenr: itemque oua, quæ vel elixa, vel toſta penitus ſint nſata. Frixa vero, mali ſucci, fumoſæque in ven iculo cocturæ exiſtunt, ſecum etiam corrumpens admiſtos cibos. Mediocriter vero cocta, quæ ideo pellantur tremula, ad coctionem, digeſtionem, utritionem, bonique ſucci generationem, ſicuti & æ ſorbilia dicimus, ad leniendas gutturis aſperitas, idonea ſunt. In lacte & ouis multa eſt copia pinis humidi: in hoc quidem vt alimenti, in his vero ſeminis. Piſcium oua longe minore tum calefaendi, tum nutriendi facultate prædita ſunt: quannamque auium carnes piſcium carnibus præſtant: nto ſane magis piſcium oua ſuperantur ab iis, quæ ium ſunt. Lactis vſum in ætate conſiſtenti potius am in Adoleſcentia Auicenna concedit; vnde choticis ipſum conferre putat; phlegmaticus autem eſſe. quamquam ait lac cum corporibus propornem habere, quarum cauſæ non comprehendunr, nec bonum eſſe viſceribus, & ſtomacho nocere, m caliginem & tenebroſitatem viſus facere, denus obeſſe, neruis infenſum eſſe, in venis meſaraicis ſtructiones gignere, & corrumpi facile ac in aceſum verti, capitisque dolorem efficere. Vnde vt

Oua dura.

Cochleæ.

Gal. ſententia de ouis.

Piſcium oua.

Lac.

hæc vitentur incommoda, iubet ſolum hauriri: cui, poſteaquam ſumptum eſt, quietem adhibet: poſtq ipſum dormire, nec quippiam aliud edere donec deſcendat: tum vel maxime acetum vel acetoſa poſt ipſum ſumi prohibet. Conſulo tamen ne in ventriculo coaguletur, vt ſecum ſacchari parum, aut ſalis, mellisve ſumatur. Sal corrigit lac & omnia cibaria: mel etiam comeſtum, lac corrigit. Porro lactis commoda ſunt, ventris moderata deiectio, ſucci bonita & nutritio: paſcuis ipſis quoque animalium, quorum lacte ſumus vſuri, non parum ad hæc conferentibus. Cum plura vero ſint lactis genera, humanum cert melius ac præſtantius eſt, quoniam corpori & præcipue cerebro iuuamentum affert. quippe quod cerebrum augere creditum ſit. Poſtea caprinum quo temperatum ponitur, minoremque butyri parte obtinuit; ſimiliter camelinum & aſininum, quod o animalis naturam caſei habet minimum, atque ob i egregie purgat, & ſalutare eſt. Vaccinum autem & ouinum pinguius eſt; eo autem laudabilius eſt qu meliori & temperatiori pabulo nutritur, animal cu ius lac bibitur; quod etiam ſtatim atque mulctum eſt, aut ipſo ab vbere, ſugi debet; alteratur enim a aëre facillime, & de bono malum redditur. Mirum autem videri poſſit, quid eſt, cur lac adoleſcentibu non autem conſiſtentibus vetatur, cum tamen infa tibus a natura, vtpote conuenientiſſimum alimen genus, tributũ ſit. Sed de hoc & aliis difficultatibu alibi quærendum: nunc regimen conſeruandæ vale tudinis, non diſputationes, conſcribimus. Superio lactis pars, quę caput lactis a ſummitate nomen apu vulgares Italiæ accepit, vſui habenda non eſt, quon relaxat ventriculum, & in flauam bilem vnctuoſit te ſua facile vertitur. Pinguedo illa dulciſſima a voluptariis iucundiſſima fit ex cocto lacte parum nam relictum per noctem, pinguedinem colligit

Lactis correctio.

Lactis cõmoda.

Lactis electio.

Lac quando ſit bibendum.

Lactis caput.

ſuprema parte. Butyrum pariter vnctuoſum admodum eſt; omnia vero vnctuoſa, & proprie butyrum (teſte Auicenna) obledunt ventriculum. Vis namque ventriculi in partium vnione & quadam ſtipticitate conſiſtit, quam vnctuoſa impediunt, & ſæpenumero tollunt ac deſtruunt. Butyrum tamen in ſe melius eſt quod ex lacte fit vaccarum menſe Maio. Facile in bilem abit, habitudinem nactus calidiorem & humidam. Coloſtrum item vitandum ducimus, quoniam tardæ concoctionis, tardæque deſcenſionis eſt: tum craſſi humoris materia eſt, vnde lapidem generare creditur. Caſeus recens, auctore Dioſcoride, bonus eſt ventriculo: atqui de hoc Auicenna dubitat. Ego per magnos calores primaque autumni parte & prima menſa edi abſq. nocumento poſſe, exiſtimo. Per frigora vero non recentem, ſed veterem (non tamen carioſum aut vetuſtate nimis durum) & moderate ſalitum, & ſecunda menſa edendum cenſeo; in hoc tamen, vt in cæteris omnibus, natura & vſus plurimum poteſt. Sunt enim qui caſeum abhorreant, vt alii vinum, & ita de ſingulis. Auicēna huiuſcemodi proprietates indiuiduales extra rationem eſſe dixit; oportereque vt experimentum rationem vincat. Aquam vero lactis via medicinæ potius quam cibi, Maio præſertim menſe matutinis horis, pauco permixto ſaccharo, ad expurgandum ſanguinem & flauam atramque bilem ſine moleſtia educendam, laudo etenim lauat, & abſq mordicatione humorem malum extrahit, tum nutrimētum (vt Auicennæ verbo vtar) rectificat, obſtructionesque remouet: vt hac ratione impinguare Auicen. ſentiat. in ea vel roſæ recentes, vel ſena, vt fortius agat, portio conueniens & iuxta peccantem humorem infundi per noctem poteſt cum particula aniſi vel cinnamomi. ſed tunc concoctos eſſe humores ac præparatos præſtaret. Concocta enim medi-

Butyrū.

Coloſtrū.

Caſeus.

Sexum.

cari, mouereque non cruda, Hippoc. rationalis iubet. Vituperantur autem omnia quæ ex lacte, ouis & caseo, aut aliis etiam rebus composita sunt; quoniam & si pleraque facilis concoctionis, singulatim accepta sint; tamen commixta euadunt cócoctionis grauioris, & ventriculo infensa sunt: etenim laborat in concoquêdis variæ naturæ cibariis, & propter longiorem moram in ventriculo, vaporibus petentibus caput fomentum præbent.

2. Aph. 22.

Torta vel Tartara.

Pisces.

Piscium vero vsus vt plurimum pro sanitate seruanda fugiendus est; etenim pauci & praui sunt alimenti, multasque superfluitates relinquunt in corpore, & corrumpuntur facile. Vnde Auicenna post forte exercitium edi prohibet, quoniam corruptionem subeunt, & humores corrumpunt: Et alibi (quæ fuit Galeni sententia) quod recentes generant phlegma & mollificant ventriculum, nec nisi valde calidis ventriculis concessi sunt: quoniam frigidi & humidi admodum sunt: Saliti vero calidi & sicci: quamobrem dum pituita redundat, salitis potius tum hieme primoque vere: bili autem exuberante & per calores, humidis atque recentibus vescendum est; tamen abstinuisse tutius & salubrius est. Quam erudite Homerus ille homo doctissimus in omni facultate ac fere diuinus poëta facit Vlyssem piscari per maria, cum ei erranti omne viaticum defuisset; innuens dum absq; pisce traduci vita potest, pisces fluminibus ac pelago relinquendos esse. Sed cum non semper ouis nec carnibus vbique vel omni tempore aut non omnibus vesci liceat, atque appetitus sæpe rationi dominetur, minus malos pisces commemorabo. Principio illud sciendum est, meliores pisces eos esse, qui nec magni valde, nec duram admodum & siccam carnem sortiti sunt, nec pinguedine multa (omnis enim pinguedo mala, piscium autem pessima)

Pisces saliti.

Piscium electio.

ma) & tenaci quodam lentore oppleri, nec odore aut sapore malo affecti sunt; sed gratum saporem gustui & suauem afferant, quique non statim dum ab aqua separantur, fœtorem suscipiunt, obseruandum prӕterea est, vt e genere molliori maiores sumantur, e duriori vero minores; nam quod inter humida siccum reperitur, commoderatum censeri omnino debet: sicuti quod inter sicca humidum fuerit. Sit tamen magnitudinis & paruitatis mensura conueniēs. Ad hæc omnibus eligibiliores, Galeno teste, sunt qui in alti degunt scopulis, vnde & nomen acceperunt: Petrosi enim a petris, & vulgo græcanico, pettito, nominantur; quo in genere sunt pectines, qui a Venetis & vulgo (ni fallor) Scorpenæ nuncupantur. est autem genus piscis saxatile, rubeum, spinas in dorso habens noxias, vnde a piscatoribus euelluntur. Nec sine ratione cӕteris anteponuntur; plurimi namque exercitii sunt, assiduisque ventorum & fluctuum agitationibus expositi, minimeque luto commixti sunt; illi præterea laudantur, qui de mari ad fluuios sunt delati, quorum cursui contraria est aqua; & quanto magis elongantur a mari, tanto meliores habentur & sunt, iis accedunt qui in arenosis degunt, um qui in aquis dulcibus currentibus, in quibus neque lutum neque sordes inueniuntur. Amplius qui laudabiles plantas & radices, eligibiliores sunt iis, qui sordes comedunt; quo in genere malo sunt, qui Latinis Mugiles, vulgo autem Cephali, quasi capitones dixeris, appellantur; quare vitanda sunt, tam si videantur saporis esse melioris. Itaque fugiendi sunt pisces qui in lacunis, paludibus, quique in aquis stantibus occlusi degunt. His in vniuersum admonitis, nunc breuissime piscium genera meliora nominatim perstringamus; quæ cum alimenti melioris, tum leuioris concoctionis esse putantur; qualis est Mœna quæ vulgo mænula dicitur, quӕ succi melioris

Petrosi pisces. *Pectines.*

Cephali.

Pisces meliores. *Mæna pisces.*

est quam Cobiones; & tunc melior cum vtero gra-
uis est. Forma rotundior fœminæ, porrectior mari
& latior. qualis Aurata quæ Chrysophris a Græcis i-
deo appellatur, quod aureum supercilium gerat, vt
in auratis senioribus cernitur. Oratã vulgo Venetiis
vocant a calore auri, quod vulgo Orũ dicunt; multũ
alimenti præbet, ideo difficulter cõficitur. Erithinus,
itẽ seu Erithricius, Latinis rubellio vel rubellus, a Ve-
netis arbor, a Romanis phragolinus dictus. qualis Per-
ca marina ab Aëtio percides dicta. quę vero fluuiatilis
est & piscis persecus a perca denominatur (cui fere si-
milis est) est & optimi saporis, & febricitãbus aliquan-
do etiam in prostrato appetitu ex calore, conceden-
dus. Sunt & Boces, quas Græci etiam in hodiernum
diem & Veneti Boobas cognominant, aluo idoneæ,
& bonæ concoctionis si elixentur: in prunis vero to-
stæ dulciores & meliores; qualis etiam in Benaco la-
cu gustui suauis Carpio: qualis ad hunc vsque diem
bene Latino nomine vacans Truta; qualis Gobius
seu Gobio, a Plinio Cobio dictus; ex cuius genere qui
parui albique sunt, molles, boni succi bonæque con-
coctionis sunt; qui autem virides vel nigri, deterri-
mi sunt. quales huic germani pisciculi, qui vulgo
Marsiones appellantur. qualis a Græcis Labrax, Lati-
ne Lupus (non est Lucius aut Sturio vt quidam autu-
mant) vulgo Venetiis Varolus dictus, quem ante
multos annos illic non semel & magna cum dele-
ctatione comedi; est autem piscis squammosus,
squammis minutis, candicantibus supina parte, ore
immenso sine dentibus, interius tantum aspero; a
capite virga quædam nigra ex vtroque latere in cau-
dam vsque protrahitur; præfertur ex candore molli-
tiaque carnis, qua fortasse molliorem non edi. Qua-
lis item qui vulgo a Venetis Barbon, Latine Mullus
dicitur: Trigla a Græcis. Cicero in Paradoxis Barba-
tulos vocat Mullos, & Varro Barbatos. Celsus boni-

succi

Aurata.
Erithricus seu arbor piscis.
Perca.
Persecus.
Boces.
Boobæ.
Carpio.
Truta.
Gobio vel Cobio.
Marsiones.
Lupus.
Varolus.
Barbon.
Mullos.

...cci, atque medios inter teneros, durosque pisces ...ullos esse testatur, idem Galenus fere asseuerante ...tertio De alimentorum virtute aluum sistit, præ...pue si prunis incoquatur: Sin in frixorio, grauis est ...difficile concoquitur. Athenæus inquit, si Mullus ...cis viuens suffocatus fuerit in vino, & vir biberit, ...n poterit agere rem veneream, vt Terpsides nar...: Mullorum frequenti cibo aciem oculorum he...tari monuit Dioscorides. Mulli recentis e capite ...erem contra omnia venena (præcipue ex anima...m morsu) valere scripsit Plinius. Barbo autem vo...tur a gemina barba, quam in inferiori labro habet: ...uammis est pallentibus seu ad viredinem vergen...us, virgis quibusdam aureis parallelis; qui si viuus ...squammetur, colorem sanguineum recipit. An...illas vitasse, quod nimis humidæ ac viscosæ, con...erit; de quibus a paucis animaduersa quædam ...bere non piget. Per vniuersæ Anguillæ spinam, ...um transit nigrum, veluti venula (vt etiam cancri ...ida) in quo eius venenum absconditur; quod an...quam coquatur, extrahere conuenit. plus tempo... requirit eius coctio quam reliquorum piscium. ...sta quam elixa nutrimento est commodior; vi...sis scilicet humoribus per ignem sublatis. Circa ...titium æstiuale a medicis reiicitur; solidiores pin...oresque præferuntur & fœminæ præsertim, (hæ ...ut repandius habent) sed meo iudicio quocum...e tempore ab his quibus hoc regimen a me scri...ur, damnandæ sunt; quoniam duræ concoctionis ...t, & humorem viscosum aggenerant; quamuis ...uonum guttur leniant suauiter. hoc de Anguilla ...n prætereo, quod aliquando apud naturæ secre...um quendam legi, & multos ingenue docui, licet ...od sciam) nemo hactenus expertus sit, nec mihi ...multa impedimenta & priuata incommoda face...cuit, vt nec multa alia quæ alias vellem & pos-

3. De re Rust.

Contra Venerem.

Venen. lib. 32.

Anguillæ.

Anguillæ pars venenosa.

Vini odiũ inducẽtia. sem, illud tale est; (fides penes authorem sit) si quis a-
licui velit vini odium inducere, viuetem Anguillam
in tanta vini quantitate in aliquo patulo vase tegat
vt sponte suffocetur & pereat; qua alata, propina li-
beraliter ex eo solo vino cui volueris nesciẽti, (nam
si sciret non biberet nisi fatuus esset.) illud idem fie-
ri scribunt aliqui, si aqua e vite incisa manans, vi-
commixta alicui nescienti semel aut bis ad biben-
dum detur. Sed ad pisces redeamus. Caneri etiam
Caneri. Conchylia. vt plurimum vitandi, quoniam caput lædunt; si
cancris autem paruas squillas complectamur; co-
Pisces coquendi ratio. chyliorum item genera, vt ostrea, conchas, parce
denda putamus. Artificium vero coquendi tale
quale piscium natura, tempus, & consuetudo post
lat; sed humidiores & molliores, ac potissimum h
mido tempore; assandi potius, id est, absque liqu
re, aqueo solo igne coquendi sunt, oleo tamen &
ceto ad condiendum vti licebit. Duriores vero
sces elixandos beneque coquendos censuerim
Sturio quo in genere Sturio est ac spondylus ab Italis sci
Spondylus glia dictus, a Germanis, ni fallor, *Mone*; subdura
carne, & laudatissimus piscis; illud etiam in vniu
ciborum frigidorũ correctio. sum tacere nolo, cibos omnes frigidos aut humi
corrigi per bonum vinum, bonisque aromatibu
suis contrariis.

Salis natura. SED tempus est vt de his quæ ad condiendi v
veniunt, ac primo de Sale, tum de complus
aliis, nonnulla perstringamus. Salem in omn
fere ciborum generibus conuenientem esse, n
ambigit, quoniam ea ipsa & concoctibiliora & g
gratiora efficit; quin etiam abstergit atque reso
& siccandi virtute putredinem impedit, & stipti
confortat: tum facilem cibi descentionem & f
fluitatum expulsionem reddit, phlegma subt
concoctionem si frigidus fuerit ventriculus, i

ed eius moderatus sit vsus, quoniam suo acumine
entriculum lædit & viscera, tum nauseam ac vomi-
um facit, nimiumque conturbat; imo etiam aluum
mouet si drachmæ pondere ieiuno mane sumatur.
equitur oleum ad multa condienda opportunum;
ec in percẽsendis oleorum generibus immorabor,
um breuitatem velim. Olea (vt Auicen. inquit) o-
mnia relaxant ventriculum, præter oleum de nuci-
bus, & pistaciis seu phisticis, atque oliuis; omni-
bus de pistaciis præstat, sed necubi factum vidimus; e
nucibus vero factum pectori & linguæ obest. Quam-
obrem de oliuarum oleo tractandum est. Omphaci-
num, id est, de immaturis oliuis confectum oleum,
vtpote sanis & præcipue calidis corporibus congruũ,
Auicen. laudat, nec sine causa: etenim minus vn-
guosum, minusque calidum est, stipticitatemque
ventriculo opportunam obtinet. Quamobrem si
antequam completam maturitatem assecutæ oliuæ
sint, ex illis oleum fiat, quo per calores vescare certe
contulerit: id namque commoda sine incommodis
præstare, & nimiam in biliosis aut sanguineis, san-
guinis tenuitatem & fluxibilitatem sistere poterit.
Auerrois autẽ summis præconiis oliuæ maturæ oleũ
quod dulce & nouum sit, celebrat, quod eius natura
fere temperata sit, exiguum calorem sortita; tum
conuenire homini secundum totam sui naturam
atque substantiam, & impinguare hepar, eiusq. sub-
stantiam augere arbitratur; vnde in regione sua et-
iam carnes oleo condiri consueuisse, & multos pin-
gues hoc pacto euasisse commemorat. Nos ompha-
cinum æstate, hieme vere & autumno dulce eden-
dum sentimus; quoniam illud frigidum, hoc vero
parumper calidum sit. Amygdalinum dulce pecto-
ris angustia laborantibus conuenit; fauces enim a-
speramque arteriam lenit, humoresque in thorace
contentos proiectu faciles reddit: ex earum autem

Olea condimentaria.
E pistaciis.
E nucibus
Omphacinum oleũ.
Oleũ maturum oliuarum.
Oleũ amygdalinum.
Amygdalarum cremor.

cremore elixato, sorbitiuncula paratur optima, quæ & alat, & dissecet, & renibus opituletur, & viscera, thoracemque expurget; non perinde tamen ventriculo accommoda sit. Mel & aqua eius ventriculo præsertim frigido & humido, quando calidum & siccum est, laudatur; ideo & pręcipue senibus conuenit, ac temperamento frigidis, & hiemis ac veris tempore; incommodum hoc biliosis; atque æstate sumptum, in aqua mellis conficienda spumam leui coctione auferre operæprecium est, quoniam si spuma eiecta non sit, inflare comprehensum est: Vim autem abstergendi & obstructiones aperiendi, ac humiditates resoluendi, ac potissimum e profundo corpore educendi, putredinemque prohibendi habet. Sed de genere meliori eligendum est mel, quod veræ dulcedinis boniq. sit odoris ac coloris ad rubeum decliuis, non subtile, viscosum. Et melius est vernum, deinde æstiuum, hiemale vero malum: Acre vero mel pessimum est, adeo vt venenosum esse creditum sit. Saccharum vero frigidius melle & subtilius est. Calidum enim & humidum in fine primi gradus creditur; per artificium autem vlteriori scilicet coctione (qua albescit) minus calidum & magis siccum redditur. omnino leniendi & obstructiones aperiendi abstergendique vim non minorem melle obtinet; & est bonum ventriculo in quo flaua bilis non gignitur; facile enim in bilem vertitur: Phlegma item abstergit, quod in stomacho reperitur, & ventrem lenit; hoc igitur quolibet anni tempore, melle autem hieme & secunda autumni parte, vesci expedit. Acetum melancholicis obesse, cholericis vero prodesse dicitur; vnde calido stomacho pariter & humido concessum est; appetitum excitat & concoctionem iuuat; sistit bilem, & materias ad interiora effundi prohibet; subtiliat, incîdit, ita vt phlegmati aduersetur, presertim adiutum cinnamomo & passulis

Mel. *Aqua mellis.* *Mellis electio.* *Saccharũ.* *Acetum.*

ulis, ita vt eius frigiditas & acredo nimia tollatur; quin etiam frigido ventriculo in hunc modum proderit. hoc artificio castigandum acetum ducimus, vt cum optimis passulis decoctum sit, deinde, si opus est, odore cinnamomi iuuetur; etenim cinnamomum præter calorem quem habet, quippe quod versus tertium gradum esse caloris dicitur, ventriculo etiam & hepati plurimum confert; namque & obstructiones aperit, & vtrumque confortat; ventriculi prætèrea humiditatem exiccat, & putrefactionem fieri prohibet; omnem virtutem roborat & corruptam instaurat; tum caput, educendo humiditates, quæ in eo sunt, mundat; quin etiam lenit & confert tussi & pectori, extrahens quod in eo noxium est. Hæc de condimentis.

Cinnamomum.

NVnc de granis & herbaceis, ac id genus aliis quæ ad fercula opportuna sunt, agamus. Oryza quod vulgo risum dicitur, multi est alimenti ad caliditatem siccitatemque vergentis; hieme comedi potest: Oryza cum lacte apparata seu condîta, bonum habitum & genitale semen auget. Panicum vero & Milium per humida tempora, siue calida siue frigida sint, edi possunt. Autumnali vero tempore, quoniam frigidum & siccum est tempus. Far autem calidum & humidum, expedientius est. Quod si far ex hordeo sit, æstate potius edendum fuerit, quod hordeum frigidum sit. Cum iure autem carnium, grana hæc coqui debent, aut in aqua, addito postmodum lacte amygdalarum dulcium; aut oleo sint condîta; potes deinde saccharum arbitratu tuo adiungere. Ex leguminum genere Cicer, ac præsertim ius in quo decoctum est, laudant. Sed media mensa, non initio nec fine edendum, Auicenna existimat; alimentum corpori præstat validius quidem, idque modice purum; alioqui flatuosum, & quod valentiorem ventriculum postulet. Iusculum tamen ex hoc præfer-

Oryza. *Panicum.* *Milium.* *Far.* *Grana dicta vt coquenda.* *Cicer.* *Ciceris ius.*

tur, quod abstergat, & vrinam cieat. Lentes vitu-
Lens. perant, quia ventriculum lædunt, & obstruunt he-
par. ad hæc melancholicum humorem generant, &
visum obtenebrant; atq. inter legumina pessimum
omnium est edulium, vnde crassus, terrestris & atra-
bilarius sanguis gignatur; ventrem sistit, bis terve
aut pluries etiam feruefacta, abiectoque iure quan-
do minime ad hunc modum paratam, aluum subdu-
cere magis affirmant; sane ab hac abstinendum cen-
seo, vt nocentissima, & agrestibus accommoda ma-
Faba. gis. Fabæ vero grauiores ad concoquendum sunt, &
ventositatem habent, quæ si vel trium dierum spa-
cio decoquantur, ab inflatione tamen non liberan-
tur: Vapores item prauos mittunt ad cerebrum, &
propterea horribilia somnia faciunt; sanguinem ge-
nerant crassum; relegantor igitur a te in victus ratio-
ne, licet abstergendi alioqui, atque enutriendi præ-
ditæ esse facultate videantur, quod si harum quan-
doque vsus tibi ingruat necessarius, præfertur ex hi[...]
pulmentum, vt quod & abstergat magis, & flatulen[...]
tiæ plurimum intercoquendum, remiserit; quod [...]
semina præterea aliqua admisceas flatum discutien[...]
tia, Græci ἄφυσα appellant, mellisque aliqui[...]
ad hæc sic plurimum sane inde noxæ discusseris inte[...]
illa semina præcipua sunto carum, (vulgo carni) ani[...]
sum, fœniculum, cuminum. Deteriores his Phas[...]
Phaselus. li sunt, vulgo faseoli, qui calidi ac terrestres sunt, ce[...]
rebrique spiritum conturbant, & praua inquietaque
somnia faciunt, & vertiginem suis vaporibus pariū.
Satis iam de frumentaceis & leguminibus dictum.
potes autem ex dictis etiam nōdum tractata digno-
scere. In omnibus potiora censentur viridia, vt po[...]
quæ leuem etiamnum humiditatem retineant; po[...]
quam enim hanc quoq. temporis tractu amiseri[...]
Leguminū electio. crassiora euadunt, terreaque magis. Ac quema[...]
modum arescentibus succosa præferuntur, sic cru[...]
eli[...]

elixa, & incoctis decocta. Post tractatum de leguminibus, de oleribus quoque ac radicibus dicamus, arboreisque fructibus, atque autumnalibus. Raparum genera, & si Democritus omnino cauenda putarit, tamen Galenus Dioclis sententia fretus, laudauit, quod atram bilem concoquât, & commode vrinam cieant; & teste Auenzoar, quem Auerrois sequitur, mirabilem vim illuminandi oculorum aciem habent. Et quamuis plurimo abundent humore, qui solet officere ventriculo, & materiam vento suggere; castigari tamen humor hic potest, si primo in aqua largiore sale condîta coquantur, tum expressas & nimio illo humore liberatas, ac in iure carnium complete decoctas, & (si opus est) modico aniso aut cinnamomo condîtas, edere non dubito; iis germanæ radices illæ sunt, quæ vulgo Carottæ dicuntur; quibus decoctis, in Acetariis hieme vesci iure liceat. Radicibus item Apii & Petroselini hoc pacto & tempore, ac potius in principio prandii vesci expediet in iure coctis, quoniam materias a superioribus ad inferiora, ciendo vrinam, trahunt. Vere autem & æstate cichorii, quod intubum vocant Latii, radicem pariter decoctam laudamus; nec minus folia dum tenella sunt. Radiculas infensas esse Galenus notauit, imo olerum omnium radices excrementitias esse dixit, & concoctu difficiles. Adsunt item Endiuia & Lactuca, quibus tempore feruido in Acetariis & in ferculis vescamur: si mentham eis aut etiam aliis frigidis rebus misceas, recte erit; quoniam mentha vim habet confortandi viscera, ac præcipue ventriculum, crassumque ac prolificum sperma efficit, nec non spermatis vasa roborat: vnde in profluuio spermatis, quia potenter exsiccat, maxime confert, cuius item succus cum aceto haustus sanguinem ab interioribus manantem sanat; tum laudabili odore affecta & infusa proprietate lætificat; frequens ta-

Rapa.

Carottæ.

Apij & Petroselini radices.

Cichoriũ.

Radicula.

Endiuia.

Lactuca.

Mentha.

men vſus generationem ſeminis prohibet exiccan-
do. Herba item quæ a ſapore acetoſa dicitur, per id
tempus edenda eſt, quod frigida in primo gradu ſit,
miramque vim confortandi obtinet; ſubtili namque
ſtipticitate (vt Auicennæ vtar verbo) prædita eſt.
Portulacam vero fugiẽdam ducimus, quod nimium
frigida, quippe in tertio gradu, tum eius nutrimen-
tum paruum & illaudabile eſt, & appetitum deiicit;
quamquam bili reſiſtit, & manantem ſanguinem
a pectore potiſſimum cohibet: Eius tamen frigiditas
(ſi quando veſci cõtigerit) mẽtha aut fœniculo tem-
peratur. Borragine vero (quod eſt verum Bugloſ-
ſum) & vulgari bugloſſa vere nec non æſtate, quin
etiam duobus aliis anni temporibus in acetariis ſiue
ferculis audacter veſci poteris; temperatæ namque
complexionis eſſe dicuntur, & ſanguinem cordi a-
micum ac lætitiam generant. Lupulis eodem artifi-
cio, vno tempore quo reperiuntur, & prima menſa
veſci contulerit; quoniam inter medicinas hepati
temperatas & aperitiuas vrinamque cientes nomi-
nantur. Maioris autem prouocationis eſſe aſpara-
gos nouimus, ac melioris ſucci, quibus pariter ante
cibos alios veſcendum eſt. Siclam vero ſeu Betam
quam vulgo *Blitam* & *Mangold* vocant, in prima men-
ſa pro ferculo, quod ex humore quem inſitum ha-
bet, nitroſo, aluum ſubducat, & hepatis atque ſple-
nis obſtructiones aperiat, ſi alba ſit laudamus; neque
enim melancholicum humorem procreat, quod
braſſica facit. Nigram tamen Betam, quod fere a-
trum humorem generet, vituperamus. Betæ autem
radices, ſubrubræ, rubræque valentius nutriunt, ſan-
guinemque gignunt, longe quam folia, craſſiorem
illud inſuper obtinent, quod flatum pariunt: quum
facile alioqui per aluum deſcendant; ideoque h
quoque ad vſum aliquando adhibendæ. Quas autem
vulgo Spinachias dicunt, raro edendas cenſemus
que

Acetoſa ſiue Oxalis. *Portulaca.* *Borrago.* *Bugloſſa.* *Lupulus.* *Aſparagi* *Beta.* *Betæ radices.* *Spinachia*

quoniam superfluã humiditatẽ nactæ sunt; gutturi tamen & pulmoni conferunt, & ventrem leniunt; quapropter ante cibũ edendæ sunt. Brassicam vero frigido & humido tẽpore, vt calida & sicca, edi posse arbitror; quoniam abstergendi & lauandi vrinamque ciendi vim obtinet; ius tamen eius magis laudo; deferuefacta hæc, nec abiecto humore emollit aluum; tandem adstringit quater, aut eo etiam plus proiecto liquore, atque ita deuorata. Atrabilarium humorem hæc plus iusto parit; substantia Brassicæ lædit os ventriculi, & visum obtenebrat; quapropter huius vsus, nisi vrgente penuria meliorum rerum, eiiciendus tibi. Et deterius illud genus, quod vulgares caputias vocant, Latine Brassica capitata; a Plinio lacuturris. Brassica omnis contra temulentiam pollere creditur, ob eam quæ inter vitem & Brassicam est, antipathiam; quando quidem obseruatum sit, vitem, ad cuius radices assita fuerit brassica, non paruo interuallo sponte sua refugere. ob id cum alii, tum præcipue Germani frequenter mensis apponunt, vt vini (quod parcius bibere præstaret) noxam effugiat Pollent hac in re magis caules ad rubedinem vergentes. Vidi aliquem doctum ac philosophum conuiuio accumbentem, in quo strenue potandum erat, foliolum caulis crudi clam prægustasse ac comedisse; quæ res illi ex parte profuit: Vinum tamen vires suas in illo exercuit quoquo modo. Damnantur item, quæ e rapis, e quibus etiam orta sunt, raputia vocantur, quod grauia vt concoquantur & atri humoris materia sunt. Petroselino autem hieme largius vesci expediet, calidum enim est in tertio gradu; obstructiones aperit, vrinamque prouocat: Æstate vero cum frigidis vt cum succo acerbæ vuæ, dum in iure coquitur, necnon cum cucurbita & cucumere, si vesci contigerit. Sed rarius hisce vescendum est; quoniam hic crudi humoris materia

Brassica.

Caputia contra vinum.

Raputia.

Petroselinon.

Cucumer. Cucurbita

est, & ad longas febres præparat; frigidique & humi-
di admodum est temperamenti. illa vero quod ven-
triculo & colo intestino infensa sit; & corporibus
quibus phlegma, aut atra bilis frigida dominantur,
infensissima sit. si cruda estur, in medio est peponum
ac cucumerum; decocta melior euadit; frigidæ hu-
midæque temperaturæ alimentum præstat, huiusq
plurimum vsus, vt medicamenti constat; alias inuti-
lis, & minimum alimenti exhibere putatur, humo-
remque gignere aquosum; præsertim cum frigidum
nacta fuerit ventriculum; cum his etiam Cherefo-
lium herba misceri commode potest, quæ & ventri-
culo frigido accommoda, & grati saporis est. Ama-
nitæ, Fungi, & Tubera, vt quæ frigidæ humidæque
naturæ sint, succumque generent crassum, crudum-
que, calido siccoque temperamento conueniunt; in-
nocentiores redduntur Fungi muria asseruati, quo
lentorem ex parte amittant; sed noscendi prius sun
boni, cum radice ortus sui, tum etiam generis & sub-
stantia; at satius erit ista athleticis hominibus relin-
quere. Acuta vero vt cepas, allia & porra, vtpote
studioso viro vel publico aliena, vitanda ducimus
nisi forte hieme his coctis & in Acetariis vbi p
tuita redundat, vti phlegmaticis liceat. Porrum
cepis, Allioque probabilius, si decoctum edatu
multum enim succi mali, acrisque remittit elixatio-
ne; concoqui tamen quadantenus contumax ho
quoque esse censetur, ob fibrosum, quod illi in
est: etiam si humores in thorace contentos, facile
reiectatu reddat, ob innatum lentorem: lotium ho
mediocriter mouet.

Cheræfolium. *Fungi & Tubera.* *Acrumimina.* *Cepe.* *Allia.* *Porrum.*

Fructus.

FRuctuum plura sunt genera, quorum nonnull
nutriendi vim obtinent: Nam (vt Auicenna in-
quit) Fructus nutriendi magis similes sunt ficus & v
uæ bene maturæ, & Dactyli in regionibus & ciuita-
bus i

us in quibus esse consueuerunt: Parcius tamen meo consilio edendi sunt, quod ficus recens inflatiua est, ,Galeno teste, obest ventriculo: e sicca vero ficu genitus sanguis, malus est; ad hæc pediculos ambæ generant, cum propter corruptionem humoris earum, cum quod materiam de interioribus pellunt ad exteriora; & propterea Comitiali morbo & Apoplexiæ conferre ab Auicenna dicuntur. Impinguare item feruntur; & licet talis pinguedo modicum perstet, & ab alimento panis distet plurimum, earum tamen alimentum maioris roboris est nutrimento reliquorum fructuum, quoniam autem ficus velociter descendit & penetrat, viasque cibi abstergit & mundat, idcirco ante cibum edenda est. Meliores quidem esse albas, tum rubeas, postremo nigras, Auicenna indicat; omnes etiam renum arenulas repurgant. Caricæ (inquit Galenus) cum nucibus sumptæ, cibi præstantissimi sunt, cum amygdalisque similiter, sed cum his obstructiones aperiunt, non tamen ita bonum succum præstant, nutriuntque, vt cum miscentur cum nucibus. Sunt qui Caricas cum ruta nucibusque presumptas venenis vniuersis aduersari fateãtur. Vuæ pariter albæ nigris eligibiliores existunt, modo sit in cæteris loci & maturitatis paritas. Laudatur autem quæ præterquam quod bene matura est, præterea si duobus aut tribus diebus suspensa & soli exposita fuerit; hæc enim alimentum proximum nutrimento ficus præbet: quæ non aliter atque ficus ante cibum edenda est, quod aluum leniat; eius tamen vsus vesicæ incommodus est. quapropter ab his quibus renes vel vesica arenam vel calculos generant, vitanda est. multam etenim fæcem relinquit in corpore, quinetiam vapores plurimos mittit ad cerebrũ, quemadmodum & in vase dum vinum ex ea gignitur, apertissime conspicimus. nocent etiam vuæ ac ficus visceribus in scirrhum duratis, & infarctu laborã-

Ficus recens & sicca.

Ficuum electio.

De Euch. & cacoch.

Venenis remediũ.

Vua.

tibus aduersæ. Veterascentes multum humiditatis recrementitiæ amittunt. Passæ vero, quæ ab Oriente vehuntur, abstergunt, amicæq; ventriculo & potissimum hepati a tota substantia sunt: tum vesicæ & renibus, nec non intestinorum dolori conferunt, & vniuersum corpus recte nutriunt: quamobrem & prima & secunda mẽsa, tuto edi possunt. E fructibus vero qui nullum aut certe modicum nutrimentum corpori tribuunt, quidã sunt qui facile descendunt, quique ante alios edendi sunt cibos: Alii vero sunt, quos post epulas sumpsisse rectius est. sumi igitur ante cibum nonnulla fructuum genera, iussit Auicẽna, vt Melones, Mora, Chrysomela, Persica, Pruna, cerasa: huiusmodi namq. fructus nimium humorem & facile corruptibilem obtinẽt: quapropter quæ citius fieri potest, de corpore pellendi sunt; id vero fiet si absque alio cibo sumãtur, deinde post ipsos ambuletur, & aliquid sumatur ad hoc vt labantur, vt Auicennæ sententia est: quinimo ait, quod ii fructus recentes non sunt boni, nisi corporibus exercitatis cholera rubea abundantibus, & in æstate: subditque rectius esse his abstinere, quoniam aquosum sanguinem generant, qui facile ebullit, subindeq. putrescit. Tametsi enim ea ipsa hora qua sumuntur, refrigerando prosint calidis, quoniam frigidi & humidi sunt: tamẽ, (vt dictũ est) ad putredinem sua humiditate parant: similiterque sanguinem humore implent crudo, vt Melon viridis, qui Anguria vulgo dicitur; qui etiam altera ratione fugiendus est, quod in quemcumque humorem vertitur, quem in ventriculo inuenit. Quod si forte tibi libet prænominatos fructus sigillatim noscere, vt meliores, vel vt rectius loquar, minus malos deligas, paucis accipe. Melon inter fructus & humoris & nutrimenti est melioris, nec facile in humorem quem in ventriculo inuenit (vt Anguria) conuerti est aptus: abstersiuusq. est, & vrinam prouocat

Passulæ.

Fructus ante cibũ.

Anguria.

Melon seu Melopepõ.

uocat

rat: sed eo quo supra dictum est modo, comeden-
est: alioquin putrescit, & ex putredine morbos
erat acutos. Mora & si vim quandam stipticã for- *Mora.*
sint, ventriculo tamen infensa esse, & in eo qui
bilis est, facile corrumpi, Auicenna putauit: Sunt
da & humida quæ dulcia sunt: acetosa vero frigi-
His germana cerasa sunt: facile enim & putre *Cerasa.*
nt & corruptionem subeunt; minus tamen ma- *Mara-*
genus illud est, quod acerbum simul nec non & *scha.*
ce beneque maturum est, quæ vulgo Maraschæ
ntur: hęc enim minus putrescunt, & magis refri-
ant; omnia tamen frigida & humida sunt: quo-
n alia dulcia, molliaq.: dura alia habentur, & quæ
tringant magis. Deligenda priora illa, vt quæ me-
concoquantur, faciliusq. aluum subeãt. Secunda
gis faciunt ad ventriculum, qui in bilem agitur,
ppe quæ nec facile omnino corrumpãtur, & ven-
ulum adstrictoria facultate corroborent: immo-
b'tamen horum vsu, nisi vnà in corruptelam ab in-
s humoribus trahantur, aquosus humor procrea *Persica.*
. Persica poma atq. Armeniaca frigido ipsa quoq.
ue humido temperamento constant: probe con-
ta tenuem, humidumq. sanguinem generãt. So-
t porro hæc quoque nisi facile aluum subierint, in
ruptelam abire, & cum humoribus vnà immutari
scumque tandem offenderint: quamobrem qui-
s ęgre per aluum descendunt, consuluerim ego iis,
nino, vt ne ea quidem attingant. Nam Armenia- *Arme-*
quæ Græce Chrysomela, & Latine Mala aurea vo *niaca.*
ntur, dum humida & recentia sunt, putredini ex-
sita admodum sunt, ideoque febres generant. A-
ēna iubet mastichem & anisum cum vino de pas-
nūt melle sumi cum eis debere. Persica authore *Persica.*
scoride bona vẽtriculo sunt, & aluũ leniunt ante
ũ sumpta si matura sunt: post aliũ vero sumpta, &
rumpuntur & corrũpunt cibum. Sicca vero tam

Persica quam Chrysomela, non ante, sed post cibum edenda sunt, quoniam dura valde ad cōcoquendum sunt, abstinuisse tamen rectius est, quoniam præter quam quod grauia sunt ventriculo, parui quoq. sunt alimenti. Persica tñ inquit Auenzoar, fœtorem oris vitio ventriculi procedentē remouēt, nec, vt inquit, iuuamentum aliud obtinent. His Pruna cōmendantur magis; si quidem facile per aluum deiiciantur. Solent enim nonnullis hæc quoque corrumpi, nisi statim per aluum reiecta. Pruna quæ dulcia sunt, nimia humiditate debilitant ventriculum; quæ vero mediū saporem nacta sunt, fortius bilem reprimunt, quorū etiam frigiditatem Auicenna emendare docuit potui aquæ mellis, & vino de passis. Sed tempus est vt de fructibus qui post cibum edi possunt, nonnulla percurramus. Plures namq. sunt, qui vapores caput ascendentes frenant, & os ventriculi roborant, qualia sunt Malagranata, Cotonea, Pira, & id genus alia. Sed primo de his quæ & ante & post cibum edi possunt, varia ratione, agendum. Granatorum vero seu Punicorum cum tria sint genera, dulcia, acria, & inter hęc media: Dulcia quidem frigida & humida in primo gradu ventriculo & hepati conueniunt, spiritumq. & præcipue naturalem mirifice iuuant, adeo que inter pinguedinem facientia numerantur: materias item ad vias vrinę leuius tamen quam acetosa dirigunt. Itaque mihi summopere placent, quibus in aliis anni temporibus, tum vel maxime autumno in quacumq. mensa, ac præsertim cum tosto vescar. Mediū vero nacta saporem, dulcibus frigidiora sunt, vnde calefacto ventriculo peropportuna, mediocremq. abstersionem cum stipticitate & refrigeratione nacta sunt. Admirabilem præter cætera, vim narrat Auenzoar, & confirmat Auerrois, quod prohibēt corruptionem cibi in ventriculo, si fumosa aut similis odori ouorum fuerit: quod si acetosa con-

Pruna.

Punica mala.

Dulcia.

Media.

[illegible]o sit, cauenda hæc esse, dulcia vero non obesse ad-[illegible]net: vnde & vice saporis media mensa, & post e-[illegible]as ad roborandum os ventriculi, & prohibendũ [illegible]orum ad superiora motionem, tuto vesci poterit [illegible]cumque, præsertim calidi ventriculi. Acetosa ve-[illegible]maiorem frigiditatem sunt assecuta, quæ non nisi [illegible]de biliosis commodari possunt, quoniam intesti-[illegible] sua acredine atq. etiam neruis officiunt. Potest [illegible]nen eorum acredo sacchari aut mellis dulcedine [illegible]noueri; magnam autem vim in extinguenda bile [illegible]uida, & reprimenda vaporum eleuatione obtinẽt: [illegible]vniuersum vero Punica omnia alimento leui con-[illegible]nt, sanguinemq. perpetuo gignũt tenuem: suntq. [illegible]ntriculo amica, & quæ mordaces succos aboleant: [illegible]a propter horum quoq. opportunus tibi vsus con-[illegible]t, quum videlicet in corpore exuperare calor vi-[illegible]atur, aut anni tempus tale vrgeat: alioqui superua-[illegible]neum fuerit, quæ pro medicamenti ratione sumũ-[illegible]r, his vt esculentis vti, præsertim cũ contraria tem-[illegible]ramentum suggerat, quam rationis expers appeti-[illegible]s ac consuetudo postulet. Cotonea ex autumnali-[illegible]s fructibus inter edulia adstringentia cõnumeran-[illegible]r: quæq. aluum supprimant. Solent hæc nonnullis [illegible]te cibum sumpta, aluum potius coërcere: sicuti a [illegible]bo, emollire; quod minime mirum sit; quãdo qui-[illegible]em ventriculi os adstringendi facultate comprimẽ-[illegible]a, alimoniam vi protrudant, quemadmodum sane [illegible] vtre quoque, ac vesica idem manibus præstamus, [illegible]cileq. contenta educimus, presertim si repleta qui-[illegible]em vasa fuerint, vehemẽtius autem superiores par-[illegible]s comprimamus. Inter hosce fructus maxime o-[illegible]nium adstringunt Sorba, Corna, & Mespila, quo-[illegible]um vsus maximus sit, vt medicamentorum: & quod [illegible]entriculo alioqui vtilia sint adstringendi vi: alimen-[illegible] autem vice sumpta, sanguinem exhibent minime [illegible]ommendandum. tum vero adstricta plus æquo al-

Acetosa.

Abusus vbiq. vitandus.

Cotonea.

Sorba.

Corna.

Mespila.

uo, nocumeetum capiti, reliquoq. corpori inferunt.
Ex Malis dulcia quidem (inquit Ægineta) maioribu
reliquis in calefaciendo viribus pollent, facile tran
mittuntur, maxime assa, vel elixa. Acida magis refri
gerant, & humores in ventriculo dissecant. Auste
ra stomachum roborant, aluum supprimunt, cæteri
tamen magis Cotonea. Ex pomis item bonitate
cætera vincunt, quæ Regia appellantur: & ea fortas
se sunt, quæ (præsertim in Hetruria) Appia & vulg
Mele rose vocantur; quæ ipsa quoque frigida non a
deo sint; cordi vero amica, censentur; ideo quod va
pores cor impetentes fuliginosos, humidosque re
pellant, nec sane minus sursum in caput delatos: de
nique noxam quoque ex vino in capite contractam
sedant: neruos quidem tentant, ac memorandi vim
retundere creduntur; potissimum quæ natura acid
fuerint, nempe frigida hęc satis sunt, & substantiæ te
nuitate sese iam ad profundum addunt: probantu
ex his magis, quę in hiemē reposita seruantur dulcia
maturitatem enim temporis mora, adepta pleniore
cōgruo quoq. vsu aptiora redduntur, nec sane facil
corrumpuntur; & pro ventriculis debilioribus in ci
neribus aut vaporibus aquæ diligenter coquuntu
cum edenda sunt. Pyrorum pari etiam modo gran
diora atque matura, eandem quidem facultatem
seruant, sed vberius nutrimentum sumentibus sug
gerunt, ac ventriculo gratiora sunt. De Citriis po
mis, Limoniis, Aurantiis, & Adami pomis, cum me
dicamenti potius quam cibi vices subeant, hic nihi
dicimus: poterit quisque illorum historiam & vire
apud Matthiolum videre in suis commentariis in
Dioscoridem. Oliuas maturas, & si inter ea, qu
ventriculo ac visui obsunt. Auicenna connume
rat, alibi tamen grossas salitas quæ colymbades
Græcis vocantur, appetitum subleuare, & ventricu
lum confortare, præsertim si acetosæ sint, asserit

Mala. *Lib. 1. cap. 81.*

Poma Regia.

Pyra.

Lib. 1. cap. 131. *Oliua.*

c etiam ratione Cappares laudantur. Castaneas, *Cappares.*
od grauis coctionis, crassique & crudi, licet non *Castaneæ.*
li humoris materia sunt, ventumque egregie ef-
unt, his qui multum laborant aut exercentur, re-
quendas censemus; alioqui refrigerant & exic-
t, ac modice astringunt; alunt quoque & elixatæ
uosæ facultatis plurimum remittunt, præsertim
n seminibus anisi aut fœniculi vel similibus co-
, Nuces vulgares, quas Regias vocant, calidæ *Nuces.*
dem censentur & siccæ; caput pertentant, si quis
due vtatur: & ventriculo infestæ sunt, ac diffici-
oncoquuntur; grauant linguam, & sermonem
pediunt; licet recentes gratiores ventriculo &
iliores sint; minus enim incommodi adferunt,
muis crassi humoris materia sint; cum ficubus v-
commansæ probantur magis, quod per aluum
us vna deiiciantur. Verum solas aut frequentes
sertim extra hiemem, vitasse, salubrius est. Nu-
quas Ponticas appellant, hoc est, Auellanæ, quo
mine adstringunt, possint sane ventriculo ido-
e censeri; sed quæ nihilo tamen secius concoqui
tumaces sint, ob confertiorem substantiam,
i præditæ visuntur, quodque aluum magis ideo
tringant, quamuis ab Auicenna laudentur, quod
nibus hepatibus conferant, propterea quod exi- *Auellanæ*
sunt caloris: Calidæ enim & siccæ in primo sunt
du, sicque calidum hepar non lædunt, & frigi-
conferunt; quinetiam aperitiuæ, bonique
ci materia sunt; attamen eas inflare, & vento-
tem in inferiori ventre gignere, necnon capi-
dolorem cum cerebri augmento facere, tar-
que concoctionis esse, & vomitum ciere, tum ea-
corticem ventrem stringere: quapropter raro,
ab omnibus edendæ sunt; Quod si fortasse ad se-
dam tussim & iuuandum sputum eis aliquando,
i contingit (etenim sputum facile reddunt,

& tussim antiquam tollunt,) extrahendus de earum substantia succus fuerit. Nam leuioris in hunc modum coctionis, subtiliori expressa, & relicta crassiore substantia, redduntur; modicoque adhibito præsidio anisi aut cinnamomi, omnis inflatio tollitur. Vtraque autem tam Auellana, quam nux cum ficubus esa, paruis venenis conferre solet, vt Auenzoar & posterior Auicen. testatur. Amygdalæ dulces fere æquales in calore, tum modice ad humorem declines sunt, nisi rancidæ sint; tunc enim calidæ euadunt: boni, quamuis pauci, sunt alimenti: ad hæc, abstergunt, mundant, aperiunt, & præcipue splenis & hepatis obstructiones auferunt: tũ pectus, renes & meatus vrinæ leniunt: sed quoniam somnum faciunt, & propter diuturnam in ventriculo moram (concoctu enim difficiles euadunt, si solæ deuorentur) vapores ad caput mittũt, etiam grauedinis causa sunt, quamobrem velim extrahi succum, quod vulgo lac dicitur, & ferculis aut saporibus hoc ipso, non duris amygdalis, autumno potissimum. vesci expediet. ita enim facile descendet, & commoda absq. incommodis afferet. Optimum insuper paraueris edulium (præcipue æstate ac autumno, & tussiculosis) si harum cremorem succreto decoctoque hordeo immiscueris, aut alicui tali, amyloque inprimis: hoc enim omnibus præstat, vt quod tenuissimum sit, & concoctu facile, ac boni succi sanguinemque progignat nitidum & tenuem. Granum pineæ maioris fere temperatum est: exiguum enim calorem & humorem obtinuit, forteque alimentum nec malum, tribuit & prauos intestinorum humores corrigit, debilitatiq. corporis subuenit, corruptum humorem emendat, tussimque & putrefactas corporis materias castigat, & coitum excitat. Tardæ quidẽ concoctionis tum mordicationem & acrimoniam quandam inesse fatetur Auic. sed remediũ adhibet eius ipsius

Contra parua venena.

Amygdalæ.

Amygdalarũ lac.

Edulium ex amygdal. optimum.

Pineæ.

uenti aqua infusionē. ita enim magnam absque ...tione nutriendi virtutem assequitur: tum præcipit ...qui frigidiore sunt habitu, cum melle: qui calidio-...ut cum saccharo comedant: renes & vesicam in-...per expurgant, ac roborant, eorumque vlcera pro-...uent. Vrinæ stillicidio opem mirifice præstant. Pi-...acia (vt Galenus inquit) parum præbent alimenti; ...metsi infarctas humore iecinoris vias expediant, ... vitiis liberent. addit autem Auicen. quod nau-...am discutiant & ventriculi os roborent, argumen-...esse subamaram, subausteramque qualitatem, quę ...tu in his deprehenditur. quapropter non modo ... iecinoris infarctus, sed ad iecur ipsum ventricu-...nque roborandum, ea tam cibis quam medica-...entis immiscentur; quin ad conciliandam vene-...m, & ad pinguedinem inducendam macie & ma-...ino affectis commendantur. Sunt vero remisse ca-...a & sicca, adeo vt fere temperata iudicentur. nos ...iuo tempore parcius, hieme vero largius a calido ...m corpore edi posse censemus. Citri cortex & ...cipue conditus, hieme sumi potest; quoniam vt ...veterum sententia inquit Auenzoar, cor & reli-...a membra principalia roborat; & licet prę duritie ...n facile concoquatur, magnum tamen ventriculo ...sidium, & bonum ori odorem, pariterq. eius de-...tum quando in ore tenetur, afferre notatum est. ...n etiam flores ac etiam folia confortant ventri-...um, pariterque vinum aut ius in quo infusus sit ...tex. Caro autem & mala est ventriculo & pecto-...& facit colicam, nisi forte cum despumato melle ...aromate aliquo eius nocumentum tollatur. Anisi ...men laudo, quod ventositates tollit, hepatisque & ...splenis obstructiones, non sine aliqua stiptica vi, a-...it. quinetiam si eius vapor naribus trahatur, ver-...inem & capitis dolorem sedat, necnon vrinam ...uocat. Fœniculum vero aliquanto calidius, tardi-

Pinorum præparatio

Pistacia. 2. de aliment.

Citri cortex.

Caro citri.

Anisum

Fœniculum.

orisque concoctionis & praui alimenti materia est, obstructiones tamen aperit, cit vrinam, & mirab lem proprietatem acuendi visum obtinuit: adeo Democritus serpentes ex ipso edere, & eo fricare culos dum exeunt latebras, sit arbitratus. Coria drum vero de cuius temperatura disceptant medi (Galen. enim calidum, Auicen. & alii frigidum cunt) est quidem tardæ concoctionis, & teste Au confortat ventriculum calefactum, & vapores ca ventriculi, præsertim biliosos, a capite prohibet, quod potius ratione aceti, quo præparatur, facit) tamen visus tenebrositatem generat: imo quod pl Dioscorides mentem tentare scribit, & alibi in venena recenset. ideo explodendus potius illius v præsertim frequens, neq. illi qualicunq. præparat ni fidendum. natura enim eius tolli non potest.

Coriandrum.

POsteaquam cibi & potus genera quæ opportu annotatione digna visa sunt, percensuimus: (r enim omnia narrare decreuimus, quia longum o & pene infinitum extitisset,) nunc ad reliqua, q a medicis inter res non naturales appellatas nu rantur, ad salutem conseruandam pertinentia, ac damus. Enimuero obseruandum est, ne vllo cibi potus genere replearis: sed assumendi cibi vniu iusque modus is esto, quo nondum satietas cepe sic enim exuperans natiuus calor, cibos, qui in v triculo continentur, confecerit. Præstat autem mentorum quoq. vires obseruasse, vt si ex iis fue quæ valentius, & plus nutriunt, multo ante exple appetentiam absistamus: sin eorum, quæ paru leuiter alunt, liceat plura ingurgitare: siquidem diutius concoqui postulant, illa facile aluum sub De potu coniectura facienda, pro sumpti alim humiditate, ac siccitate. Et quamuis Hippoc. to biliorem esse potus quam cibi repletionem pro tiarit. Et Auic. quorundam opinionem recitan

Repletio.

rietatem corpori semel in mense conferre dixerit: *Ebrietas an conferat.* os tamen, quia plus obesse quam prodesse potest, his præsertim qui debile caput assecuti sunt, ab hac sententia alieni semper fuimus. Profecto vinum & si nativo calori maxime congruum est, attamen sicut superfluum oleum lucernæ lumen extinguit: ita vinũ calorem opprimit naturalem: ita vt multi homines superfluo vino suffocati, perierint. Quod si quando in cibo aut potu excessisse contigerit, sequenti parcite compensandus error: vt si prandium largius fuerit, parcior aut nulla sit cæna: Tum longiori somno indulgendum, & exquisitiori exercitio vtendum. Melius autem est reliquiis desiderii citra satietatem, a comestione & potu desistas: hæ namq. famis reliquiæ, post horam vnam destruuntur. Deterior autem comestio, (vt Auic. inquit) est quæ ventriculi grauitatem facit: & deterior potus est qui temperamentum egreditur, & in ventriculo natat. Quamobrem ad bonam cibi concoctionem & penetrationem, sæpe & parum bibere cohortamur.

Quemadmodum vero nimiam repletionem fugiendam, ita nimiam quoq. famem & abstinentiam vitandam censemus. *Inanitie.* Excessus namq. & defectus, vt sapientiores testantur, committendi morbi vim obtinet. nunc vero disputandi nec locus, nec tẽpus est, vtrum horum deterius sit. Compendiosum enim sanitatis regimen, non autem nunc medicas quæstiones scribimus. ne igitur diu famem patiare, *Nimia famis nocumenta.* propterea quod vniuerso corpori, & ventriculo prius eius ministro officit; illi quidem quod aridum & priuatione alimenti imbecillum redditur, huic autem quod ventriculus præter idipsum commune totius corporis incommodum, putridis item repletur humoribus. Quapropter dum sumendi cibi hora, certumque desiderium fuerit: quod ex alacritate *Edendi tempus.* & nulla ventriculi grauitate, tum etiam seruato in-

teruallo inter horas edendi congruo, cognoſces, das. Arabes ſexdecim horas adhibent; nam in duobus diebus ter ſolum edendum eſſe opinati ſunt ſtudioſis vel non adeo calidis viris decem horas ſufficere poſſe arbitror, his præſertim qui nec replentur, ne duræ coctionis cibis veſcuntur; aliqui octo communiter ſtatuunt horas. Sed pro conſuetudine, (niſi ad modum mala fuerit) & appetitu naturali, ſinguli horæ diſtinguendæ erunt. Cæna vero parciore præſtiterit, ſi vel vigilandum ſit, vel capitis debilitate, aut grauedine labores, vel fuerit ventriculus imbecillis; ſecus enim, ſit prandium leuius, ſi per conſuetudinem fieri poteſt; quæ in ſene mutari nequit, in iuuene paulatim ad meliorem mutanda eſt. largior enim cæna melius ſuccedente ſomno concoquitur, qui concoquendi facultatem iuuat. Accedit frigidior & obſcurior noctis aer, quo fit vt ſpiritus ad internas partes collecti, minimumq. animi & ſenſuum functionibus diſtracti ac reſoluti, maximum ſumpto cibo præſidium vt concoquatur, afferunt; ad hæc interuallum longius cænam quam prandium ſequi aſſolet quanquam monuimus magnam rationem conſuetudinis habendam eſſe; quæ (vt antea dixi) iunioribus pedetentim in melius mutanda eſt, in ætate vero prouectioribus, ni peſſima ſit, ſeruanda. Illud etiam monuiſſe non pigeat, cibo ſicciore in cæna veſcendum eſſe; vnde aſſatas carnes ad reſecandas humiditates ſuperfluas in cæna potius laudandas, mane autem elixatas.

An cœna maior eſſe prandio debeat.

Conſuetudo quando mutanda.

Cœnæ cibus.

Danda quoque opera eſt, vt quotidie alui & veſicæ excrementa opportune de ventre exeant. Et quoniam vt maximus Arabum obſeruator Auenzoar inquit, Conuenerunt omnes medici quod in ventrem mollem homini ſeruatur ſanitas; & cum ab aliis morbis, tum vel maxime a pleureſi hoc beneficio hominem præſeruari. quod ſi forte accidat vt aluus in ob dier

Excrementorum purgatio.

Quibus rebus aluus ſtricta ...

entior sit, passulas ante cibum bene maturas hieme que alio tempore cum saccharo præsertim exesas, magno futuras auxilio arbitramur; quæ (vt antea dictum est) ventriculo etiam & hepati amicæ nimirum sunt. Sunt & alii fructus, sed minus salubres, quibus per æstatem & autumnum vescare, de quibus abunde supra dictum est, vt Mora, Pruna, Melones, Ficus & quæ bene maturæ; qui ante cibum sumpti aluũ mollire nati sunt. Accedunt & fructus stiptici post cibum sumpti, vt Pyra, cotonea; de quibus satis abundeque supra dissertum est, tum Mespila & alia id genus cibũ comprimentia; quin etiam Beta vel Spinachia ante cibum iuuerit verno præsertim tempore, quo herbarum vis plurimum valet. Antiqui magnis præconiis Maluam extulere, cuius & hoc peculiare munus est (si vocabuli rationem quærimus) vt aluum molliat; quod si hæc non suffecerint, ad Mercurialis auxilium vna cum his ipsis, vel solam confugiendum est: quod si forte humorum repletio acciderit, per inædiam seu diætam tentandum est an resolui valeant. Namque abstinentia (vt Galen. ait) est vnus euacuationis modus. Et Damascenus inquit, si per Diætam curare potueris, omnia prospera succedent. Si vero in tantum creuerint, quod diæta satisfacere haud possit, educendi humores pharmacis leuioribus sunt, duabus optissimum anni partibus, vere scilicet & autumno. Congrua vero pharmaca æstate Cassiam fistulam vel syrupum rosarum solutiuum; Vere autem & autumno Rhabarbarum, Agaricum, ac Senam; tum Electuaria cognita, vt lenitiuum, Diacatholiconem, Diphenicon; bene concocta, tamen prius (ni furiosa aut venenosa sit) & præparata materia cum iis quæ genus præsentis ac dominantis humoris respiciunt, laudamus. Agarici vero & Rhabarbari aut Senæ calor & siccitas, permistione refrigerantium & humectantium, qualia sunt Pruna & Myxa seu Sebestena & flo-

mollienda sit.

Passulæ.

Beta.

Malua.

Mercurialis.

Diæta.

Humorum purgatio quando & cum quibus fienda.

res cordiales mitigari & tolli potest; cum quibus ob stomachi imbecillitatem non nihil anisi vel cinnamomi addendum. Et si opus foret in magno caumate pharmacum sumere, tunc cum aquis vel potius decoctis oxalidis seu acetosæ, Endiuiæ, Borraginis, Violarum, Cichorii, Lupulorum ac Passularum ebibatur, prout expediens fuerit, periti etiam medici cõsilio. Cæterum nullum eorum quæ dicta sunt aut aliorum sumi, admodum copiose debebit. Siquidem nonnulli (ait Galen.) in præsens gaudent, si copiosius desederint; verum quando magis sunt vacuati, tanto his venter sequentibus diebus magis adstringitur; id quod verissimum esse, præter ratione ipsam quotidiana fere experientia videmus; qua de re præstat in talibus oleo per inferna infuso, aut re alia leniente, aluum ducere. Sed hoc Germanis vt plurimũ ægre quis persuadeat, qui per os malunt remedia sumere, tantus eos ea in re tenet pudor.

5. de Tuenda.

Aluũ post solutionem adstringi.

Somnus.

QVoniam autem sani maximam somni curam habere debent, ne diminutus neve superfluus, sed temperatus existat, quo eius ipsius percipiantur commoda, & vigiliarum fugiantur incommoda; idcirco nonnulla de somno & vigiliis admonere decreuimus, quorum illud apertissimum sit, ne modũ excedant. Vtraq. enim supra modum facta (teste Hipp.) impedimenta afferunt. Nimius etenim somnus cum pluri humore, tum superfluitatũ omniũ præter sudorem, retentione, grauat atq. debilitat ac veluti elixat, & etiam sensus omnes obtenebrat instar plurimi cineris operientis ignem extinguentisque: ita vt Auicenna cum ipsum obesse animæ pronuntiarit. e contra moderatus a cibo somnus corpus vniuersum humectum reddit, huiusq. penitissimas quasq. partes irrorare creditur, facultatesq. nostras exuscitare, ac sensoria innouata redintegrare, naturalemq. vnà spiritum, vitalemq. & animalem, ac veluti de

2. Aph. 3.

Nimius.

Moderatus.

...nuo corpus totum reficere. Ante cibum exiccã-...um præstat, corporisq. nostri madorem omnem ...ascitur, interius se agente calore: Nihil enim ali-...est somnus quam sensuum detentio suauior quę-...n, calorisq. ad interna reuocatio, isq; si alimentum ...od satis sit appositum sibi offenderit, conficit hoc, ...vniuersum corpus distribuit: idemq præstat, cru-...res aliquos atq incoctos humores nactus: Sic por...it, vt ad hunc modum somni cibum præcedentes ...mmendentur. nullo vero reperto hic alimento, ...iliares naturalesque humores inuadunt, hosque ...os absumunt. Superfluæ item vigiliæ omnes vir-...es & principes vitæ functiones impediunt quod ...iuum calorem (vt Auerrois inquit) refrigerant ...tar ignis qui nimio motu difflatur: Tũ vero spiri-...n resoluunt, & maxime debilitant cerebrum, ac ...primo vapore oppletum reddunt. Temperatus ...co somnus (vt antea dictum) vitalem vim roborat, ...virtutem naturalem potentem efficit suas perfici-...di operationes, quarum potissima cibi concoctio ...quinetiam virtutem animalem requiescere facit ...bilitatemq. e studiis & laboribus contingentem ...mouet. Ambiget vero quis de somni mensura, an ...nta esse debeat, quantam ab Hippoc constitutam ...gimus: quippe qui somnum laudabilem & natura-...m eum pronuntiat, qui noctem non effugiat, & ...em non impediat. Qui veterum mos esse videtur si ...omero credimus, qui hominum mores & studia di-...genter conscripsit. inclinato enim sole, facit homi-...m ab opere cessare: exorto autem, ad obeunda mu...era excitare bona ex parte videtur: vt totam no-...em dormiendum, diem autem vigilandum esse ...itarit. Nec ab re alibi ventres hieme & vere cali-...issimos, & somnos longissimos esse dixit Hipp. Inter ...iurnas vero somni horas minus malum esse matu-...num tempus vsq. ad tertiam diei horam, in Præfa-

Ante cibum.

Quid sit somnus.

Vigiliæ superfluæ.

Somni mensura.

1. aph. 16.

giis enuntiauit. Sed quia consuetudinis ratio maxima habenda est, vt idem Hipp. alibi innuit, idcirco hieme noctes integras dormiendas nõ esse arbitror. Octo namq. horæ ætati & communi consuetudini quorum scribimus satis superq. fuerint, nisi quis imbecillam valde concoquendi vim in ventriculo nactus sit. Æstate vero æqualem nocti somnum laudamus, quoniam breuiores sint noctes: quinetiam spirituum dissolutionem & siccitatem per somni mensuram largiorem compensasse iuuerit, vt matutinis horis ac etiam meridie si opus sit, nonnihil somni acceptasse præsto sit: quanquam meridianum somnum euitasse, nisi forte maxima obstet consuetudo, ac præsidiũ ex eo persentiscas, rectius est: quod humectantes morbos & humorum defluxum pariat, corrumpat colorem, inflet splenem, neruos laxet, pigritiam generet, appetitum debilitet, ad abscessusq. & febres præparet. Sed, vt diximus, tantã vim habet consuetudo, vt in naturam transeat: & quemadmodum ex sapientum testimonio, sunt homines, qui prauos cibos edere consueuerunt, nec obsunt illis: ita de somno censendum est, præsertim quando viget necessitas, quia vigilatum antea sit, ac spiritus calore & labore mentis vel corporis, magnopere dissoluti existant: quippe qui instaurationem quærentes, ad interna se recipiant: Vnde relictis sensibus, contingit somnus. Quid enim aliud est somnus quã sensuum vinculum quo requiescunt, vnde quies nominatur? Attamen hortor, vt æstiuo præsertim tempore, vna ad minus post prandium elapsa hora omni cogitatione & cura vacuus, aut leuis rei cuiuspiam & facilis lectione recreatus, sedeas: & absque somno quiescas. Hęc enim requies cum plurimis non minus atq somnus, imo fortasse magis conferre solet, quia commoda absq. incommodis afferat: colliguntur enim spiritus, & laxata mentis cogitatione, admodum

refo-

2 Præ. 11. Somni spatium.

Meridianus somnus.

Consuetudinis vis.

Quid somnus.

Æstate vt fallendus somnus.

ocillantur. Quod si coëgerit somnus,& tanquã fur
olauerit,(hoc .n. epithetо sapientes Græci somnũ
pellare non dubitant)capite erecto,thalamiq. oc-
sis fenestris,per vnius horæ spatium dormies. Il-
l vero diligentissime obseruandum est, ne illico
st cœnam dormias.sed inter cœnã & somnum con
niens interuallum ad minus horæ vnius cum dimi
intercedat. Expectandum namq. est donec cibus
uperiore parte ventriculi ad inferiorem descẽdat:
od vt citius & facilius fiat,post cœnam leuiter am-
landum est:Sic enĩ fiet vt somnus quietior & con-
uatior sit,& cerebrum a vaporibus qui ascendere
ẽt, quum in ore ventriculi diutius moratur cibus,
ge minus grauatum sit. Decubitus vero si longi-
ula post cœnam mora fuerit, tum ambulatio iu-
rit ita vt cibus ad ventriculi partẽ imam deuene
super sinistrum latus fiet: quoniam hepar super
ntriculum hoc in situ melius adiacet, & coctioni
festo nimirum est. Super ventrem item dormire
timum est, quoniam situs hic calorẽ continet na-
alem,quo cibus concoquitur. Quod si forte pri-
quam cibus de oreventriculi descendat,aliquo ca-
dormiendum sit primo super dextrum latus cubã-
m fuerit, donec cibus a superiori parte descende-
:(os namq. ventriculi in sinistra locatum est par-
tunc enim ad sinistrum aut super ventrem voluẽ-
m est corpus, vt cõcoqui in parte carnosiore ac ca-
iore, non absq. nominatis præsidiis, facile possit.
pinus autem vitãdus est situs, quoniam ad prauos
orbos præparat, vt lethargiam, incubũ, apoplexiã:
c sine causa: materias namq. ad posteriora & occi-
t hic situs inclinat.easq. ne per proprios exeant ca-
es videlicet palatum &nares,prohibet. Posteaquã
to conueniens somni mensura expleta est, fricati
es,vt supra diximus,primum tibiis, deinde brachi-
anteriori & posteriori parti corporis adhibendæ

Non illico a cœna dormiẽdum.

Qualis in somno decubitus habendus.

Quid a somno agendum.

ſunt,corpuſque induendum & fęces veſicę,tum alui excrementa deponenda ſunt, tum caput fricandum & pectendum,totumq. corpus extendendum eſt: oculique ſi opus ſit, roſacea & fœniculi aqua lauandi ſunt; denteſq. aliquo dentifricio abſtergendi,tum aliquid maſtiches,aut galãgæ bonæ,aut (ſi pituita magis infeſtet) radicis herbæ quam Imperatoriam ſeu magiſtrantiam vocant,maſticandũ eſt:quia ſuperfluas humiditates a capite extrahunt, capitiq. ac ventriculo ſublime præſidium adferunt. Quinetiam poſt cænam ſi forte dormiendum citius fuerit, aut repletior ſit ventriculus,aut debilior, ac præſertim humidiore cælo, hæc maſticaſſe contulerit, aut thuris albiſſimi granulum vnum aut alterum deglutiiſſe. Sed de iis hactenus. Nunc ad reliqua tranſeamus.

Maſticatoria.

Animi accidentia.

CVm vero maxima corporis & animi cõnexio ſit, vt ſola imaginatione multas & varias tum ingentes corporis mutationes,quinetiam mortem fieri videamus,ad ſanitatem ſeruandam bene compoſitum animum plurimum conferre putamus. Recte igitur in Canticis Auicenna ad morbos euitandos maximam curam animi habẽdam eſſe notauit: quod ante ipſum Galen.pronuntiauit abſtinẽdum eſſe ab intemperantia harum omnium animæ affectionũ, iræ & triſtitiæ,furoris &timoris,inuidiæ,& ſolicitudinis: quia exterminant & mutant, ab eaq. ſecundum naturam eſt conſiſtentia. Moderata vero lætitia, cũ ad omnes animi functiones perficiendas, tum vel maxime ad concoctionem celebrandam, vt triſtitia ad tollendam, impenſo auxilio eſt: a triſtitia igitur ſiue deſperatione, (nã ſpiritus triſtis exiccat oſſa) cauendum eſt omnino, lætitiæque Chriſtianæ, (non Epicureæ) incumbendum. Nam, vt Auicen. inquit, Lætandi frequentia diſponit ad lætitiam, quam duo maxima ſequuntur commoda: Vnum eſt robur virtutis naturalis: tum ſpirituum regeneratio aſſidua, & ma-

Moderatio animi & conſtantia habenda.

Lætitia.

Triſtitia. Salomon in Prou.

& minima illorum dissolutio sequitur: Alterum autem est eius ipsius spiritus dilatio. Sensum præterea temperate oblectare iuuat, vt visum pulchritudine rerum: auditum harmonia, odoratum suaui odore, qualis æstate est aquæ rosaceæ odor: non dixi rosarum aut violarum, quoniam sua humiditate replēt caput vapore. Hieme vero ligni aloës, quod cerebrū ac cor & viscera, tum sensus omnes confortat, mirificeq; lætificat. A calidis vero nimium & acutis odoribus cauēdum, quoniam ad cerebrum vapores mittunt. Gustatum vero sapore medio, qualis est qui e sacchraro & granatorum succo aut cotoneorum per decoctionem spissato conficitur: aut simili temperato, nec excedente qualitate infesto.

Sensuum propria oblectatio.

Odoratus.

Gustus.

De Venere.

TActus autem delectatio & voluptas perquam mediocris esse debet: etenim dum excedit, spiritum & calorem innatum supra modum resoluit, humidumq. radicale seu naturale quo natiuus alitur calor, exiccat: vnde morbi, ne dicam mors, eam ob causam, citius quam ferat natura, accidunt. Quamobrem cum in coitu maxima spirituum resolutio fiat, ab illius excessu magnopere (præsertim literarum studiosis & macris) cauendum est: tametsi consuetudinis (vt sæpe dictum est) rationem habendam ducimus. Paulatim (vt Hipp. ait) ex vno ad aliud trāsire licet, & non aliter: Vnde Galen. & ante ipsum Arist. in Problematib. naturæ infensas mutationes repentinas affirmat, Dionysiumq. pulsum regno, propter continentiam ægrotasse concludit, cum repente ex incontinenti factus esset cōtinens. Ita cum Galeno concludamus: Quod Venereorum vsus concedi potest, si tm̄ interualli in eorum vsu adhibeatur, vt neq; resolutio aliqua sentiatur, & ipse seipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare videatur. Illud vero ex ratione & experientia addiderim,

Tactus.

Coitus magna nocumenta.

2. Aph. 51.

Consuetudinis vis.

Artis medica ca. 86.

tutius esse raro quam frequenter coire: quoniã præter multa & magna incommoda quæ nimius affert coitus, illud maximum est, quod cerebrum & cor debilitat, totũq; corpus exiccat: propterea quod de substantia postremi alimenti euacuat. Sperma enim vt Arist. ait, est vltimum alimenti vtilis: tum etiam, vt diximus, quod propter voluptaté quæ maxima est, nimia spirituum & natiui caloris dissolutio fit, & vẽtriculus præcipue læditur, sicut eius opportuna abstinentia iuuatur. Non ab re putauit Auicenna magis obesse, si modicum quid spermatis fluat per cõcubitum supra quam natura toleret, quam si quadragies plus sanguinis promanauerit. Nam semen res est natiuo calori & humido conformior ac spirituali or quã sanguis. Venus præterea siccis temperamentis inimicissima est: necnon frigidis. innoxia vero (moderato vsu) iis tantum est qui calidi sunt & humidi, tũ vero qui genitura naturaliter abundant. Gal. statũ corporum eorum dicit esse pessimum, qui genitale semen copiosum calidumq; gignũt, quod eos ad expulsionem sui prorritat: postquam & ventris os illis resoluitur, & ipsi toto corpore non solum relaxãtur, imbecillíq; fiunt, sed etiam sicci, graciles, pallidi, cauisq; oculis conspiciuntur, quibus ipse remedia affatim ibidem præscribit. Sed si quis calida impense cibaria, & flatuosa potensq; vinum ac multum deuitet venereasq; imaginationes & similes voluptates fugiat non facile a Venere tentabitur: pariter si philosophiæ moralis sacrarumq; literarum studiis se dedat, & ocia penitus ableget: pulchrarumq; mulierũ, quantum fieri potest, consortia. Vsus etiam seminis salicis Amerinæ seu viticis, non parum modis omnibus confert. Si lumbi nimis sint calidi vngantur Violaceo aut potius Nenupharino oleo, & genitalia pariter: plumeus lectus ablegetur: quidam aqua gelida verenda macerant presentaneo remedio. Qui Nym-

Nimia Veneris incommoda.

Venus quibus innoxia.

De Tuen. sanit. 6.

Venerem vt quis deuitet.

pheam

phæam.12 diebus bibunt, genitura & coitu priuantur. Sed deniq lauta copiosaq cibaria dimittantur præter necessarium tuendæ sanitatis vsum. nā Venter, Pluma, Venus, laudem fugienda sequenti. Memini me aliquando legisse, referente Chrysostomo, Christum dominum nostrum dum in terris ageret, ita parum comedisse ac bibisse, vt superfluum illud alimentis non generarit. Sed in hac re, vt in multis aliis, paucissimos illum habere imitatores puto, & si pleriq. in ore habeant, omnem Christi actionem, nostram esse instructionem. ad finem rei propositæ accedamus. Quum vero natura appetens coitus est, nō cogitatione, nec concitata extrinsecus, sed multitudine spermatis incitata, eligenda hora fuerit opportuna. Enimuero postquam cibus concoctus est, non tamen fames adest, coeundum est: vt inde etiam somnus aut quies sequatur, quæ lassitudinem illam ex coitu contractam tollat, aut saltem leniat. Potius enim (si errandum est) super cibum, quam supra nimiam alimenti indigentiam (vt Gal. docet) peccandum est. melius enim (id est minus malum) est calefacto magis quam infrigidato & pleno, quam vacuo: & humecto potius corpore, quam exiccato, vti Venereis, docuerat autem prius temperiem in his eligendam esse: vt non super calefactum non infrigidatum, non humectum, non siccatum: non repletum, non exinanitum sit corpus. Neq. h c eam Solonis legem habere locum velim, qua cauerat, cum longius abstinerent, vt ter in mense omnino congrederetur vir cum vxore: cum multis vel semel nimium sit. nec coitus res sit necessaria ad indiuidui conseruationem sed speciei tantum. Sed Ethnico Soloni relinquatur sua lex. Accidit studiosis sæpius vt p.tui tolus succus capite in frigidum natura ventriculum decurrat, quibus non difficile succurritur, si mane aliquid medicaminis seu confectionis diatrion piperे-

Tempus coitus.

Loco qui supra.

Solonis lex explosa.

Ventriculo frigido vt succurratur.

on nempe drachmam vnã vel alteram, sumpserint.
Sed & piper solum, præcipue quod album est, cõminutum, atq. aquę immixtum, bibere iis licet, vel zingiberis conditi parum, aut chebulum conditum summo mane sumant.

Aër. AErem, tametsi postremo describimus qualis in cõseruanda sanitate eligi debeat, eum tamen præcipuum nec aliis minus curandum ducimus: assidue namq. eum ipsum inspirare necesse est, vt competẽs refrigerium cordi & spiritibus adferat: Hæc enim inter alias maxima homini necessitas est, vt vix momẽto temporis viuere valeat, nisi nouus ad cor refrigerandum aër adueniat. Optimum itaq. hoc est, purissimum in pulmones trahere, omnibus iuxta salubre est. Nam impurus aër, omni ætati aduersatur. At vero quæ ex calore, frigore, siccitate, humiditateque diuersitas aëris contingit, non perinde se ad omnes homines habet: sed corporibus quęoptimo sunt temperamento etiam optime temperatus aër est saluberrimus. In quibus vero aliqua exuperans qualitas dominatur, iis vtilissimus aër est qui ei qualitati pari gradu aduersatur: mutatur enim temperamentum contraria victus ratione: custoditur simili. Obseruãdum igitur (qua fieri potest) ne in corrupto & fœtido aut turbato in aere, tum valde frigido aut nimiũ calido nimisve humido degas, aut flatibus vaporosis exposito, quales sunt qui de meridionali plaga ad nos perueniunt. Degendum hieme in loco aprico versus orientem exposito: semper tamen a Solis radiis, meridie præsertim, vitandum est caput: quoniã præterquam quod caput calefaciunt, materias etiam ad ipsum trahunt: quamobrem grauitatis nonnunquam & fluxus sanguinis narium causa sunt. Magis autem Lunares radii præcipue cum dormitur, fugiẽdi sunt. Prauos etenim morbos efficiunt, propterea quod Luna mouet humores. Pariter nocturnum aërem

Aër vtva riandus.

Hiemis habitatio.

tem fugiendum censemus, quoniam Sol vitæ dator a nostro discessit Hemisphærio. Quod si forte hieme turbatus (qui animam vt inquit Auicen. tristificat) & caliginosus sit aër, aliqua (si non ex omni datum sit) parte compensandus est: quod fiet si domi aut operto loco cum plusculas diei horas traxeris: tum vero thalamum in quo degis, laudabilium lignorum exustione calfacias, vel tum iuniperi aut ligni aloes suffitum adhibeas. Æstate vero temperatior locus eligendus est, cuius fenestræ versus Septentrionalem plagam sitæ in propatulo sint: &, si opus est, aqua rosacea & aceto rorandus est thalamus, præsertim cum fœtor, aut aliâs fortasse malus vapor fusus in aëre sit. Auicenna montanum aërem æstate laudat & superiorem domus partem nocte, inferiorem die habitandam censet. Habitationẽ Arist. elegit altam ad meridiem orientemq. spectantem, sub aëre subtili, nec humido nec frigido. Et Plato lõgæuos in altissimis atque temperatis reperit regionibus. Illud vero sciendũ est, aërem sublimiori parte vbi a radiis Solis reflexis non incalescit, frigidũ esse: & quo altior est, eo frigidior: Ob id habitare mediis in domibus hieme, sublimibus in æstate, optimum est. Cauendum inter reliqua (quod ad exercitium spectat etiam) ne dum incalueris, te vento aut gelido aëri exponas: quod huiuscemodi mutationes naturam plurimũ lędunt, frigusq. cum meatus obstruendo humorum refrigeriũ & vaporum diffiationem impedit, tum innato calori, cerebroq. potissimum & neruis officit. In vniuersum autem Hipp sententia præ oculis habenda est, cuius verba citasse non piguit: ait enim plurimũ atq. repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum: quoniam omne nimis est naturæ inimicum: Sed quod paulatim fit, tutum est, tum alias, tum cum ab altero ad alterum transitus fit. Deniq. cum

Æstatis habitatio.

Aëris electio.

Repentinã omnẽ mutationem esse fugiendam.

1. Aph. 15. Ne quid nimis.

Nocenti aëri cum contrariis resistendũ. magnus in aëre existit ardor, danda maior opera est, vti frigido in aëre degatur: tum & cibis qui & humectent & refrigerent vescendum, & in vniuersum regimine frigido & humido ad calitatem & siccitatem aeris frenandas vtere: sicut dum frigida & humida inualescit hiems, calidiorem & sicciorem victum adhibere vtilissimum est. Exiccatiuum autem regimen primo vere potissimum, autumno autem humectatiuum, laudatur. Æstate vero & autumno fugienda exiccatio est. Conuenienti autem regimine tempori æstiuo & in fine veris & principio autumni vtendum: at principio veris & fine autumni, simile regimen hiemali esse debet.

Victus qualitas vt varianda.

Sũma salubris victus. Coronidis tandem vice memineris amice & candide lector, optime dictum esse illud, Cibis haud satiari, impigrum esse ad laborem, genitale semen conseruare, res esse longe saluberrimas: atq. Aristot. in Problematis, Hippocratem imitatum, vniuersam bonæ valetudinis rationem in cibi ac potus parcitatem & laboris mediocritatem, referre. Cum autem etiam propter peccata veniant aduersa, non obliuiscamur in nostra nos legitima vocatione seu vitæ genere, Deo patri nostro approbare: atq. abnegata impietate, & mundanis concupiscentiis, sobrie, iusteq. & pie viuamus in præsenti seculo, expectantes beatã illam spem, & illustrationem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Sect. 1. prob. 47. 6 Epid. par. 4. Aph. 20.

Vt Christiane viuendum. Paul. ad Tit. 2.

FINIS.

GVILIELMI GRATAROLI BERGOMATIS MEDICI CLARISSIMI,

DE MEMORIA REPARANDA, AVGENDA, CONSERVANDAQVE, AC DE REMINISCENTIA; tutiora omnimoda remedia, præceptionesque optimæ.

Liber, cuiusuis facultatis studiosis apprime vtilis, immo maxime necessarius.



15 91.

FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum, & Petrum Fischerum, consortes.

SERENISSIMO AC PIO BOHEMIÆ REGI MAXIMILIANO

perpetuam felicitatem a Domino Deo precatur Gulielmus Gratarolus Doctor Medicus,

DVM postremam, inclyte Rex, meorum opusculorum editionem paro, in qua plus annum eam conatus sum adhibere diligentiam quam Horatius intelligit, cum in nonum annum premi lucubrationes iubet: contingit, vt literas acceperim a nobili doctissimoque iurisconsulto & paternæ Regiæ maiestatis, tuæque prudentissimo consiliario D. Gasparo a Nydbrück, qui (vt etiam tua nouit serenitas) in sua ista florenti ætate non solum mores hominum ac multorum vidit vrbes, verumetiam apprime studiosus est omnis fere generis bonorum librorum scrutator & collector: quibus in literis scribit librum meum superiori editione maiestati tuæ dedicatum ac datum, ab eadem clementer ac benigne susceptum, & ab omnibus tuæ serenitatis atque serenissimæ Reginæ medicis plurimum commendatum fuisse. quorum omnium tanti equidem iudicium facio, vt non adeo curem si fortasse pluribus aliis minus placuerit. non igitur augustius nomē vnquam opto, sub cuius perpetuo splendore ac patrocinio nunc longe nitentius opus in ampliorem exeat lucem: tua namque maiestas (vt superiori quoque tempore scripsi) animo meo semper arrisit, quum variis de caussis quas longum esset recensere, tum quia inter cæteros Principes ac Reges, non tantum apud potentes Germanos, & bellicosos Hispanos, sed etiam Italos (vt alias quas non noui gentes omittā) sancte audiat tua optimæ spei maiestas: faxitq; omnipotens Deus, vt indies, quoad fieri iuste potest, vna cum nomine crescat & res. Huc accedit quod etiam intellexerim, ornatissimā apud T. M. perstrui bibliothecam tali Rege non indignam,

in qua spero, non postremam partem obtinebit liber meus, qui priore sui parte mirum in modum eos iuuabit, qui ex ea vel quacunque alia librorum supellectile proficere in ediscendo voluerint: eorum namq; libellorum vnus est De Memoria recuperanda conseruandaq;: secundus De Physiognomia: tertius Prognostica perpetua certaq; continet. Caeterum cum sapientis & philosophi proprium sit rationem & causam sui operis reddere, dicam breuissime, quid me potissimum ad haec mouerit. In tanta librorum ac discentium copia, videbar mihi ita monente Deo, rem studiosis non inutilem me facturum, si de Memoria (& si argumenti talis plura bona aliâs extent opuscula) succincte praecepta & selectissima remedia indicarem: quam si quis iustis praeconiis ornare velit, multas opplebit chartas, actumq; aget. Quis enim est qui nesciat Memoriam vniuersorum sensuum communem fore arcam? siquidem quicquid vel oculis conspicimus, vel auribus haurimus, aut deniq; ipsa mente concipimus, vsui ac meditationi seruat: de qua Seneca in praefatione libri Declamationum: Memoria, inquit, est res ex omnibus partibus animi maxime delicata & fragilis in quam primum senectus incurrit, &c. De Physiognomia itidem non est quod multa praefari velim: nam si concesserimus (vt concedere par est) sapientissimum Deum non ab re corporum atq; hominum varietatem fecisse; dubio procul fatebimur, hanc diiudicandi facultatem probe tractatam, & vtilem admodum & bonam esse. Cum enim sine vllius rei adminiculo solus Deus in corde videat, magisq; animae quam corporis scrutator existat, homo tantum in facie & ab extrinsecis intrinseca cognoscit. Quis cordatus princeps seruum in familiam accersat, nisi ante solerti examine ex facie mentis nota, ex oculis animae fenestris, & ex omni deniq; corporis situ & specie naturam illius rimetur atq; exploret, num frugi & rei familiari vsui futurus sit? Proditum est memoria, Pythagoram a principio statim adolescentes prius quam in disciplinam suam admitterentur, φυσιογνωμονεῖν consueuisse; hoc est, indolem ex oris, vultus, totiusq; corporis serie atq; habitu scrutatum, num ad philosophandũ apti essent: quod reluctante genio haud

feliciter

feliciter aliquid cedat. Quamuis autem illud interdum præter communem philosophorum fidem & sententiam longe secus euenire cernat, vt e corpore deformi insignes prodeant virtutes, hoc tamen eatenus fieri existimandum est, quatenus animus diuini numinis afflatu, philosophiæq; adminiculis adiutus, externas omnes virtutiq; contrarias exuit affectiones, & rebus honestis inuigilat: vt Socratis, inter cæteros, exemplo notum est. Cum enim Zopirus ex solis lineamentis coniecturam faciens, diceret, eum multis vitiis obnoxium esse, fatebatur Socrates se natura propensum ad ea vitia esse, sed commemorabat se ratione ac diligentia regere ac coercere. Illorumq; opiniones explodendæ sunt, qui cæco quodam iudicio vanam physiognomiæ artem censent, quæ iam a priscis illis statim temporibus ad hãc nostram vsq; ætatem longissimis obseruationibus, multo rerum vsu, variisq; euentibus comprobata, ex certis & peculiaribus corporis humani indiciis naturam inuestigandam tradidit. Nec me latet humanam naturam moribus, doctrina, & legibus constrictam, sæpius scelera occultare, ac probitatem honestatemq; præ se ferre: attamen vt timidus ex fuga aliquando cognoscitur: ita passionibus aliis alij affectus dignoscuntur: ac (vt inquit ille) Heu quam difficile est crimen non prodere vultu. Et quamuis non pari modo mortales affectus & detegant, & aperiant, nemo tamen ad harum alteram partium tam caute inclinat animum, quin tempore procedente deprehendi queat, siue is secunda eleuetur sorte, siue egestate prematur. id enim quod casu fit, siue virtutis, siue vitij speciem gerat, ordinem minime statuit: sed qua in parte mens affixa maneat speculandũ est, indeq; actiones nominandæ sunt. Tertium De perpetuis prognosticis adieci, cum viderem quot annis incertas prædictiones fallacesq; (causa equidem difficillimæ astrorum scientiæ, ac humani ingenij cæcitate atq; audacia) inuulgari volens nimirum ex iis quæ sub sensibus cadunt, ostendere longe certiorem esse prædictionem. Non nouas artes scientiasve propterea me allaturum nunc polliceor, verum earum quæ a clarissimis viris inuentæ sunt, partem vtiliorem aliquam dilucidare ac facilem reddere augereq; nitimur. Neq; illud a me expectetur in his

opusculis, quo varios adducam sæpius autores, cum nullam fere autoritatem expostulem, præterquam experientia ipsa exhibebit. Quod ad stilum spectat, vsus sum (id postulante operis materia) non Latinissimis verbis & abstrusis, sed perspicuitate qua potui, id est, vocabulis plurimum vsitatis seruata illorum significatione. Nunc serenissime Rex luculentius meæ erga T. M perpetuæ obseruantiæ symbolum dare non potui: neq; ego, vt moris est, partem aliquam tuarum laudum attingam, quod nec idoneus sim tanto muneri, nec hactenus defuerint aut defuturi sint doctissimi viri, qui hanc prouinciam subierint. Quamuis, vtpote qui bonorum principum exemplum iam esse inceperis, humanis laudibus non egeas, satis ex re ipsa commendatus. Me vero tuæ Maiestati humillime commendo ac dedo. Christus Deus optimus maximus M. T. quam diutissime incolumem ac florentem suis donis augeat ac seruet. Basileæ Cal. Febr.

M. D. LIIII.

LIBER HIC DE MEMOria & reminiſcentia diuidetur in capita ſeptem.

Primum caput declarat quid ſit Memoria, vbi vigeat, quam vtilis & neceſſaria ſit, &c.
Secundum potiſſimas, quibus lędatur, cauſas, earumque notas continet & curationem.
Tertium quomodocunque memoriæ nocentia præcipua oſtendit.
Quartum ſimiliter iuuantia particularia enumerat.
Quintum nonnulla probatiora ſelectioraq. medica remedia compoſita continet, ſeruantia multũque augentia memoriam.
Sextum philoſophica conſilia, canones, & præcepta reminiſcentiæ narrabit.
Septimum caput breui ſermone de locali vel artificioſa memoria agit.
Dictorum breuis epilogus vltimo ponitur.

QVID SIT MEMORIA, VBI VIGEAT, QVAM *vtilis & necessaria sit,*

CAPVT PRIMVM.

Memoria est, per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Vel, Est firma animi rerum & verborum dispositionis perceptio. Aut (vt Aristoteles opinatur) imaginatio est, quæ ab his quæ sensus deprehenderat, remanet. Platonis autem sententia, Memoria est sensus & incolumitas: nam anima sensuum officio adipiscitur quæcumque sub sensum cadunt, indeque opinionis origo est. Sed per mentem ipsam intellectualia animaduertit, & intelligētia fit. At memoria amissa per reminiscentiam denuo resumitur: nā cum obliuio siue memoriæ amissio duplex sit, perpetua videlicet & temporanea; in hac quidem reminiscentia agit, de qua inferius suo loco dicetur. neq. alterius partis animæ aut cerebri est effictio seu imaginatio, alterius vero memoria: sed in subiecto eodem insunt, atq eiusdem partis animæ functiones, & vtraq. est totius cerebri, in cuius toto corpore fusa est princeps sentiendi anima: non absque ratione tamen antiqui dixere diuersas capitis ac cerebri partes ab his animæ functionibus occupari. Sedem igitur habet memoria in occipitio in

tertio

tertio vocato ventriculo, quem & puppim vocant. Longum esset ac pene superfluum hic (vbi studeo breuitati) cerebri totius anatomen describere, quã in multorum libris videre licet, præsertim doctissimi pariter & diligentissimi Andreæ Vesalii. Dicam tamen aliquid breuissime ad rem nostram propius faciens. Tres animæ operationes sunt in cerebro, phantasia seu imaginatiua, ratiocinatio, & memoria. Primæ duæ in duobus ventriculis cerebri maioribus, tertia in tertio & minori exercetur. Inter cerebri caua animalis spiritus tenuis purus, mundissimusque versatur, atque talis defertur memoriæ: quæ quidẽ claritate & subtilitate spiritus indiget. Quod si non aperiatur via illa qua transit spiritus ad puppim cerebri, nihil homo reminiscitur: & contra qui velocem habent huiusce viæ aperitionem, prudentes sunt, & velociter respondent; vt sunt quidam cholerici: qui vero pigram illam & tardam habent, pigri sunt & tardi ad discendum atq. respondendũ; suntq. tales vt plurimũ phlegmatici vel melancholici, crassisq. ac multis cibis ac potibus vtentes. Rari quidem reperiuntur, qui felici ingenio, & fœcunda memoria dotati a natura sint. siquidem ingenium subtilem & mollem cerebri substantiam, memoria permanentem indicat. Dicit quoq. Galenus capite duodecimo Artis medicinalis, ingenium quidem subtilem cerebri substantiam indicat. tarditas vero intellectus crassam, &c. Huic functioni deseruiens spiritus, a corde per arterias ad caput subuolat, & exterius nos cingẽte aere alitur, diuturnitatemq. consequitur. Et deniqua conueniunt physici omnes, Memoriam potissimum pollere ex bona temperatura organi sedisve, in qua hanc functionem anima exercet. Indicium etiam erit eos valere memoria, quibus in posteriora caput protuberat: eandem infirmum experiuntur quibus ibidem velut complanatum ceruici exequa-

tur. Sciendumque quod sapere fit ex spirituum bonitate: boni vero spiritus sunt qui claritate ac motu temperati sunt & subtilitate. Plato in Theęteto: Non recte, inquit, anima se habet in denso, aut lutulento, aut molli nimis, aut duro. Intemperies autem multifariam contingit: nam ex vtero quis tam validam nonnunquam contrahit, vt non solum memoria, sed & ratio lædatur, atque ita stultitia fiat: cuius inter cætera signa, vt habet Aristoteles primo De Animalium natura, sunt prægrandes & erectæ aures: Si Solem, Arietem aut Scorpium peruagantem aliquo nascente Luna adeat, ei cerebrũ adeo affligit, vt melancholica passio paululũ adultis oboriatur. Ex prauo itẽ victu frequens est cerebri intẽperatura; quandoq. ex insalubri ambientis aeris constitutione: nam vetus est dictũ, vbi sit siccior aer, ibi fere etiam esse acriora ingenia, animamq. prudentiorem seu promptiorẽ: sic crassum cælũ & pingue, ingenia gignit hebetiora. Eadem diætæ est ratio, vt etiam habet Gal. in libro, Quod animi mores, &c. Quinetiam ex casu, ex percussione, ex morbo & aliis id genus iniuriis labefactatur, quorum exempla varia & ex Thucyd li 2. belli Pelop. & ex aliis haberi possunt quidam ictus lapide, oblitus est tantũ literas, ex præalto tecto lapsus, matris, affinium & propinquorum cepit obliuionẽ: sui vero nominis oblitus est Messalla Coruinus orator. Ecce igitur quam fragilis sit omnium preciosissimus hominis thesaurus. Memoria inter humanę naturæ commoda teste etiam Seneca. primum sibi locum vẽdicat: nam multa legere studiosis facile, multaq. intelligere bono atq. exercitato ingenio nõ difficile est; verum ea congerere, & in memoriæ scrinio conseruare, ita vt non effluant necessarium ac præcipuum humanæ vitæ bonum. Vt testatur Plin. lib. 7. c. 24. Cyrus Persarum rex omnes suos milites nominatim appellabat. Mithridates duarum & viginti genti-

gentium rex, totidem linguas absq. interprete & audiebat & alloquebatur; nec desunt innumera pene quorumcunq temporum exempla præstantissimæ in hominibus memoriæ. Quibus igitur non est tam excellens memoria, labore vt eam assequantur, opus est, sine qua vix in virum excellentem quisquã emerget: fieri enim solet, vt quantum quisq. memoria emineat, tantum eniteat & sapientia, nisi sit somnolentus, atq. ociosus. Et poëtæ non abre sapientiam memoriæ filiam finxerunt: ac de ipsa recte scriptum est, *Vsus me genuit, mater peperit memoria*. Nonnulli iam ætate prouecti, hac arte freti, ad literas se conferentes, non multis mensibus in viros euasere doctissimos. Quo igitur pacto ea acquiri augerive possit ac seruari, hoc opere disseremus. Constat autem cum pluribus doctis, tum vero Ciceroni, memoriam habere quiddam artificii, & non omnem a natura proficisci: Sic igitur & nos prius docebimus quo victus genere, quibusve medicaminibus ea acquiri firmariq. possit, breuia, clara, vsuq. probata ponentes: postea, de artificiosa memoria, quę eadem ipsa est naturalis, sed præceptionibus quibusdam firmatur, ac obseruationibus, locis, imaginibusque constat, succincte agemus.

Caput secundum, præcipuas quibus lædatur causas, earumq. notas & curationem continet.

DVæ sunt causæ principales quæ obsunt memorię, frigiditas & humiditas: quæ frigiditas vel sola est, vel cum humiditate coniuncta: omittemus corruptionem quæ fit a calido & sicco intensis. plus tamen nocet frigiditas humiditate: ea siquidem confundit naturam, neq. eius opus ingreditur nisi tanquam subdominans instrumentum. Humiditas vero retentiuæ contrariatur, quæ sicco proportionato confortatur: nam siccitas superflua nocet, presertim

apprehensioni, dum impedit ne insigillentur formę. Frigidi est sistere, & calidi mouere: ergo frigiditas impedit motum necessarium ad memorandum Retentionem vero impedit humiditas. Denique cum frigiditatis filia sit obliuio, vt & Paulus Ægineta, & reliqui tenent, dicendum ac tenendum est, eam magis obesse memoriæ, quàm noceat humiditas. Propter frigiditatem enim quę humores & spiritus congelauit, spectrum seu species imprimi non potest. Quorum igitur memoria vel intellectus perit, somnos etiam obseruare oportet, vtrum vehementer an modice somnolenti sint, aut omnino nō somnolenti, sed secundum naturam habeant. Sic enim vincentem inuenies intemperaturam: nam ex multo ac profundo somno, humiditatem obesse: ex vigilia, siccitatem: ex horum medio æqualitatem & bonam humorum proportionem cognosces. Ad hæc considerandum, vtrum excernat quippiam ex naribus, vel ex ore quod a capite defluat: an aridæ ex toto vel vt plurimum huiusmodi partes sint, atque antecedentium causarum & externarum cognitio capitis dispositionem declarabit, quo idoneam dispositioni curationem adhibere possis. Vbi dominatur cerebri humiditas, multa somni cupiditate tenentur, oris plurima est saliua, & in naribus oculisque pituita frequens: omnes motus hebetes sunt. Tales præsentia recordantur & nuperrime gesta: dudum vero facta, aut nequaquam aut difficile recordantur: nam humiditatis cerebri est facile admittere, & dimittere quaslibet impressiones.

Siccitate dominante, quæ humiditati contraria est, ex contrariis signis indicatur: adsunt enim capitis vigiliæ, leuitates, & rarissima illarum superfluitatum emanatio, quæ a naso, palato, & oculis expelli solet: oculi sunt caui, cito calui fiunt, aurium tum abundabit cerumen. Quantum vero ad memoriam

ſpectat, præſentia difficilius inſcribuntur, & inſcripta diutius tenentur: inde fit, vt quæ antea geſta ſint facilius memorentur & reddantur, quam quæ nuperrime geruntur. Exemplo ſint ſenes, qui geſta ab ineunte ætate recitant ordinatim, præſentia vero non recordantur aut confundunt. Hoc etiam contingit ſenibus: quia ex frequentatis actibus fit habitus: hinc fit vt decrepiti bene recordentur antiqua, quoniam ſæpius circa illa vel illis ſimilia conſiderauerunt: male autem noua: quod illis impreſſio non facile fiat ob duritiam ſenſorii.

Si dominatur frigiditas, his facies albet, lumina languent, venæ inconſpicabiles fiunt, ſomnolenti ſunt partes ad caput attinentes, parum calidæ erunt, nec rubicundæ: mens erit ſtupida, vertigineque grauatum caput, & tardæ rememorationis. Hæc qualitas, vt prædiximus, valde officit, & animi facultates imminuit, inerteſq; efficit: nam vt calidi eſt mouere, ita frigidi econtrario facere: ſcias tamen in vniuerſum, viuentis cerebrum calidius eſſe aere æſtiuo, vt Galenus habet in De vſu partium.

At cum viget in cerebro caliditas, his notis facile innoteſcet: nam quæ circa caput ſunt, calida magis ac rubicunda ſentiuntur: oculos cernes verſatiles, eorumque venas magis apparentes: capilli in lucem editis ſtatim oriuntur, nigri, robuſti, criſpique fiunt: breuibus ſomnis nec profundis contenti ſunt: motuum velocitas & recordationis ineſt. Si vero auctior ſit, & facta innaturalis caliditas, vigiles erunt. Hic nimius calor animales ſpiritus excoquit, in fumoſq; ac fuligines diripit & ſuccos generandis ſpiritibus aptos torrefacit. Qua de re felici vel tuta memoria deſtituuntur.

Si vero duæ qualitates adiungantur, ſigna earum tanta proportione cognoſces, quanta iſtæ qualitates aut intendentur, aut remittentur: nec difficile fuerit:

iudicium ex præmissis; vt si fuerit caliditas & siccitas extra temperiem, aderit permixtio sensus, vel phrenitis iuxta intensiorem gradum qualitatum. constat igitur memoriam posse medicinali artificio seruari, augeri & exiccari, cum constet cum morbo minui, deficere, & deprauari.

Quo itaq. ad curandi rationem, victus primo pro causarum varietate mutatur, vt infra dicemus. Annotandum vero prius est, obliuionem a natura reportatam, non facile remoueri posse, nec quæ a causa calida & sicca fuerit, sano in cæteris corpore. Hoc etiam interdum euenit, vt præter consuetudinem fit diminuta vel abolita memoria; tunc timendum est de peiori ægritudine, nisi ocius succurratur, scilicet Lethargia, Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, cæterisque id genus quæ a phlegmate in cerebro fieri solent, pro quibus ad medicos confugias. Si etiam ob extremā senectam memoria perierit, frustra laborandum ad-mouendis scilicet remediis, non est; sed tantum conueniente victus ratione contentos esse oportet, denturq cibaria & linctuaria humectantia & restaurantia, siccitatemq. arcentia.

Si propter vehementes purgationes cæterasque immodicas inanitiones, vel a siccitate, memorię noxa superuenerit, victu tantum reficiente succurrere oportet; corroborato siquidem corpore, collectisq. viribus memoria reparatur. Cibi conferent igitur succulenti & boni succi, qui facile concoquantur in ventriculo; vinum sit rubrum, maturum, dilutum; exercitia moderata & citra fatigationem; caput clementer fricetur; prolixe dormiāt; molliter cubēt; tepidæ aquæ balneis vtantur; sudationes vitent; capiti abraso epithemata infundantur, vel fomentationes, ex decocto florum chamæmeli, meliloti, seminis lini, hordei decorticati, aut ex lacte recens mulcto; inungatur oleo susino, amygdalino, dialthea, butyro non

non salito. Sumant conseruam boraginis, buglossi, cortices citrei conditas, & similia.

Si a frigida cerebri intemperie sola sine materia malum ortum fuerit, opponatur caliditas frigiditati, & pariter humiditati siccitas, cum temperamento tamen; in caliditate enim & siccitate naturali omnis æqualitatis debet esse proportio, vt ne quid nimis; quia calor naturalis non est purus calor, sed compositus, in quo est proportio omnis æqualitatis. non enim omnis caliditas bonam memoriam facit, nec omnis siccitas; sed quæ proportione respondet temperamento, nec fluat in intemperiem immoderatã, cuius vis est actum propriæ virtutis tollere. Cauendum est ergo ne nimit cerebrum calefaciamus, aut exsiccemus nimis. Et qui temperato est capite, caueat ne medelas apponat. Qui igitur corruptionem memoriæ patiuntur ex immenso calido & sicco, quã coniunctionem plerunque phrenitides & deliria sequuntur, iis oxyrrhodinum capiti infundatur, & curatio reliqua cum his quæ refrigerant & humectant, pulchre complebitur. Quod si ex nimia frigiditate adnixa intensæ siccitati fuerit, quod accidere consueuit aut propter longos morbos, aut vehementes corporis labores, aut acres valde animi affectiones, quibus naturæ vires fatiscunt, & animales spiritus dissipantur, humectantia & mediocriter calefaciendi simul vim habentia, haud mediocri erunt præsidio.

Cum autem non solæ ac nudæ qualitates offensioni erunt, sed adfuerit simul humorum copia, ab euacuatione incipiemus præmittendo concoctionem conuenientẽ, si opus erit. Sanguinis copia venæ postulat sectionem, quæ cum medici docti consilio fiat; incidatur aũt humeraria, quam cephalicam vocant, si caput solum degrauatur; si corpus totum, aut interna, aut media. Si bilis flaua abundauerit, consulto

medico, cum educentibus bilem purgetur, vt cum rhabarbaro, manna, casia, succo rosarũ, electuario rosato, syrupo rosato solutiuo, tamarindis, vel aureis vocatis pilulis & similibus. Si atra bilis, præsidiis itidem conuenientibus a peritis medicis traditis educantur, vt senæ diluto epithymi, veratri in fortioribus: diasene, pilulis indis, & cætera.

Quod si fuerit causa quæ pene semper contingit, frigida & humida, hi modi in curando seruentur: Et primo quoad victum, moram trahat quantum poterit, in aere luminoso non ventoso: nam venti plurimum obsunt. Euitent quæ phlegma multiplicant, omniaq. frigida, similiter & vaporosa, vt cepe, & super omnia repletio & satietas aut cruditas, multus potus, multa fructuum comestio vitetur, cibi grauis concoctionis, ablutio cum nimis calida vel frigida aqua, potatio eius nimia vel vini. Conferent igitur cibi bene nutrientes, calidum & spirituosum sanguinem gignentes, veruecina, hędina, capi, phasiani, perdices, quorũ oua singulari potestate in hoc pollent; pipiones; turtures, passerculi, galeritæ, turdi, merulæ: parentur cũ hyssopo, satureia, thymo, sampsucho, rore marino, caryophyllis, macere, zinzibere, pipere, cinnamomo, granis iuniperi, præsertim in hieme. Animalia fugiant nuper edita, quod mucosam ac viscidam habeant carnem: animantis cerebrum vt pituitosum, incommodat nisi sit gallinæ, quod peculiariter & summe laudatur. Similiter fugiant medullas, gruinas carnes, pisces præsertim viscidos & lacunales; olera frigida, lac, caseum, præcipue multum aut prauum: fructus humidos & horarios: acriora interdum, hieme præsertim, exhibeantur, vt allium, pulegium, capparis remota salsedine, sinapi a Pythagora laudatum: parce epulentur, præsertim cænantes: vinum bibant album, aut vermiculum subrubrumve: aquã nisi sit cum melle vel cinnamomo aut alio cum aromate:

mate decocta, non gustent. Prolixum somnum diurnumq. auersentur, nec super nucham, vel super nimia repletione fiat: a superflua quoq. vigilia caueant. debilitat enim spiritum, ipsumq resoluit ac caput replet. Exercitium fiat deambulando, & cibos præcedat, cum fricatione etiam partium capitis (facta tamen prius conuenienti purgatione) cum pannis asperis, & pedum & manuum, sed moderatum, ac totum corpus fricãdum primo, deinde caput, incipiatque a tibiis frictio, paulatim superiora fricando, vt deorsum trahatur materia. Circa lacus, flumina & vliginosa loca nõ versentur; austrinos flatus & pluuiosas constitutiones declinent; lucidam & altam domum inhabitent; caput oleis conuenientibus (vt etiam infra dicetur) vngatur; a multo vel frequenti coitu omnibusq. cerebrum debilitantibus caueant; nam principali debilitato, nocent & orta ab eo. corpus seruetur mundum a superfluitatibus. Si igitur pituita lenta ac crassa fuerit, fiet illius attenuatio, concoctio, & præparatio ad eductionem, cum oxymelite composito vel scyllitico, vel de quinque radicibus, de stœchade, de raphani radicibus facto, melle rosato, prout opus fuerit, & aquis seu decoctis conuenientibus. Ad educendam vero præparatam materiam exhibeantur pilulæ vel cochiæ, vel ex hiera Galeni addito modico castorei & nucis myristice: addatur etiã præparata colocynthis secundum medici præsentis prudentiam: vel detur hiera magna cum nuce moschata: vel hiera Rufi, de qua Aetius lib. 3. conueniet etiam hiera Logadii, & alia quæ conueniunt dolori capitis ex phlegmate: deinde fiant etiam gargarismata, fomentationes, vnctiones, sacculi, & huiuscemodi. gargarismus potest esse talis; ℞. calami aromatici, pulegii, hyssopi, thymi ana pug 1 decoquãtur in aqua iustæ quantitatis ad dimidium, & vnc 5 colo transmissis adiice oxymelitis scyllitici vnciam & se-

mis, mellis rosacei vnc. semis. misce, & tepidum mane ieiuno gargarizetur. clystere etiam si opus fuerit, fiat ex respicientibus caput; sternutationes fiant, vt cum pipere, struthio, seu condisi, elleboro albo, iride & similibus; aut ex his cum terebinthina & ladano fiãt errhina seu nasalia. Conferunt præterea si pituita vlterius exundat, quæ saliuam mouent seu apophlegmatismi, odoramenta; cubebę masticatæ seu commansæ, modis omnibus auxiliantur: auribus indatur oleum castorei, lauandulæ, spicæ. Quod si vel minor in corpore humorum talium copia, aut patiens non adeo validarum virium fuerit, leniori purgatorio pituitam primo ex toto corpore vacuabimus, & quod robur potius in membris relinquat quam auferat, quod tale sit ℞. Aloës lotæ cum succo thymi aut sampsuchi vel eorum aquis drac. 1. agarici trochiscati drach 2. mastiches, cubebarum, nucis moschatæ ana gran. 6. cum vino odorato fiant pilulæ 12. quarum 7. sumat in aurora cum syrupo de stœchade: reliquas post tres dies, horis 2. post cænam: postea cum Electuariis confortantibus sequentibus aut similibus roboretur, præmissis tamen etiam localibus purgantibus vt supra, si opus sit. rursus pro purgatione conferent hæ pilulæ etiam a proprietate: ℞. Thuris masculi, myrrhæ electæ, zinziberis ana drach. 1. ß. pulueris capitis vpupæ drachmas duas, acori scrupulos duos, hieræ maioris drach 1. ß. castorei, colocynthidis ana scrup. med. confice cum bona terebinthina vel cum serapio de stœchade, & fiat pasta; denturque pilulæ numero paucæ, sed crassæ, supra leuem cænã in lectum descendenti: possunt etiam auferri ea quæ soluunt, vt tantum confortent; hæ ferunt principatum hac in causa, & præ cæteris conferunt memorię. Item ad corroborandum, fiat ecligma vel linctuariũ, tale, vel similem in modum: ℞. Conseruæ anthos, melissophylli, ana vnc. vnam, inulæ conditæ, zinzibe-

ris viridis vel côdîti,ana vnc.med. corticis citrei conditæ drach. 6. diatrionpipereon, diambaris ana vnc. med. cum modico aquæ vitæ in vasis vitreis semel distillatæ ex vino bono, vel cum aqua melissæ, aut florum lilii côuallii,commisce:sumat horis duabus ante cibum,in mane drach. vnam aut alterã,&semi drach. hora somni.

Notandum autem quod nucha est cerebro frigidior,ideoque calida magis patitur & tolerat, frigida deterius: meminisse igitur oportet, ne frigefacientia, quæ forinsecus inducuntur,in occiput cadãt. Calefactoria itaq. medicamenta tam extra quam intra corpus adhibenda. Thymum,& pulegium,&origanũ vel huius generis alia incoquantur aceto,&ægrotantis naribus admoue: palatum acribus validis medicamentis inunge. Extrinsecus autem inũctiones capiti ex oleo calido,idq. æstate adhibendæ, vt rutaceo, anethino.&c.hieme vero irinum, in quo concoctũ sit serpillum vel calamentũ,piper,baccæ lauri, addendo aceti modicum ad penetrationem. Vtile erit &castoreum cum oleo illitũ occipiti, vel tale vnguentum. ℞. Olei de lateribus,de castoreo ana vnc.med.radicis acori,phu seu Valerianę,ana scru.1. pyrethri,rutę ana scrup med.cum cera quantũ sufficiat. fiat vnguentũ, quo rasum occipitium inungatur:&subinde sacculus imponatur,qui recipit florũ rosmarini,melissophylli lauandulæ,singulorum manipulum med. florũ sambuci manip.vnum,stœchadis drac.3. nucis moschatæ, ligni aloës, maceris ana scrup.1. contusa in sericum demittantur formeturq. sacculus.

Linimentum aliud cõferens diminutioni memoriæ & obliuioni. ℞. Olei sambucini vnc.1.olei de been vnc duas,olei euphorbii, castorei ana vnc med.aceti drach 3. misce, inungaturq. locus. Item oleum Philosophorum vocatum a Mesue,occipitio inunctum, memoriam mirabiliter reparat.

Alia inunctio: ℞. Radicis rutæ, buglossi, phu cum radicibus ana vnc. 4. castorei duorum vel trium annorum, linguæ auis quam semen fraxini vocant ana drach. duas; redigantur in puluerem & misceantur: post ℞. succi eufragiæ, ormini quẽ scharleam vocãt, verbenę ana vnc. 4. medullæ anacardi vnciam vnam, axungiæ vrsi, quantum satis sit, fiat vnguentum liquidum, & ponatur in vase cupri vel stanni, vt stet liquidum nam aliter haud valeret, vngaturq. occiput. Quod si citius iuuare velis, aut frigidioris capitis sit homo, & in tempore frigido, nares hoc odorato vnguento intus illinantur: ℞ olei de spica odorati vnciam 1. caryophyllorum scrup. 1. ambari seu ambræ scrup. semis, musci gra. 5. ceræ albiss. quod satis est; cuius etiam gutta, ante ceræ impositionem, auribus tepida instillata conducet.

Emplastrum quoque de sinapi Mesue secunda descriptione Antidotarii valebit in affectu frigidiori occipiti adpositum, vel oleum de sinapi. Superiora conferunt etiam absq; præuia purgatione, vt & sequentia, his qui frigiditate sola absque notabili humiditate laborant. Intrinsecus quoque præter supra narrata conferunt; verus acorus conditus (quem calamũ aromaticum credo, vel galangam) saccharum, florum betonicæ, roris marini, lauandulæ, spicæ nardi, melissophylli, adiectis longo pipere, caryophyllis, cinnamomo, nuce moschata, & id genus aliis odoratis. Valde etiam iuuat zinziber conditum, ad auellanæ quantitatem, præsertim in ventriculo frigido & humido, vti fere est in omnibus vel pluribus tali causa & affectu laborantibus: nam reparat memoriam, sumptum mane in temporibus nõ calidis, horis quatuor ante cibum.

Confert non parum & hoc: ℞. Thuris, cyperi, piperis longi, croci, myrrhæ ana, confice cum melle, & ex eo omni die sumatur drac. 1. horis supradictis prę-sertim mane.

Aliud ad idem præcipue senibus valens. ℞. mellis anacardini, thuris albi, cyperi, acori veri ana partes duas, rotundi piperis, & longi ana partem vnam, myrobalanorum chebulorum, cæruleorum ana partes duas, cumini partem vnam, mellis quantum sufficit, datio sit drach. 2. singulo mane, diambar etiam conuenit.

Prodest & confectio anacardina si probe conficiatur, ac post sex menses ea vtaris. hæc enim acuit ingenium & sensum, & intellectum clarificat, mentem reuocat sopitam lethargiã, curat & arthriticos, confertq. dolori ventriculi & alui a frigiditate, sed stupidis danda est, & capiti maxime frigido & pituitoso. sic vero fit: ℞. Myrobalanorum emblicorum, belezicorum, piperis albi & longi ana drach. 12. gingiberis, mellis anacardici ana vnc. vnam, castorei, styracis, caryophyllorũ ana drach. 5. florum chamæmeli, baccarum lauri, cyperi ana drach. tres, mellis quantum sufficit, misce in modum electarii Datur in sero scrupulus, vel ad modum paruæ nucis siue auellanæ. id est drach. cum vino calido decoctionis seminum anisi & feniculi: potest & mane sumi. Caueat vero sumens a frigiditate, a cibis phlegmaticis, ab ira, coitu & ebrietate. Anacardi autem antequam in aliquibus medicinis ponantur compositis, debent in hunc qui sequitur modum præparari.

℞. Anacardos, ac eos tere optime in mortario, atq. in aceto fortissimo ponantur per dies septem, post lento igne in eodẽ aceto coquãtur, quoad aceti pars tertia remaneat: tum percola fæcẽ illam quæ in fundo vasis remanserit, prius aceto leuiter extra colato, eamq. colo transmissam fæcem, in medicinis pone: neque enim anacardorum fructus medicinis per os assumendis immiscentur, nisi prius hoc modo vel simili præparentur.

Quod si mel anacardinum facere volueris, pone

cum ipsis anacardis eo modo in aceto coctis, tantundem mellis despumati, ac simul ambo bulliāt ad spissitudinem, & mel habebis anacardinum, quod in prænarratis affectibus operatur mirabiliter, si ex eo dētur drachmas duas vel vnam in aurora.

In Sicilia dum recentes sunt anacardi, ponuntur in melle prius liquefacto, & diu morantur in eo, taleq. vocatur mel anacardinum, & habetur vsui absq. anacardis, & inditur linctuariis. Si eo ex melle dentur drachmæ duæ, recuperat memoriam ex proprietate sua.

Expertus est & acorus (id est galanga) nutritus ac coctus in melle & reseruatus, vt condiuntur nuces ac radices; similiter piper longum nutritum coctumq. in melle & asseruatum, nam seruant & augent memoriam: dosis communis drach. 1.

Aliud expertū in forma pulueris. ℞. Thuris drach. vnam, cyperi, piperis, croci, myrrhæ ana drach. duas; terantur subtiliter, & per cribrum ducito, & fiat puluis, de quo omni mane dum surgit, detur drach. 1. vel sero in ingressu lecti.

Aliud expertum. ℞. Cumini, piperis ana drach. 2. sacchari albi drach. tres; terantur & fiat puluis, cape drach. vnam omni die in mane. Aliud itidem expertum. ℞. Thuris albi drach. vnam, piperis longi vel albi scrup. vnum, fiat puluis, qui mane totus pro vna datione bibitur per plures auroras cum vnciis tribus aquæ mellis, vel decocti cinnamomi modici & caryophyllorum.

Aliud æque bonum ac certum: ℞. Cumini drach. quinque, piperis noui drach. vnam, acori veri vel galangæ, cyperi, myrobalanorum nigrorum ana drach. duas, mellis anacardi (de quo supra) drach. 1. mellis communis vnc. 3 ß. terenda terantur, & cum melle prius despumato incorporentur, & fiat condîtum in pyxide, datio in omni mane drach. 2.

Caput

Caput tertium, quomodocumq; nocentia memoriæ præcipua oſtendit.

CAuere oportet in vniuerſum cruditates, tamquã rationi infeſtiſſimas,& toti corpori.

Plurima vini pręſertim potentis potio peſſima eſt: vehementer enim humectat caput, ac fere nihil æque obliuionem inducit, quam ſuperflua humiditas.

Exterior excedens frigiditas lædit memoriam, præcipue nocturna propter capitis cooperturam. Ire per lutum temporibus frigidis, ac nudis pedibus præ cæteris cerebrum lædit & infrigidat, oculosque debilitat.

Caliditas intenſa valde quandoq. perturbat rationem,& memoriam lædit.

Ciborum fumoſorum comeſtio & potus, vt alliorum,porrorum,ceparum, item caſei & leguminum vitetur: Brodialia,iuſcula,omniaq. nimis humida effugienda, præſertim veſperi; omnis etiam mala maſticatio praua eſt.

Potus poſt comeſtionem dum cibi fit concoctio eam interrumpens,pręſertim a cæna,memorię cerebroq. valde nocet.

Quies ſuperflua calorem debilitat; ſuperfluitates retinet & aggrauat, ideoq. lædit memoriam.

Somnus cibo propinquus, antequam ſcilicet deſcenderit cibus ad ventriculi fundum, infeſtiſſimus; ſit igitur poſt duas horas: ac capite bene eleuato ac cooperto fiat, non tamen ſuperflue, quia nimia coopertura vel caput debilitat reſoluendo; vel replet attrahendo.

Nocet coitus frequens vel ſtomacho repleto aut famelico, vel quem nullus ſomnus aut quies ſequitur,aut prope lunæ coniunctionem, vel cum alia quã cum propria vxore.

Dormire calceatis pedibus, præcipue cum sotularibus, memoriam impedit, ob vaporum reflexũ: visum debilitat, & corpus æstuare facit:

Crudæ herbę comestę, multum nocent memorię, vt plurimum: similiter nuces, auellanæ, castaneæ.

Videre vel audire non placentia animo: & huiuscemodi animi symptomata.

Metus perimit memoriam, vel tristitia perseuerãs: nocet & cura rei familiaris sollicita.

Somnus immoderatus, & vomitus laboriosus.

Acetum & acetosa omnia: sed si vtendum aceto erit in pinguibus & pituitosis, sit ex potenti vino factum calidumq; sit, & in exiguo aut raro vsu, & cum cinnamomo: ponaturque in vasculo aceti calamus aromaticus seu galanga, & pulegium. Sunt qui dicant gallorum ossa exucta, veternum adducere.

Caput quartum, iuuantia particularia præcipua enumerat.

FRuctuum stipticorũ ex natura vel arte post comestionem moderata sumptio, prohibendo fumos eleuari, memoriam iuuat valde.

Temperatorum ciborum & potus, sicut gallinarũ & perdicum, præcipue cerebellorum earum temperata refectio, non tantum memoriam, sed & totum corpus confortat; vtque animæ actibus nocet cacochymia, ita innocuos custodit euchymia, præsertim in teneris annis; ob id ex plebeia fæce raro sublime ingenium surgit, nisi liberalis accedat educatio.

Ante cibum moderate & conuenienter exerceri, non tantum memoriæ, sed & cæteris functionibus prodest; sit autem motus longus, seu exercitium pro corporis robore laboriosum, vt superfluitates resoluat, sitq; per loca amœna & sicca: ac, si fieri potest, omnes corporis partes exerceantur.

Superfluitatum per intestina, per nares, per pala-

tum, per os, aures, per vrinam, per capitis frictionem cum pectine conueniens & debita expulsio, confert plurimum virtuti memoratiuæ, si post somnum & ante exercitium fiat.

Visorum auditorumve frequens recordatio, memoriam corroborat & confirmat: nam nihil æque aut cura augetur, aut negligentia intercidit, ac ipsa memoria; quia nisi excolas & iugi meditatione exerceas, inertia situq; corrumpitur.

Gaudium temperatum, & honesta delectatio presertim meditatione scientiarum, non solum memoriam, sed virtutem intellectiuam cæterasq; virtutes corporis etiam augmentat.

Sæpe lauare pedes in aqua calida, in qua bullierint melissophyllon, folia lauri, chamæmelon, & similia memoriæ, capiti, oculisq; valde confert.

Abluere caput decimo quoque die cum lixiuio, in quo parum bullierint chamæmelon vel asarum, melissophyllon, saluia, amaracus, siue sampsuchus, lauri folia, vel similia, additis in æstate rosis, memoriam corroborat & confirmat, vt in capite etiam sequenti latius dicetur.

Stare pedes post comestionem, vel suauiter deambulare, quo cibus ad fundum descendat ventriculi, multum expedit & confert, ob bonam ciborum concoctionem.

Coriandri bene præparati, & saccharo inducti post cibum assumptio, prohibendo fumos ad caput ascendere, memoriam iuuat: id præstat & Diacotoneon.

Masticatio mastichis cum modico zingibere facta ieiuno stomacho, ab humiditate phlegmatica sine molestia caput purgat, indeq; præpedita confortatur memoria. Galanga naribus indita cerebrum roborat frigidum.

℞. Thus albissimum, tere in puluerem, pone in

pura & ſimplici frigida aqua, bibe in augmento lunæ in ortu diei, in meridie, & ſolis occaſu, facit bonam memoriam, acutum ſenſum, exſiccans cerebrum & ventriculum.

Tradit Simeon Sethi, fel perdicis arteriis temporum illitum, vt penetret, ſemel in menſe ad memoriam confirmandam prodeſſe plurimum.

Meliſſophyllon cõfirmat eam, & ingenium acuit, hominemq. quocumque modo comedatur herba, facit induſtrium: quod etiam naſturtium in frigidioribus & ſegnioribus efficere poteſt, vnde natum eſt in ſegnem adagium, Ede naſturtium. Meliſſa præter hæc, animi tranquillitatem præſtat ſaporem capiti iucundum inducẽdo: Turturis caro ingenium auget, vt aiunt.

Gallinæ cerebrum ingenium & memoriam iuuat, adeo vt aliquos qui delirare cœperant, reſipiſcere fecerit.

Semen ormini ſeu ſcharleæ domeſticæ fertur ad recuperandam memoriam mirabile, ſi in puluere ſumatur cum aliquo potu, aut cibo. Item eboris limatura conducit obliuioni, ſi parum de ea in vino modico ſumitur mane.

Item granum vnum thuris albi cum lectum petis, maxime conducit ſolum transglutitum: nam capitis humiditatem exſiccat & ventriculi, ac ita memoriæ confert. facito hoc poſt purgationẽ bis terve in hebdomada, ſi multa adſit humiditas.

Pliriſarcoticum confectio, duarum drachmarum põdere hora ſomni aſſumpta, vel myrobalanus chebulus conditus ſumptus in aurora horis quatuor ante cibum, beneq. manſus ſemel in hebdomada, memoriam reſtaurant ab humido læſam præſertim. nã roborant intellectum & iuuentutem fere conſeruãt myrobalani chebuli conditi.

Memineris in materia humida prius fieri euacuationes.

tiones. nam materia humida plerumq. est debilitatis memoriæ caussa, vt superius dictum est.

Caput quintum, nonnulla probatiora selectaq. medica remedia composita seruantia continet, multumque augentia memoriam.

ANtidotum mirabiliter conferens memoriæ, lethargiæq. vel obliuioni: ventriculum confortat, & omnia debilitata membra ex phlegmate & frigore.

℞. Gingiberis, galangæ, mastiches, cumini, origani ana drach. sex, nucis moschatæ, calami aromatici, asari, carpesiorum, id est, cubebarum, ligni aloës, maceris, seminis apii, ammios ana drach. 2. thuris albi, caryophyllorũ, cardamomi, zedoarię, pyrethri, castorei, piperis longi & nigri, costi, cyperi, ana drach. tres: menthæ siccæ vnc. med. terantur & puluerizentur omnia, ac cum penediarum & mellis despumati quãtitate sufficienti fiat ecligma. Cuius modus vsus, & reliquorum sit, præsertim tempore frigido vel nõ calido multum, & per interualla.

Pilulæ quæ languenti cerebro conueniunt, præsertim senioribus ac frigidis. ℞. succini odorati seu ambræ electæ drach. vnam. ligni aloës scrup. ß. cubebarum scrup. duos: cum vino meracissimo pilulas cõfice quindecim, da binas ante cęnam. Catapotia ad memoriam efficacia. ℞. Cubebarum, calaminthæ, nucis moschatæ, caryophyllorum sing. drach. 1. ß. thuris optimi, myrrhæ electæ, ambari Orientalis sing. drach. 1. ß. moschi gran. 5. cum aqua maioranæ pilulas confice, præbe vnam, hora decubitus; duas vero in solis ortu & horis 5. ante cibum, hieme per mensam, vere & autumno rarius.

Pomum odorandum pro memoria; ℞. Radicum iridis drach. 1. ß. seminis seselis, id est, sileris montani, stœchadis ana drach. 2. nucis moschatæ drach. med.

menthæ drach. vnam, ambari (vulgo ambræ) thuris, calamenti, styracis, ligni aloës ana drach. med. ladani quantum sufficit, fiat pomum secundum artem: quod tamen ex calidioribus fiet hieme, & minus calidis in æstate.

Probatissimum experimentum ad ingenium & memoriam, quod ferunt esse Aristotelis. ℞. Vrsi pinguedinẽ, quam habet in humero seu spatula dextra, eamque repone in vesica ipsius vrsi simul cum eius vrina, & simul stent octo diebus; tum extrahe, & accipe succum ormini siue scharleæ domesticæ, eufragiæ, verbenæ, buglossi, phu seu Valerianæ, aloës, omnium æqualiter, & simul misce cum prædicta pinguedine super ignem cum lignea spatula agitando, quoad fiat vnguentum spissum: ex quo cum volueris, accipe quantitatem paruæ fabæ, & vnge frontem & tempora fricando aliquantisper, & audita recordaberis.

Lixiuium pro ablutione capitis humidi frigidique confortatiuum, & memoriæ conferens; debet autẽ esse ex cinere sarmẽtorum vel quercus, postea intus hæc bulliant. ℞. Acori veri, stœchadis, foliorum lauri, roris marini, iuæ, saluiæ, ana manip. vnum; ex isto lauato caput; post vero ablutionem aquæ vitæ modico sinciput madefacito, & sequẽti puluere aspergito. ℞. Pulegii, calamenti, caryophyllorum, sandaracæ, macis, stœchados, menthę siccę, maioranę, ana drach. quinque: misce & fiat puluis subtilis, & post inspersionem superpone stupam canabis. aliis quoque diebus ingrediens lectum pone super capitis bregmate ex puluere illo etiam illoto capite, nam siccat, &c.

Aliud lixiuium ad confortandum caput & memoriam ℞. Hederam muralem, rosmarinum, laurum, stœchadem, marrubiũ aut betonicam, & bulliant in lixiuio, quo caput laua. Idem fere operantur cupressi nuces, frequenti vsu. Sed vt cum lixiuio saponẽ quoque

que habeas: ℞. Saponis Veneti ſeu Gallici lib.2.calami aromatici drach.3. maioranæ,thymi,ſtœchadis Arabici, nigellæ, caryophyllorum, cardamomi, ſing. drach.2. radicis iridis ſiccæ & odoratæ vnc 1.miſce,ac cum ſapone ſubtiliter inciſo aut deraſo excalfacto, miſce ac fac maſſas ſeu pilas in modum nucis iuglandis; ſi ſimul ob ſiccitatem rerum commiſcere non valeas, adde parum aquæ maioranæ vel alterius conuenientis. Poſtea bene exſiccetur caput linteis calidis confricando: nec caput prope ignem teneas, ne vapores trahantur ac repleatur caput.

Aliud in humido capite, quo bis vel ſemel in hebdomade vtendum. ℞. Senæ,roſarum, florum chamæmeli,acori, ſtœchadis,foliorum lauri,nucum,cupreſſi, ſaluiæ, iuæ, baccarum hederæ partes æquales, hæc in hieme bulliant in lixiuio pro lotione capitis. at in æſtate remoue ſtœchadem,& roſas adde, ac aliqua myrti grana,& minus calido vtere.

Optimum remedium aliud, ſed longe difficilius paratu. ℞. Florum citrullorum ſiccorum, bugloſſi, roriſmarini ana drach. duas, chamæmeli, violarum, roſarum ana drach.1. med. ſeſelis drach. duas, ſeminis viticis,rutæ campeſtris ana ſcrup.4. foliorum lauri viridium,maioranæ,ſtœchadis,ſaluiæ,florum ſambuci,artemiſiæ ana drach.3.contundantur optime & cõfundantur in lib.3.aquæ vitæ optimæ,& vnc.6. aceti albi ſcyllitici fortiſſimi, ac ſimul quieſcant duobus diebus in vaſe vitreo bene cooperto,& poſtea deſtilla ad cineres cum ſuaui igne: deinde ℞ olei de terebinthina deſtillati optimi vnc.18 olei de been deſtillati vnc octo,prędictæ aquę deſtillatę vnc.24.loco olei de been potes accipere olei deſtillati de adipe vrſino,ſed melius ſi de vtroque acceperis partem mediam. ſi vero neutrum repereris, recipe oleum ſambucinum: adde prædictis rebus capillos hominis bene aduſtos, nam a proprietate euigilare faciunt, & excitant le-

thargicos; misceantur & distellentur in vase vitreo vsque ad extractionem totius aquæ, & aquam ipsam seorsim serua; deinde recipe euphorbii drach. quatuor, piperis longi drach 3.ß. cumini drach. tres, thuris masculi clari vnc. duas, & drach. duas, mastichis, myrrhæ electæ ana vnc. vnam, anacardorum bene contusorum vnc. 1 drach. 2 carpobalsami drach. quatuor, pulpæ castorei drach. med. myrobalanorum emblicorum drach. 4. ß. opopanacis vnc. tres, serici crudi minutimque incisi drach. 1. ß. costi, radicum pæoniæ feminę, cyperi electi ana scrup. quatuor, ladani drachmas tres, sanguinis draconis, id est, gummi ita ob similitudinem dicti drach 2. ß. bdellii clari drac. 6 puluerizanda puluerizentur optime, & omnia infundantur in prædicto oleo toto, & sic quiescant in balneo temperato, simul in vase vitreo bene obturato diebus quinque; sed singulo die arundine sicca commoueantur miscendo, postea colentur, & optime exprimantur cum panno rudi prius infuso in aqua & bene expresso: Et oleum postea taliter expressum destilletur, vel fiat sicut in destillatione olei de ladano fit. videlicet, primo incipe cum igne carbonum leui ad fornacem, donec leuiter ebulliendo incipiat communiter destillare, dehinc procede cum leui & pauca flamma, & quandoq. interpolata, donec liquidum & subtile destilletur, quasi totum ex appositis oleis, id quod scire poteris ex visu, sed melius ex pondere olei destillati; postea procedere cum igne carbonum mediocri, omittendo omnino flammam; & destillatum seruetur in vase vitreo bene clauso. Demum recipe Galliæ moschatæ, caryophyllorum, macis, cubebarum, nucum moschatarum, cardamomi, ana scrup. quatuor, spicæ, calami aromatici, corticum citrei exteriorum, ana scrup. duos, ligni aloës boni drach. 2. ß. ambari electi drachm. 3 ß. moschi optimi drach. 1. ß. puluerizentur omnia subtiliter, &c

ter, & misceantur cum toto prædicto oleo destillato; sicque simul quiescant duobus vel tribus diebus in calore temperato, & postea iterum destillentur arte sua, & ad subtilem substantiam reducantur, seruenturque in vase vitreo forti, bene clauso cum cera, & est optimum. Vtendi modus talis est, vt prius si oportet facta purgatione totius vel capitis; eo vtaris incipiendo mense Nouembri per dies quinquaginta continuos, postea semel omnibus octo diebus, postea solum quando vis memorari, capiendo illum in sero præcedenti ante mane quo vis recitare vel concionari. Optimum itidem in frigido affectu erit oleum sequens; ℞. Terebinthinæ resinæ si haberi potest, (nam ex Cypro vt plurimum Venetias adfertur) vel eius loco laricinam sume libræ vnius pondere, laterum antiquorum post coctionem haud madefactorum, qui in frusta redacti, ac igniti extinctique in oleo veteri oliuarum fuerint, lib ß. mastiches vnc. I. terantur lateres, & cum resina bene commixti modo chimico in vase vitreo bene incrustato, igni clibani, aut fornaculæ adponantur, liquoresque manantes seorsim colligantur, nam tres varii coloris defluent, bonus, melior, optimus.

Vnguentum in idem: ℞. Adipis vrsi, capi, gallinę, vaccæ, & gummi hederæ, ana pondus æquale, omniaque alembico vitreo destilla suaui igne, quo oleo vnge tempora & pulsus manuum, ter in hebdomada, & rem optimam senties.

Vnguentum quo tempora vnges mediocriter in tempore frigido tantummodo: ℞. Talpæ pinguedinem, vrsi, mustelæ, castoreique ana, succi betonicæ, & roris marini ana; ex omnibus cōfice vnguentum, quo vtebatur, vt fertur Aristoteles.

Vt profunde memoria teneas & perpetuo, vtque velociter apprehendas; hoc vsi sunt multi magni viri. ℞. Radicum linguæ bouinæ, radicum Valerianæ,

ana vncias quatuor. radicum rutæ vncias duas: fac inde pulueres subtilissimos, poste recipe succum eufragiæ, scharleæ siue ormini, verbenæque ana vncias quatuor: coletur bene succus per pannum, postea misce succos simul, & pulueres separatim, postea recipe medullam anacardorum vnc. vnius pondere, & fac puluerem vt supra. Item recipe linguę au(i)s, id est, semen fraxini, & fac puluerem subtilissimum, postea misce omnia prædicta simul, scilicet succos & pulueres, & accipe sartaginem terream vitreatam, & pone ad ignem, intusque pone ex vrsi pinguedine, & funde seu liquefac paulatim, & intus proiice dictos pulueres cum succis miscendo semper, apponendo de dicta pinguedine quousque fiat vnguentum subtilissimum, quo vnge tempora & partem memoriæ, & frontem, & verticis partem versus nucham: hocque ter vel quater in anno facies, & continuabis sic vngendo, etiam prout magis aut minus oportebit. hoc enim in virtute excedit superstitiosam artem notoriam.

Ad idem. ℞ Octo calices aquæ communis, foliorũ hederæ, stœchadis ana lib. 1 ß. ponantur simul in aqua ad bulliendum fere ad consumptionem aquę. postea coletur beneq; exprimatur, & intus pone modicum terebinthinæ lotæ cum rosacea postea caput laua cũ bono lixiuio, & post exsiccationem vnge cum prædicto liquore tempora & occiput.

Pomum odoriferum ad confortationem cerebri frigidi. ℞. Ladani, ligni aloës, styracis, ana drachm. vnam caryophyllorum, nucis moschatæ, seminis ocimi ana drach. med cum aqua rosacea, in qua nonnihil moschi & ambari dissolutum sit, fiat pomum.

Ad habendam profundam memoriam, vel si quis eam ex debilitate vel infirmitate amisisset: valet etiam vertigini. ℞. Roris marini, id est, libanotidis, boraginis, chamæmeli, violarum, rosarum ana vnc. vnam,

nam, ſtœchadis, foliorum lauri, maioranæ, ſaluiæ, na vnc. duas; omnia incîde & pone in optimo vino, c poſt diem deſtilla per alembicum vitreum aut vitreatum, & deſtillatum ſerua, in quo pone terebinhinæ odoratæ lib. vnam, thuris albi vncias octo, matiches, myrrhę, bdellii, anacardorũ ana vnc. quatuor; omnia tere, & dimitte ſic ſtare per dies quinque cum leſtillatione cooperta, poſtea deſtilla in tãtum cum gne fortiori, donec ex eis oleum habeas, quod ſerua bene clauſum in ampulla vitrea bene cũ cera & pergameno obturata; modus vſus talis eſt: ℞. ex eo quãum caperet cortex auellanæ per os, & vnge etiã partes memoriæ, ſcilicet occiput & quaſuis partes iam dictas: optimum experieris.

Poſſem hic plura etiam vtilia remedia aggregare; ſed hæc ſufficient, & viam ſtruent aliis pro occaſione parandis; nam breuitate ſtudui, & meliora ex bonis elegi; nec penes me, vt nec Chriſtianum decet, latere volui. plura & non ſpernenda compoſita reperiet, quicumque apud Antonium Fumanellum Medicum Veronenſem, in opere ſuo de Compoſitione medicamentorum, cap. 16. Hic ea non tranſcripſi, ne actum agerem, quamuis meis aliqua ex parte cõſonent illius nonnulla. eligat quiſque quod ſibi conueniens ſit; & qui neſcit, medicum conſulat doctum, memineritq. nihil ſine labore fieri aut parari dignũ laude; nam omnia propoſuit labori Deus: nec ſunt ſpernenda media illi qui finem aſſequi deſiderat: cũ nec iuxta Phyſicos, ex extremo ad extremum perueniatur, ſine medio conuenienti; enimuero ſegnium eſt non optima quæq. ſibi ad imitandum proponere, vt ſi eo pertingere non valeamus; propius ſaltem, quam fieri poteſt accedamus: quamuis non ex omni ligno (vt adagio fertur) Mercurius fit.

Caput sextum, Philosophica consilia, canones, & reminiscentiæ præcepta narrabit.

VT Aristoteli placet, duo sunt memorationis actus, memoria scilicet & reminiscentia: quamquam reminiscentia respiciat ea, quorum sumus obliti, sitq. extimatiuæ seu cogitatiuæ virtutis officium, non principaliter memoratiuæ, vt Auerroes & Albertus in suis tractatulis voluere: vel dicas facultatē illam reminiscendi esse mentem & intellectum, vt Themistius voluit; quoniam nulla facultas videtur discurrere, nisi intellectus. Hæc autem sine obiecti præsentia in homine solo est; nam cum obiecti præsentia etiam in brutis reperitur, vt Aristoteles innuit, & in cane venatico satis patet: diciturq. sensus phantasticus.

Memoria vero est retentio imaginum prius ab anima perceptarum; quæ tamen neq. vtilis est nisi & omnes retineat, & eo ordine quo eas concepit, reddat; non est autem præsentium neque futurorum, sed præteritorum tantum, vt inquit Aristoteles. Memoria rursus & reminiscentia, quamuis eidem subiecto genere competant, differunt tamen aptitudine, quoniam bene reminiscentes, communiter male memorari consueuerint; tempore item memoria semper reminiscentiam præcedit, non enim quis reminisci potest, nisi ex his, quorum habet memoriam. hęc etiam multis aliis animalibus concessa est, illa vero solis hominibus; nam cum reminisci sit velut syllogizare, id est, ex notis ad ignota deuenire, hoc vero proprium sit hominis, inde fit & reminiscentiam hominis esse munus, vt superius innui.

Ad memorandum quatuor motus concurrunt: primus est motus spirituum, qui a cogitatiua ad memoratiuam figuras aut species transportant. Secundus est pictura fixaque figurarum in ipsa memoria.

Tertius

Tertius eſt reportatio a ſpiritibus, a memoratiua ad cogitatiuã ſeu ratiocinatiuam. Quartus eſt illa actio, qua cogitatiua recognoſcit, quæ proprie eſt memorari. Dicimus etiam, quod actus memoriæ vel reminiſcentię ſupra tres res, quaſi tria obiecta per ſe cadit, videlicet ſupra rem aliàs apprehenſum, ſupra actum quo illa res aliàs apprehenſa fuit, & ſupra tempus determinatum vel indeterminatum in quo apprehenſio illa fuit.

Ad cuiuſlibet harum rerum defectum neceſſe eſt, deficere etiam memorationem. Quapropter etiam bene memoria ſic definietur, quod ſit Apprehēſio in anima exiſtentium ſpecierum, cum indagatione & inquiſitione: ſed de his in primo capite iam dictum. Nunc de artificioſa memoria dicere inſtituētes, quæ oporteat de ſe præſtare volentem memorari, pręſcribemus. Erunt autem pro nunc præcepta viginti, ſed breuibus verbis complexa.

Primum iudicato (hoc & ſimilia ſint dicta iunioribus ſtudioſis) ſtudia quæ ſequeris omnium præſtantiſſima: & te felicem ſi conſequeris ſapientiam: & ſapientem audias præceptorem, quem etiam cogaris admirari; plurimum enim memoriæ cōducit, ſi quæ aut leguntur, aut audiuntur, cum admiratione ac voluptate incidant.

2. Eam ſcientiam iudicato difficilem & perpaucis bene cognitam: quia inde oportet ingenium aſſurgere: & id vtile eſt memoriæ.

3. Attente & accurate audias præceptores: ſimiliter ſi legeris facias; ad ſtudium omnes animi vires congregando: nec vagetur mens tua, ſed coge illa ibi eſſe, aut paruo murmure eam reuoca; ille enim eſt docilis auditor, qui attente paratus eſt audire; nam ex diligenti attentione maior fit motus, ac impreſſio firmior. Vnde Terentius: Vbi intenderis ingenium valet.

4. Cum multa sis collecturus, quantum fieri potest ad paucitatem breuitatemq. reduces, aliter enim addiscens, aliter memoraturus procedit: nam qui addiscit, genus in species secat vsque ad specialissima: qui vero vult memorari, multitudinem in vnum, vel saltem in pauca redigit.

Versus quoque ad memoriæ fidelitatem conducunt, propter compositionis ordinem, & structuram haud temere vagantem ac sparsam, sed certis conclusam limitibus, vt animam non patiantur aberrare.

5. Ordo ante omnia diligatur in diuisione corporis in membra; sic tractatus in capita, & capita in conclusiones secabis.

6 Singula sæpe repetēda, ita vt cum vnum caput & sequens pariter didiceris, & primū & secundum rursus animo repetes: & cum tertium didiceris, rursus a primo inchoandum erit, & sic successiue.

7. Complexurus multa, membratim secabis: ne diffusa multitudo memoriam cōfundat. Vnde poëta ille: *Scire si vis hanc rem, tota sit separata minutim.*

8. Sit tibi frequens & diuturna de eadem re cogitatio, vel cum aliis disputatio, vel alteri declaratio ex frequentatis enim actibus generatur habitus, qui est memoria. Nec te a disputatione deterreat erroris timor: nam tenacius retinebis quod didiceris cum rubore; vnde Seneca: *Memoria nihil perdidit, nisi quod sæpe non respicit.*

9. Conare vt intelligas, quæ volueris memorari: neque ita curandum est, vt multa legas, quā vt multa intelligas; aut pauca multum legas, eorum prȩsertim qui non nugis chartis implent.

10. Caue ne obsint memoriæ literæ, ne scilicet illa, quȩ scripseris in memorabilium libello, ea veluti certa & alligata tenens, custodire desinas, & ipsa securitate fidens, e mente dimittas. Clarum est in hoc Antisthe-

Antisthenis Atheniensis exemplum, qui amico cuidam deploranti, quod commentarios suos perdidisset, Oportuit, inquit, ista potius animo quam chartis inscribere: sentiens librorum fiduciam esse causam, quo minus memoriam exerceamus.

11. Procuranda est cibi concoctio, & quę obsunt memoriæ fugienda sunt, & sint in vsu, quę illi cōferunt, vt supra cap. tertio & quarto dictum est.

12. Liberandus est animus ab aliis cogitationibus, ab his scilicet quæ studium non respiciunt: nam, Pluribus intentus, &c.

13. Non audienda tantum sed etiam videnda sunt, quæ volueris memorari: nam semel videntes magis memorantur quam identidem sæpe sæpius audientes.

14. De quibus interrogatus fueris, confestim ne respondeas, id est, absque meditatione: nam subita responsio semper inconsulta est.

15. Metiri debes vires ingenii tui, tuæq memoriæ, ne ingeras illi plus quam semel capere possit aut tenere: exemplum a stomacho sumendum, quia si supra vires oneretur, inualidior fit, non enim concoquit; nec impinguatur corpus gulosi; ita quicquid addiscitur, nisi retineatur, parū prodest: ideo si quantum oporteret retinere non poteris, numerum multiplicabis, & continuam imminues quantitatem.

16. Certas horas studio constitues, illas præsertim, quibus a cibo stomachus seu ventriculus erit vacuus: tunc enim ingenium vaporibus non obtenebratur. horæ conuenientes erunt cōticinia & matutini galli cantus; curabisq ne aliqua ratione fortunæ, deseras tempora studio decreta.

16. Vesperi quotidie, quid discendo lucratus fueris repetes, imitatione Catonis, qui quicquid die fecisset, legisset & dixisset; in crepusculo cōmemorabat.

18. Memoria eſt a teneris exercenda, vt & in iuuene & viro promptior ſit & paratior: multum autem refert quo quis doctrinæ genere a teneris imbuatur, nam:

Quo fuerit imbuta recens, ſeruabit odorem, Teſta diu.

Omnia enim pueris noua ſunt; noua autem & admirabilia fortem faciunt in memoria impreſſionem.

19. Ad animi recreationem viriumq. raparationem, non ad obſcena confugies, ſed mutato id facies ſtudio: remittere enim animum quam amittere, melius eſt. Sed & ludicra Chriſtianorum debent eſſe ſeria. Poſt ſtudia igitur ſeria vel grauia, ad leuiora confugiendum, vt ad hiſtoriam vel exercitia muſicalia; nã vires reparat, alitque tempeſtiua quies, ac etiam maior eſt poſt ocia virtus. Sunt qui ludere malint, quod quidem conceditur, ſi ludus ſit ludus, & non res ſeria: ſitq. breuis, honeſtus, ſine dolo vel damno aut cupiditate. Mouet ingenium ludus duodecim ſcruporum, quem moderni ſcaccorum nominant, ſed in eo nimis ſępe adhibetur tẽporis & ſtudii, quod pręſtaret melius collocare. Paruę pilæ ludus, etiam toti corpori proderit: deambulatio, præcipue capiti: vtilius erit ſimul diſputare & inambulare, manusque mouere. Hæc animi recreatio non ſit diuturna neque frequens, & præſertim horis ſtudii non agatur. Reuolandum eſt ſtatim ingenio confirmato ad ſtudia literarum, ne tempus depereat, quo nihil carius, agendumq. vt quod deperditum eſt, auido ſtudio recuperetur. Namque (vt ait Philelphus:)

Ludus, crede mihi, nullus tibi pulchrior alter,
Nec melior quiſquam, nec quo magis omnis acerba
Cura laborq. vacet, quam ſi virtutibus almis,
Te penitus dedas. virtus leuat aurea curis,
Lætitiaq. animum reficit, redditq. beatum.

20. Ne diſcedas a præceptoribus antequam deceat: plures

plures enim ſcientia in ſummos euaderent viros, niſi prius eſſe diſcipulos puderet, quam ſapere valeant. Proderit & alios docere, dictare, declarare, interrogare, ac reſpondere; dubitare de nonnullis bonum eſt, modo id ſine ratione non fiat.

Vltimo, inter infelices dies illum computabis, quo aliquid non profeceris didicerisve quod tuum eſſe poſſit; vt nulla dies ſit (vt in adagio eſt) ſine linea.

Præcepta reminiſcentiæ.

PRimum præceptum eſt, ex ordine & reminiſcibilium conſequentia; cum enim didicerimus ordinatim aliqua, connexione & dependentia quadam ordinata, & de illorum aliquo obliti fuerimus, id facile reminiſcemur ordine repetito; cognito enim antecedente, facile in conſequens deducemur, & deperditũ inueniemus. Recte igitur dicit Philoſophus; Quæ bene inuicem ordinata ſunt, bene reminiſcibilia ſunt; quæ vero male, difficulter in memoriam reuocantur. Facile enim geſta recenſemus, cum eo ordine in oratione collocantur, quo facta ſunt; quoniã ſicut ſe habent res geſtæ ad inuicem, ita ſe habent, & in mouendo animam.

Secundum, vt vno ſimili in conſimile proueham ur: vt, ſi Homeri non recordamur, Latinorum poëtarum principem Virgilium memoramur: ex quo facile in Homerum Græcorum vatum primarium deſcendemus.

Tertium eſt, vt aliquando contraria recogitemus; qui enim memor erit Hectoris, reminiſcetur & Achillis.

Quartum eſt, loci ac temporis recordatio, in quo res tractata eſt; locus enim & tempus facile rem adducit memoriæ. Sunt etiam tres argumentorum ſedes, a ſimilibus, a contrariis, a propinquis.

Quintum eſt, res omnes a proprietate repetere; vt ſi ſaginati memoriam habere velimus, ad Dionyſium Syracuſanum deſcendamus, vel recogitemus, qui vt auctor eſt Iuſtinus, præ ſagina viſum perdidit.

Caput ſeptimum, de locali vel artificioſa memoria.

ARtificioſa memoria eſt diſpoſitio imaginaria in mente rerum ſenſibilium, ſuper quas memoria naturalis reflexa per eas admonetur, vt memoratorum facilius, diſtinctiusque recordari valeat; ac (vt inquit Cicero ſecundo ad Herennium) ex locis veluti ex cæra aut tabella, & imaginibus veluti figuris literarum conſtat. Sic enim fieri ſolet, vt quæ accepimus, quaſi legentes reddamus: neque multum interſit, an a vertice, an a calce incipiamus. Locos ipſos ordinatos eſſe oportet; nam ſi in eis cõfuſio ſit, confundantur omnia neceſſe eſt. Multos etiam eos eſſe decet, vt multa locari eadem exercitatione poſſint; Cicero centum eos eſſe debere iudicat. Thomas Aquinas plures habendos conſuluit. Hos multi variis artibus quæſiere. Methrodorus in ſign s duodecim, per quæ ſol meat, tercenos & ſexagenos inuenit locos: quod tot gradibus apud aſtrologos zodiacus ſecari ſoleat; Cicero familiarem domum finxit, locis diſcretam multis, placuitque illi, vt inter locorum quinaria, vel manum auream, vel aliud quid diſcrimen figuremus, quo alter ab altero ſecernatur; in eisque immobilem ordinem haberi, vt ſemper dextra ingrediamur & egrediamur. Quidam non ignauus auctor, ex animalib. locos fingebat, & eorum ordinem ex alphabeto Latino deduxit, vt a ſingula litera vnius animalis nomen inchoaretur; perinde ac ſi nomina hæc eſſent; Aſinus, Baſiliſcus, Canis, Draco, Elephas, Faunus, Gryphus, Hircus, Iuuencus, Leo, Mulus, Noctua, Ouis, Panthera, Qualea, Rhinoceron, Simia, Taurus, Vrſus, Xyſtus: Philo-

Philoſophus(qui de his ſcripſit)Hyęna, Zachæus. Hęc ſingula in quinque locos diuidebat,in caput,in anteriores pedes,in ventrem,in poſteriores pedes,& caudam:nam hunc ordinem ipſa natura porrexit: neque confundi in eis enumerandis ingenium poteſt. Sic itaque centum & quindecim locos nactus, in eis rerum memorabilium imagines ſculpebat,ac etiam in loquentis facie multa ingenio ſcribi præcipiebat, in capillis, in fronte,in oculis, ſicque deorſum ad pedes deſcendi. Mihi vero facillimum videtur non modo centum,ſed propemodum infinitos locos reddere & effingere: cum neminem lateat ciuitatis originalis ſitus,vel in qua diu habitauit. Igitur cum per portam mens ingreditur, dum ſecantes ſe ad diuerſas regiones vias conſiderat, dumq amicorum domos, ædes publicas,prætoria publica repetit, miram locorum quantitatem aſſequetur. Accedet ad hoc poteſtas atria effingendi,in quibus quantum libeat, numerũ locorum faciet,vt inſcribi quæcunque voluerit poſſint. Et quia breuis atque efficax eſt doctrina per exempla,hinc exempla ponam,vt res facilius intelligatur, de decem ponam exemplum, & conſequenter ex proportione habebitur vel de mille. Capio igitur domum magnam & vacuam, ad quam non frequenter ſed raro ire debes, & ſtatue primum locum qui eſt apud oſtiũ diſtans ab oſtio per tres pedes. Secundus locus ſit ab iſto diſtans per duodecim vel quindecim pedes:vt, verbi gratia, ſit angulus vnus. Tertius locus ſi a ſecundo diſtans per totidem pedes, vel duodecim,& erit forte alter angulus,vel medium inter angulum primum & ſecundum. Quartus,erit angulus. Quintus, erit angulus diſtans per tantundem. Sextus conſimiliter; & finita ſala, intrabis vnã cameram, atq. intra oſtium immediate ſignabis ſeptimum,deinde in primo angulo cameræ octauum, & in ſecundo angulo nonum, & in tertio decimum

cum ſua diſtantia. Si vis plura loca, exeas cameram, & ſigna ſic alias cameras proportionabiliter. Nota tamen, quod diſtantia data mediocris eſt & conueniens, ſed ſi tanta diſtantia non inueniatur, ſed minor vſq. ad octo vel ad minus quinque pedes adhuc tolerabile foret. De templo ſcito, tale eſſe debere, quod non multum ſit frequentatum etiam a te, ne multitudine imaginum confundaris. Iſta loca debẽt eſſe ſigna memorabilia & manuductibilia, loci enim non ſunt anguli, ſed fixæ imagines in angulis ſituatę: ſuper quibus ſicut ſuper charta aliæ pinguntur imagines delebiles, ſicut literæ. Vt, verbi cauſa, primus locus ſignatur per vrinale, ponendo in eius loco vrinale. Secundus ſignabitur per pyxidem. Tertius per mortarium. Quartus ſignabitur per piſtillum ponẽdo illud ibi. Quintus per pugillare. Sextus per pedẽ leporis. Septimus per cribrum. Octauus per ſacculũ ponendo ſimiliter ſacculũ. Nonus per panem cereũ. Decimus per cannas caſſiæ, &c. Et iſta nomina oportet mente ſemper tenere, & loca de quinto in quintum, vt quinarii loci menti ſemper habeantur. de diſtantia ſatis dictum. Scito tamen, quod vſq. ad viginti quinq. licet tranſire, nec vltra: ne fiat negatio in imaginibus. Et conſimiliter dicatur de quantitate quantum ad altitudinẽ, ne ſint multę altitudinis, ſed a quinq. vſq. ad duodecim pedes. Et noteiur quilibet quintus, vt dictũ eſt de ordine. de qualitate autẽ, vt nõ nimis lucidæ, nec nimis obſcuræ, nec nimium frequẽtes. Tranſeamus ad imagines, quæ ſunt res collocãdę: debent ita imagines nobis notę in iſtis locis collocari cũ motibus talib⁹, vt per eas valeamus memorari. Verbi gratia, volo memorari de viginti nominib[illegible] ſic faciam; in primo loco imaginem Petri mihi n[illegible]iſſimi locabo, cũ vrinali in manu plena vrina quã fundet ſuper Iacobum mihi notiſſimum: & ex iſto actu nota[illegible]li, horum duorum me[illegible]or: & ſic duorum

quorum nominum memoriam mihi fecero. In secundo loco ponam Martinum mihi notissimum (nā oportet imagines istas esse notissimas, vt cito in memoriam recurrant) qui ponet digitum suum in pyxide & extrahet vnguentum, quo cum digito orificium vnget ani Henrici mihi notissimi. In tertio ponam Andream mihi itidem notum, qui cum manu ex mortario extrahet emplastrum quod ponet super faciem Francisci, vel alios ridiculos actus fabricando, ex quibus memoria de talibus nominibus cōfirmetur. Et ita pariformiter procedatur in aliis.

Similiter si recordari voluero alicuius cū suo actu, illum imaginabor cum re illius actus: vt, si recordari velim alicuius comedentis ficus, tunc imaginabor quod cum ficu aliquod festiuum faciat vel stupendum.

Si argumenta recordari vis, capias substantiam argumenti, & ipsam tantum locabis, quia totum argumentum haud posset locari, sicque de aliis rebus suo modo.

Rursus de figuris etiamnum disseramus his quinque præceptis.

Primum est, vt aut risum moueat figura, aut misericordiam, aut admirationem: facile enim inuenitur figura quæ affectum animæ conuertit. Exemplum huius est, si in ore asini rabidi caput Antonii constituā morsibus fere confringi, cruorem effluere, auxilia petere, ac passis palmis vociferare: nam fieri non poterit, vt cum voluero, non videam hunc oculis mentis meæ, & reddere Antonium nesciam repetenti.

Alterum est, vt aut simile per simile, aut per contrarium figuremus, aut per proprietatem. Primi exemplū est, vt si nomen Galeni sim locaturus, alicuius illustris medici nomen scribam, cuius quoad fieri potest, aut par sit, aut paulo debilior autoritas. Secundi exemplum est, si idem per indocti medici nomen

conscripsero: si Thersitem per Achillem, & bonum pro malo: informem per formosum annotauero. Exemplum tertii est, si Ouidium Nasonem, per magnum nasum: Platonem per humerorum latitudinem: Crispum per anulatos capillos: Ciceronem per Gelasinum sculpsero.

Tertium est, vt a tenellis annis assuescamus locare, & cum quotidiana exercitatione crescamus: quãquam etiam adultis prodesse possit ipsa doctrina. Efficacior fit habitus, si quæcunq. aut dicturi aut facturi sunt sic locent: quæcunq. etiam inter fabulandum audiant: Sic pingant mores, gestus, temporaq. sculpant: Sic enim breui tempore fient exercitatissimi. Ludere etiam prodest alterum cum altero, illum vincere qui plura clarius, ordinatius, velociusq. retulerit.

Quartum est, vt omni quinario rerum signandarum repetamus a principio quæcunq. signata: solet enim repetitio valde conferre.

Quintum est, vt quæ non sunt simplicia, ea per cõponentium similitudines statuamus, verbi causa: qui memorari voluerit huius enuntiationis, Cicero cum Hortensio disputat, Cicer legumen in horto finget, qui de horti sterilitate conqueratur: sic enim & cicer Ciceronem, & hortus Hortensium, & querela disputationem repræsentat. Sic autem seruari solent & legum capita, vt si locanda illa lex sit, Publicati testamenti fides, effingamus dicam testamentalem patentem, cui quispiam cœnum iniecerit: & eius fides aboletur. Ecce publicati semel testamenti fides relegi poterit. Verum hæc facilius fient, si adsit doctrina & rerum memorandarum cognitio, neq. desit consummata & inuicta exercitatio, cum exercitatio possit omnia: ita & medicus medicinalia, & iureconsultus plebiscita facilius recordatur.

Locus igitur a ceræ ac chartæ vel tabulis (in quibus antiqui-

antiquitus multa ſcribebantur) ſimilis eſt & comparantur. imago autem literis ſeu ſcripturæ: nominum recitatio, lectioni aut rerum lectarum recitationi. Locus eſt pars vicaria memoriæ & inſtar illius capax. multiplicaturque per antrorſum & retrorſum, per dextrorſum & ſiniſtrorſum, per ſurſum atque deorſum, aliquid addendo vel diminuendo: multiplicabitur etiam menſurando longum, tranſuerſum & medium. Locorum regula breuiter & hæc ordine eſt, vt primo ſit locorum inuentio (de qua ſuperius dictum eſt) deinde ordinatio, diſtantia, fictio, ſolitudo, mediocris lux, diſſimilitudo, quantitas, loci quinti ſignatio per manum auream vel alterius metalli, illiuſque variatio, nè ſimilitudo confuſionem pariat. Imagines ſunt ſimilitudines rerum in mente conceptarũ, ſiue ſimulachrum ſimile ex toto vel ex parte rei cuius recordari voluimus, imo pro ipſis rebus collocandis accipiuntur. Sunt vero in duplici genere, ſcilicet aut notę aut ignotę: notarum quædam animatæ, aliæ inanimatæ: & tam animatarũ quam inanimatarũ, aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ. Illud rurſus non obliuiſcaris, quod in collocãdis imaginib. ſup locis, ſemper res locanda eſt cum actu ridiculoſo, vel admiratiuo, vel crudeli, vel alio modo inconſueto: nam ridiculoſa, crudelia, iniurioſa, admiratiua, excellẽter pulchra vel turpia, immutant ſenſus ac melius excitant memoriam, cum anima circa talia multum aduertat. Variantur quoque imagines per tranſpoſitionem literarum, & per tranſſumptionem: vt ſi velim Romam recordari, ponam Deum amoris, qui vocatur amor: & pro tyranno lupum rapacem. Sufficit itaq. nos methodum oſtendiſſe, quã qui ſequetur, haud difficile, modo exercitatio accedat, multorum ac variorum ſibi pro occaſione debita, recordationem certam parabit: ignaui autem & ocioſi torpeant, quibus omnia infenſa ſunt.

Vltimo epilogi vice ac veluti colophonem addam quæ ſcribit Eraſmus Roterodamus, lib. 3. Eccleſ. Ad natiuæ memoriæ vim natura felicem, accedat intelligentia, cura, exercitatio, & ordo ad memoriã confirmandam nonnihil opis pollicentur & medici, & ſecundum hos Marſilius Ficinus: ſed præter ea quæ diximus, plurimum confert perpetua vitæ ſobrietas: nam crapula & ebrietas, vt ingenium hebetant, ita memoriam prorſus obruunt: officit etiam curarum varietas, & turba negociorum. officit & tumultuaria diuerſorum voluminum lectio. Hanc præcipuã arbitror cauſam cur ſenectus ſit obliuioſa: quod ea vis animi multitudine rerũ obruitur. officit memoriæ pudor immodicus, auditorum nouitas, & anxia cura: pudor & nouitas vincitur aſſuetudine. Anxium ſtudium officit ad hoc ipſum quod impendio affectat. Alibi ſic inquit: Optima memoriæ ars eſt, penitus intelligere, intellecta in ordinem redigere, poſtremo ſubinde repetere quod meminiſſe velis. Hactenus Eraſmus. Si vis igitur rerum bonarum pollere memoria, diligenter curato, vt eius quod ediſcendum eſt, certam intelligas rationem: Ratio enim eſt indiſſolubile veritatis & memoriæ vinculum. Ob hoc forſitan Plato inquit, quod bene intellectum eſt ſemel, obliuioni omnino tradi nunquam poſſe. Ea quoq. memoriæ tradenda ſunt, quæ non ſolum vtilia ſunt, ſed & iucunda nam alimenta quæ ſuauiſſimum ſaporem afferunt, facilius in naturam noſtram tranſeunt atq. conuertuntur: & quo auidius quid hauſtum eſt, eo diutius retinetur. Adde his, quod obſeruandum omnino Ariſtot. & Simonides arbitrantur, vt certus quidam in ediſcendis ordo vel inſit, vel ſaltem excogitetur. Ordo in proportione quadam & connexione conſiſtit. In his autem quæ ordinata ſerie digeſta ſunt, ſi quid vnum acceperis, reliqua continuo neceſſaria quadam vel naturæ

vel

el artis continuatione ſequuntur. Obſeruandum
nſuper,vt ſæpenumero,quæ didicimus,meditemur:
c enim alimenta animi concoquuntur, & quaſi cō-
ertuntur in animum. Confert etiam quam pluri-
num ſi quis eleganti oratione cantuque ſuaui, quæ
memoriæ mandanit ſæpe recenſeat, vt dictum ſupra
ſt. Voluptas enim rerum condimentū eſt, amoris
ſca,incitamentum ingenii,voluntatis pabulum,ro-
urq. memoriæ: Purganda eſt etiam anima a malis,
t impleatur bonis: orationeq. ad Deum fideli pe-
endus eſt ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ per Dominū
noſtrum Ieſum Chriſtum,cui cum patre & ſan-
cto Spiritu ſit honor, laus & gloria
ſemper.

F I N I S.

DE ASTROLOGIA

LIBER VNVS; IN QVO OBITER INDICATVR, QVID illa veri, quid ficti falsiq. habeat, & quatenus arti sit habenda fides: in quo denique multę rerum Physicarum abditę amœnissimæque causæ explicantur; tum prouerbii origo; QVARTA LVNA NATI.

Auctore

LEVINO LEMNIO
Medico Zirizæo.

CLARISSIMO, ORNATISSIMOQVE VIRO, VTRIVSQVE IVRIS *Consultissimo, D. Cornelio a VVeldam, inuictiss. Caesari Carolo a consiliis,* LEVINVS LEMNIVS *Medicus S. P. D.*

QVANQVAM vrbis nostræ viri primarii, totusque fere Senatorius ordo, diu multumque me inuitarint, atque identidem inuitent, vt rem Medicam quam supra annos vndeuiginti apud nostros exercui, aliquo scripti genere illustrem, atque exteris quoque testatum faciam, qua vsus sum medendi dexteritate, quo successu; hactenus tamen ob multas magnasque causas constanter iis sum obluctatus. Primum, quod assidue in ea Medicinæ parte versarer, quæ tota in actione consistit; atque hinc vltro citroque inuisendis ægrotis essem occupatior, quam vt illi negotio vacare aut vllam operam impendere liceret. Deinde quod dicendi artibus tenuiter instructus, nec doctrina satis excultus, scribendi difficultatem, variosq. euentus, atq. ancipites exitus pertimescerem. Et quamuis illos aliquo obsequio, officioq. demereri par est, atq. his nostram approbare industriam, quorum consilio & autoritate Medicis salaria decerni cœperunt: ea tamen huius cõsilii mei ratio subinde a scribendo deterruit, quod tale quiddam me præstare, efficereq. posse diffiderem. Nunc

vero propemodum expugnari animum meum patior, postquam tam instanter id a me exigunt, insistuntque tot amplissimæ dignitatis viri, & tu præcipue vir Clarissime, si quando principis tui munia, & delegatas functiones, summa cum laude, ac pari Reipubl. commodo, apud nostrates Belgas obire soles; quum nõ ita pridem studiose apud me hoc egeris, vt vulgarì more, prognostica in vulgum proferrem; idque eo agebas instantius, quod hæc soleam per singulos Lunæ, Solisque decursus, & curricula non ἀμφιβολικῶς, aut ambiguè ciuibus nostris denunciare. Nam in his sciscitandis vrgendisque defatigare ingenium meum consueuerunt illustres viri D. Hieronymus a Seroeskerka, Equestris ordinis & dignitatis heros, D. Liuinus a Burgk vrbi nostrę a Secretis, cuius in rebus politicis ante complures annos spectata virtus & prudentia, tum Iacobus ille Susius, cui præter generis claritatem, & nominis splendorẽ raras ingenii dotes naturæ parens est elargitus. Quæ cum illis, tum plerisq. aliis, quibus cum versari & consuetudinem habere consueui, innotescant: hactenus tamen ab his publicitus exhibẽdis abstinui, quod viderem passim exagitari, & proscindi conuiciis artis huius Professores, tum vanitatis atque imposturæ insimulari: tametsi vt ingenue fatear, paulo impudentius, & acriori, quam par est, stomacho id quidam factitasse videri possent; nisi quorundam nugitas, & prognosticandi libido superioribus seculis creuisset in immensum, sic iniquum illis petendum fuisse interpretor, vt æquum ferrent. Ego vero, vir ornatissime, artem ipsam vtilissimam, omnibusq. amplectendam esse censeo, modo quis ea legitime vtatur; modo ne cum pietatis iactura coniuncta sit, & morum integritati officiat, modo ne quid detrimenti Resp. ex illa capiat. Itaque non verebor hanc versare aleã, & (quo tibi, nostroque Magistratui gratificer, Astrologiæ

ogiæ aliqua ex parte aſſertor eſſe, & extra contem-
tum, quantum ipſa patitur, hanc vendicare; cuius
quota pars Medicis vſui ſit, & neceſſaria, Galenus in
ib. De diebus decretoriis (modo ne ſuppoſititii ſint,
tque illi falſo inſcripti) tum Hippocrates De aëre &
ocis demonſtrare mihi videntur. Cæterum ne quis
emere quibuſvis aſſentiatur, iudicium delectumq.
is adhibendum ſtatuo, quæ ab Aſtrologis prodire ſo-
ent. Multa enim merito improbari in hac progno-
ſticandi temeritate, quædam minus recte, & præter
rationem impugnari. Itaque commonſtrandum du-
xi, quousq. progredi fas ſit, & in quibus culpandi di-
uinaculi quidam, quorum improbitate effectum eſt,
vt ars ipſa contemptui eſſe, & deſpicata haberi cœpta
ſit. Hæc autem vir magnifice ſub tuis auſpiciis, & no-
minis tui fauore perficere ſtatui, vt qui in medendis,
profligandisq. morbis, in tuenda ſarciendaq. ſanitate
Lemnii experimentum ſumpſiſti, atque illum cumu-
latioribus, quam eius tenuitas eſt merita, laudibus
exornaſti; ita eiuſdem in his, quæ minoris ſunt mo-
menti, qualecumq. ingenii ſpecimen accipias. Deus
opt. max. diu te nobis conſeruet incolumem, vna cũ
D. Antonio Catſio ſingularis ingenii viro; cui pręter
antiquæ nobilitatis inſignia, exacti excuſſiq. iudicii
laudem defero: quem vt habes eiuſdem vrbis ciuem,
ita nactus es in celebri illo Hagenſi conſeſſu eiuſdem
honoris, eiuſdemq. dignitatis collegam, & mu-
nicipem. Ex Zirizæa, anno inchoatæ
ſalutis, M. D. LIII. No-
nis Martii.

PASCHASII OENII APVD ZIRIZÆOS Archididascali, in Operis commendationem Epigramma cum primis eruditum.

ECquid ab incepto properas desistere cursu?
Et retrahis, veluti tactus ab angue pedem?
An tua, vix lecto titulo, censura libelli
Tam temere autorem damnat, agitve reum?
Dente Bionæo diuina mathemata rodi,
Aut cælo æquari somnia vana putas?
Falleris haud dubie: nec enim conuellit honestas
Artes, nec fumos vendit amore lucri.
Altius hunc purum subuexit in æthera Phœbus,
Quam qui sic læuo tramite serpat humi.
Nil minus, ac verbis alienis ditat aures,
Ingerat vt loculis mille talenta suis.
Nulla futurarum sunt hic præsagia rerum,
Nec quæ cælesti condita mente latent.
Longe aliud Medico scribendi præbuit ansam,
Iustaq; suscepti causa laboris erat.
Sunt quibus Astrologi vel sidera vertice tangunt,
Et quicquid fingunt numinis instar habent:
Sunt qui præcipites vel ad infima Tartara mittunt,
Astrologisq; ferunt vanius esse nihil.
Iudicium morbo superante videlicet illos:
Atq; hos transuersos, quo lubet, error agit.
Lemnius imbutus meliore Pallade, neutris,
Assensus, medium (non sine mente) probat.
Astrologos sequitur sacras duntaxat ad aras,
Quas si conscelerent, deserit Astrologos.
Quid veri, falsiq; habeant, velut indice monstrat;
Quatenus & Physicis rebus habenda fides.
Proinde fac expendas ad amussim cuncta, priusquam
Lector, Aristarchi munus obire pares.

LEVI-

LEVINI LEMNII MEDICI ZIRIZÆI

De Aſtrologia

LIBER VNVS.

ASTROLOGIA, artium vetuſtiſſima, ob diuinandi, nugandique temeritatem, atque impudentiam plus quam coniecturalis & commentitia, a veteribus exploſa eſt; adeo vt huius Profeſſores ab eruditis aliquot proſcindi conuiciis & ſuggillari cœperint, prorſusque vanitatis, atque impoſturę inſimulari: quod ipſum nemo vmquam in artis contumeliam ab his eſſe factum in animum induxerit, nec calumniandi morbo, aut libidine arti præclariſſimæ; aut iis, qui illo ex profeſſo ſunt addicti, inſultaſſe, ſed ea mente in hoc argumento incaluiſſe, quod perſpicerent credulam vulgi turbam, ac promiſcuam plebem plus ſatis illis fidere, illorumque reſponſa tamquam ex tripode dicta arripere; ſic vt omnem ſpem ac fiduciam in illorum dictis collocarent, iisque fixius inhærerent. Denique cum huius doctrinæ profeſſores nihil non pollicerentur, multorumque mentes ineſcarent, vel incantarent potius ſpe fallaci atque ambigua, certatim a cordatioribus horum profeſſio cœpit irrideri, atque exibilari.

Lib.17. Sic Corn. Tacitus: *Mathematici,* inquit, *genus hominum potentibus insidum, sperantibus fallax, quod in nostra Ciuitate & vetabitur semper & retinebitur.* Sic Seneca: *Patere,* *In ludo Claud.* inquit, *Mathematicos aliquando verum dicere, qui Claudium, postquam princeps est factus, singulis mensibus, singulis annis efferunt: & tamen mirum non est, si errant, horam eius nemo nouit.* Fauorinus quoque apud Gellium *Lib. 19. cap. 1.* prolixe contra illos agit, illorumque professionem magno verborum apparatu subruere, atque inter cętera huiusmodi argumentis conuellere tentat. Aut aduersa dicunt euentura Astrologi, aut prospera. Si prospera, & fallunt, miser eris, frustra expectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser eris frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser eris, antequam fatum finies. Si felicia promittunt, eaque ventura sunt, tum plane duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi deflorauerit. Nulla igitur huiusmodi præsagiis habenda fides. Erasmus itidem tali vtitur dilemmate, contraque illos sic ratiocinatur: Aut vera prædicunt Astrologi, aut falsa, aut ambigua: Si ambigua, perinde est, ac si nihil prædicant: Si falsa, cõtumelia est deludi mendacio: Sin vera, aut læta sunt, quæ dicuntur, aut tristia: Si tristia, miser eris ante tempus, & conduplicabitur malum; frequenter enim metus impendentis mali, est ipso malo grauior. Consequitur igitur, inutilem esse futurorum scientiam. Iam vero Cicero non patitur *Tuscul. 1.* viros cordatos mollibus cogitationibus effeminari. *Nam si ante,* inquit, *mors ipsa aduentet, quam Chaldæorum promissa sumus consequuti, spoliati magnis quibusdam bonis destituti illusiq; videbimur. Quod si desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur.* Et cum hæc persuasio Iudæorum quoque mentes occupasset, multosque auerti a Deo curiosa astrorum obseruatione indi-

gnaretur

aretur Hieremias: *Iuxta vias gentium*, inquit, *nolite* [Cap. 10.] *scere, & a signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia ges populorum vana sunt*. Pari zelo incitatus Esaias sic insultat populo Iudaico splendidis promissis deluso, [Cap. 47.] atque auida spe futurorum destituto: *Stent, & saluent te Aruspices cæli, qui contemplantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent futura tibi: ecce facti sunt vt stipula, ignis consumpsit illos*. Postremo, quo probatio sit efficacior, Christi testimonia proferam: qui cum nolit nos anxie discruciari futurorum expectatione, solicitam illam obseruandi curam animis nostris his verbis eximit: *Nolite quærere, quid esuri sitis, aut bibituri, & nolite in sublime tolli*: hoc est; Nemo vestrum sit tam diffidentis fluctuantisque animi, vt superuacua, & nihil profutura solicitudine diuexetur, vt qui ex Astrorum cursu procul in futurum consulunt, ac sciscitantur a Genethliacis, quos euentus successusque sint habituri. Hæc autem, & pleraque alia, quæ hîc congeri possent, & quibus inuadi a nonnullis Mathematici solent, ipsorumque placita luxari; non eò accipi velim, quasi Astrologia despici, contemnique mereatur: quum non artis, sed Professorum vitia hîc designentur, qui ad imposturas nonnumquam illa abutuntur, fumosque imperitæ multitudini offundunt. Habet enim Mathematice suas apodixes, nec omnino incertas, nec fallaces: sed intra has professores eius non consistunt, vt qui nulla certa & probabili ratione, nulla demonstrationum peritia fortunas, euentaque rerum & contingentium causas explorata compertaque habere se exerte profitentur: qua persuasione incautis miris modis imponunt, & ignaras mentes ludificantur. Sic minutula quædam, vt pluuias, vt tempestates, fulgura, coruscationes, tonitrua, caritatem, atque annonæ penuriam, morbos denique populares, quos ἐπιδημίας Græci vocant, quotannis denunciãt

cum fere nihil tale ſubſequi ſoleat,ſed magna ex parte in cõtrarium omnia deuergant; quo ſunt eam exiſtimationem paſſim conſequuti, vt pleriq. illos hallucinari, & cæcutire in aſſertionibus pronuncient,tũ raro ſcopum attingere & collimare. Quum autem eorum plerique ſint a pietate ſynceroque Dei cultu alieni,nec(vt ſacri vates olim factitabant, quos ob id videntes Scriptura vocat)ex Dei præſcripto ſuas prædictiones moliantur, nec ad amuſſim Euangelicam illas exigant, non verentur tamen inconſiderate decernere quas clades ſit acceptura Reſpubl. quis futurus rerum ſtatus, quis curſus, quæ fortuna cuique obuentura ſit, regibus, ſatrapis, dynaſtis, heroïnis, opulentisque matronis: nam tales potiſſimum captant, ac venantur, ſpe & cupiditate lucri. De plebeis vero atque tenuioris fortunæ infimæque ſortis hominibus, qui Deo opt. max. etiam num curæ ſunt, & ex quibus nonnumquam emergunt ad opes, ad principatus,ad imperia, nulla mentio. Obſeruatum eſt anno inchoatæ ſalutis vigeſimo nono ſupra ſeſquimilleſimum, graſſante Cardiaca ſudorifera (quẽ affectum inter contagioſas ephemeras refero, morbisque aliis populatim ingruentibus, prorſus fuiſſe elingues, ac piſce magis mutos. Inſuper cum ab anno incarnati Seruatoris trigeſimo ad hunc qui nobis voluitur, quinquageſimum ſecundum, iam quartùm Oceanus, diſſipatis aggerum molibus, maximã Belgicæ partem oppreſſerit, tantamque hominum pecudumq. ſtragem dederit, vt nemini non terrorem & miſerationem tum luctuoſum funeſtumque ſpectaculum incuſſerit, a nullo tamẽ Aſtrologorum hęc calamitas vel eſt præuiſa, vel denunciata; magno argumento, hac ipſa non tam ſiderum concoctionibus ad quas omnia illi reducunt, quam vltioni diuinæ eſſe aſſignanda. Quod ſi iſtarum rerum profeſſores dexteritate quadam, atque artifici coniectura vri

Reg. 1. c. 9.
Prouer. 10
Pſal. 112.
1. Reg. 2.

ta vti nôrint, facile efficiunt, vt euentus illorum dictis respondeant, aut non penitus aduersentur repugnentque. Nam pleriq. illorum vafricie quadam atque Vlyssæa calliditate regiones omnes perlustrant, & studia populi obseruant, tum in quem fauor hominum inclinet: qui rumores dissеminentur, vel in laudem, vel in probrum cuiusq.: quod huic regi cum finitimo controuersiæ, aut simultates; quæ sit inter fœderatos conspiratio; inter ciuiles contentio; inter competitores concertatio: sic illis fere astra minari aiunt, qui opibus minus valent, quiq. armorum, atq. amicorum præsidio sunt destituti: Nunc Rex Britanniæ periclitatur; nunc Imperator inuictus sinistri aliquid expectat; nunc Galliarum Rex aliquid monstri alit, & quo regni limites proferat, bellum meditatur, etiam quum tale quiddam numquam illi in mentem venerit; nunc Turca infestissimus Christianorum hostis ceruicibus nostris imminet, atque Europam terra mariq. inuasurus dicitur; nunc Ecclesiastici proceres ditione seculari spoliandi, quod nonnullos, qui his non optime volunt, affectare imperiũ videant. Sic modo huic, modo illi miniratum est fama, fauore, opinione, ac fortuna nutante, aut hunc, aut in illum minus propensa. Hæc quum non malitiose, nec petulanter, insolenterq a me dicantur, sed eo studio, vt quæ vitia arti subesse sentiam corrigantur; nolim me fraudi esse, aut a quoquam interpretari malignius, quum nemo me huius artis sit studiosior, illiq. addictior. Nam is demum huic arti debitum honorem deferre videtur, qui inspectis obseruatisq. sideribus, mentem in illorum opificem erigit, quique horum vires, & quàm habent in res inferiores efficaciam Deo asserit; illud exclamans identidem:

Tu stellas numeras, quarum tu nomina solus
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti.

Ouid Lib. Meta. 1.

Vel vt familiarius cum illo agas, verbisque popularibus, illi suas laudes & magnificentiam decantes: *Tu numeras stellarum myriadas, & singulis nomina imponis. Verbo tuo Domine cæli stabiles sunt, & spiritu oris tui consistit omnis virtus & ornatus eorum. Tu præcipis Soli, & non oritur, & stellas claudis veluti obsignaculo. Video cælos opera manuum tuarum, Lunam & stellas quæ tu fundasti.*

Psal. 146. *Psal. 32.* *Iob. 4.* *Psal. 8.*

Quæ cum euidenter demonstrent, Deum nihil temere, nihil frustra, aut fortuito, sed omnia prouide & solerter in hac mundi vniuersitate constituisse; nec passim stellas, omni vi ac facultate destitutas, vagari ociosius: certo statui potest a viris etiamnum Christianis, inferiora hæc motibus cælestibus duci, influxuque siderum seruari, foueri, ac vegetari herbas, frutices, arbores, virgulta, metalla, fodinas, & subterranea quæque. Sic Lunæ impulsu suos æstus habet Oceanus, & continenter dissultat ac reciprocatur; sic Soli secundum Deum debetur, quod non intermittit statis vicibus;

Apud Cic. Tusc. 1.

Cælum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum vbertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.

Nec solum vi & calore Solis vegetabile quodque, vt stirpes, atque arbores fructiferæ maturescunt, & incrementa sumunt; sed mentes quoque humanæ vigent, atque illustrantur. Nam magna ex parte sagaciora existunt, minusq. obstupescunt, quæ huic sideri vicina sunt, quæq. Sol ipso fulgore suo propius irradiat; ad quod sic allusit Dido Virgiliana:

Æneid. lib. 1.

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

Et quoniam sidera non vnam seruant faciem, sed varias formas, ac diuersos colores sibi asciscunt, vel ex situ loci, cælique ambitu, quem permeare solent,

ſolent, vel ex obiecti natura, & re quapiam illis offuſa, (vt gemini nuper conſpecti ſoles, & totidem irides præter ſolitum auerſoque a Sole curuamine exporrectæ) ideo curæ eſt rerum Phyſicarum ſtudioſis, quid illa portendant, exactius obſeruare, atque ex his prænunciare ſerenitates, ventos, pluuias, turbines:

An. 1552. Ian. 19.

Ac tempeſtates dubio prædicere cælo,
Et quando infidum remis impellere marmor,
Conueniat, quando armatas deducere claſſes.

Virgil. Geor. I.

Sic nautæ apud Belgas biduo ante Solis & Lunæ congreſſum, & totidem diebus poſt hunc, Oceani aſſultum obſeruant, quem indigenæ voce gentilitia *Sprinckſtroom* vel, *Chierſtroom* vocant: nam eo tempore mare intumeſcit, ſolito altius, & fluctus crebreſcunt. Cuius rei ignarus Cæſar, cum in Oceano Gallico infidam ſtationem eſſet nactus, amiſſis armentis, conuulſisque antennis & artemone, propemodum claſſem eliſit. Similem Oceani æſtum & Luna plena conſtanter fieri videmus, quo tempore conchylia, & teſtacea quæque turgeſcere, & impleri contingit. Hæc autem & pleraque eius generis tempeſtatum & rerum futurarum præſagia, quæ ex phyſicis prænotionibus eruuntur, non improbat, nec obſeruari vetat Chriſtus, quum inquit, *Hypocritæ, faciem cæli noſtis diiudicare.* Sed vult iis, quæ menti cultum adferunt, parem adhiberi diligentiam, eorumque obſeruatores eſſe tum oculatos, tum curioſos. Medico vero eatenus obſeruanda ſiderum ratio, quatenus ad quadripartitas anni varietates, ad corporum mutationes, ad morborum inſultus ſpectat. Sic Galenus cum primis, inquit: *Neceſſarium vnaquaque in regione, vbi artem Medicam obire inſtituis, perſpexiſſe cuiuſque ſideris emerſus obituſque, quia tempora anni ab his circumſcribuntur.* Quod ipſum rectiſſime præcepiſſe mihi viſus eſt; quum corpus humanum magnas ex hac viciſſi-

Comment. belli Gall.

Luc. 12.

De morb. vulg. comment. I.

tudine mutationes sustineat, humoribus aliis vel emergentibus, vel subsidētibus. Sic euidenter perspicimus vere efflorescere sanguinem, & spiritus erigi; æstate flauam bilem efferuescere, atque iras exacui; autumno restagnare melancholiam, mentemque deiici, atq. obnubilari; hibernis mensibus redundare pituitam & corpus veterno opprimi. Iam cedò, in quam caussam aliam referri velis muliebris profluuii statas fixasq. periodos, quam in Lunæ motum? Nam quibus naturalis is fluxus est futurus, exactis triginta plus minus diebus, quibus lunare curriculum conficitur, excitari solet. quod si serius, vel citius fluor ille decurrat, præter naturæ ordinem, atque ex morbo id fieri constat. Sic iuuenculis, atque iis quæ nubiles sunt, maturæque viro, a decimoquarto ætatis anno, ad primum & vigesimum. pubescente Luna, ipsaque in cornua modo falcata, menses profluunt, obseruata climacterici anni ratione. Ab ea vero ætate ad vigesimum octauum, aut trigesimum primum. Luna medio orbe diuisa, hunc sexum prolui contingit. Quæ vero ab eo annorum decursu ad trigesimum quintum prouehuntur Luna plena, eaque in orbem circinata, mensium profluuio obnoxiæ sunt. Effœtis autem & quarum ætas ad quinquagesimum annum vergit, sensim desinunt muliebria, aut madores non confertim, nec affluenter, sed collapsis meatibus, & conniuentibus locis, quarta Luna, iamq. senescente, promanant. Atque hinc prouerbiali schemate, QVARTA LVNA NATOS dicimus, quibus sinistra, parumq. auspicata rerum omnium sunt initia. Quod ipsum non tam ad diem quartum, licèt in eo humores etiam rarescant subsidantque, quam ad postremum Lūnæ quadrantem refero. Nam qui senescente Luna, aut post huius dodrantem nascūtur, partim ob sideris defectum, partim ob enitentis debilitatem ægre atq. laboriose in lucem prodeunt.

7. & 9.

Cum

Cum enim parturienti loci dehiſcere aut dilatari incipiunt, confeſtim erumpente humoris profluuio, muſculos membranasq. macerari, ac lubricas fieri contingit; qua vligine vulua deſtituta, vt quarta Luna aſſolet, cunctantius partus abſoluitur, adeo vt vix magno conatu ac molimine ex tam anguſtis aridisq. latebris infantulus eluctetur. Tale enim quiddam in partu imaginari debemus, quale in nauigiis, magnisque molibus ſubducendis obſeruamus, quæ vncta oleoque perfuſa commodius propelluntur; vel trochleis, vnguine, ſeuoq. illitis ac delibutis, fune ductario quaqua verſum minimo negocio incitantur. Ceterum in conceptu & partu omnia contraria exiguntur: in illo enim moderata ſiccitas & ſcabricies; in hoc læuor, & mera lubricitas exquiritur, labraque vda atque hiantia. Sic ſternutamentum in conceptu, oſcitatio in partu noxia eſt: quod per illud dilatari ac diduci, per hanc præter rationem concludi conſtringique vterum contingat. Porro iis quæ parturire incipiunt, ſalutaris ſternutatio; quæ vero conceptura ſunt, oſcitatio: ſic vt poſt congreſſum maritalem oſcitare mulierem, firma plerumque conceptus argumenta præbeat; ſternutare vero effluxum eius quod adhæſurum erat, indicat. Quamobrem inſtante vrgenteque partu, aut ſecundis hærentibus ſternumenta ciere vtile eſt, quod hiſce Aphoriſmis Hippocrates aſtruit: *Mulieri quæ ſtrangulatu vterino moleſtatur aut difficulter parit, ſternutatio ſuperueniens, bonum.* Item Aphoriſ. 49. *Vt ſecunda procidat, ſternutatorio appoſito, & nares apprehendito & os.* Puerperæ itaque, vt incepta perſequar, commodum facilemque partum Luna plena experiuntur, quod vterus humore mucoſo affatim madeſcat, cuius adminiculo infantem procliuiter deſilire contingit atque elabi. Quamobrem mulieres, quæ obſtetricandi munus obeunt, ruptis ſecundis, ac profluente humore

Simile.

Lib. 5. Aph. 35.

lubrico, sedulo instare operi par est, atque parturientem, vt alacriter eniti studeat, placide extimulare, præsertim vbi quarta Luna pariendi labor inciderit. Quod si illam occasionem, atq. huius rei conficiendæ opportunitatē præterlabi sinant, tam difficile partus absoluitur, vt toto vitæ tempore illa enitendi difficultas & delassatio vtrique adhæreat; si vt in posterum dubia sint valetudine ac vacillanti, omnibusque membrorum functionibus improspere vtantur; maxima tamen calamitatis pars in fœtum recidere solet. Nam hoc illi accedit ad malorum cumulum, vt vitam agat ærumnosam atque infelicem plerumque in aggrediendis rebus successum habeat: siquidem non tam corporis viribus quam consilio & prudentia, quibus res maximæ perfici solent, sunt destituti. Hinc igitur prouerbii origo profluxisse mihi videtur, quæ tamen apposite ad conceptum referri potest. Qui enim concepti sunt vtero destituto humore, quo fœtus alitur, quo vires & incrementa sumit, non possunt omnibus numeris suis perfici, omniumque partium facultatibus absolui; quod fere vsu venire solet iis, qui quarta Luna arentique vulua, vt Esdras ait, concipiuntur. Sic videre est illos, qui a prouectioribus, vergentisque matronis progenerantur, ob corporis ariditatem plerumque esse graciles, macilentos, strigosos; ob spirituum vero densitatem rigidos, præfractos, refractarios, totosque ἀγέλαστους, atque a Gratiis alienos: nisi forte in ea ætate progenitores blandi atque hilares, tum modice vino concalefacti procreandis liberis operam dederint. Visi sunt enim seniculi aliquando inter se iuuenari & lasciuire, suaque habere blandimenta, ac vernis mensibus in amplexus ruere: Nam ea pars anni prouerbium nobis peperit: *Nullus equus est tam effætus, tamq; exhausto corpore, quin mense Maio hinnitum edat.* Quo intelligunt neminem tam senilis aut deuexæ ætatis,

Psalm. 4. Cap. 5.

ætatis, quin in amœnissima illa anni parte aliquid inesse iuuenilis animi testetur, aut aliqua hilarioris, erectiorisq. mentis indicia proferat. Hinc elice, quî fiat, vt infantium nonnulli viuidi sint, alacres, erecti, gesticulosi, moribusq. plane Comicis: & quod ad externas notas attinet, corpore succulento, colore florido, vultu blando, facie honesta & liberali, vt quibus bifida illa oris compago decenter sit expressa; non os distortum; non frons tetrica & superciliosa; non labra deformiter exporrecta, & protuberantia; non dentes exerti, & prominentes; sed quod ad oculos, ad lineamenta, totiusq. corporis speciem attinet, prorsus amabiles, & gratiosi. Cuiusmodi constitutionis hominibus temperamentum æquabile & symmetron Galenus attribuit, quod omnes facultates tum naturales, tum animales inculpatas inoffensasque obtineat. Alii vero his dissimiles, & toto diametro oppositi taciturni sunt, cogitabundi, atque animo plane demisso, deiectoque, aut quam pro ea ætate sedatiore; colore denique exangui, aut qui albo est deterior giluo, aspectu vero toruo, fronte obducta:

De temp. 1. & 2.

Obstipo capite, & figentes lumine terras,
Murmura qui secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantur verba labello.

Per. Sat. 3.

Quos ego vel ex morosis, vel seniculis, vel valetudinariis prognatos iudicare soleo; quibus fere, dum progignendæ soboli dediti sunt, vires flaccescunt, ac languide remisseq connubiali munere perfunguntur. Sunt etiam pleriq. minus salaces minusq feruidi, & qui grauate huic rei operam impendunt; hi quo vxoribus gratificentur, atque illas pacatiores magisq. commodas experiantur, pensum concubitus persoluunt quidem, sed frigide, flaccide & oscitanter. Quo fit, vt proles, si quas excitent, degeneres, minusque generosæ existant; quod illis spiritus

cum humoribus parcius contractiusq. distribuantur. Hinc arrepta est occasio quibusdam, vt dies, & signa quędam inominosa vitent. Cum enim per totius corporis partes Luna voluitur, studiose cauent, ne quod membrum aliquid incommodi sentiat. Sic Luna cũ Scorpio inhæret (quod insecti genus nõ in terris tantum ictibus infestum & exitiale est) in re venerea sibi inducias imperant, nec consultum arbitrantur illas partes defatigare, quas Luna perreptat, & quæ Scorpioni attributæ assignatæq sunt. Non desunt, qui in ipso interlunio concubitum fugiant; quod nõ abs re mihi facere videntur; quum eo tempore venę arescant, & natura iis præsidiis, quibus res ista perficitur, sit destituta. Quod si eiusmodi conditionis homines vel casus, vel necessitas, seu debiti solutio (sine qua constare nequit pax domestica) ad concubitum impulerit, cum fere meticulose sese operi accingant, nec exacte rẽ ipsam perficiant; fit, vt vel fructus præsentis operis frustrentur, vel qui concipiuntur, aut nõ sint vitales, aut macilẽti & squarosi ex humoris defectu in vitam prodeunt. Similes animorum affectiones in infantem recidere solent, siquando vel ira, vel mœrore, vel quauis alia perturbatione mentem opprimi, aut obnubilari contingat. Sic Socratem dicere solitum accepimus; *Corporibus ebrietate diffusis, aut ira percitis non impendendam operam procreandis liberis: nam fœtus moribus & membris mutilos obliquosq. procreant.* Sic Diogenes aliquando conspicatus adolescentem lasciuum, atque improbis moribus; *Ebrius te*, inquit, *proseminauit pater*. Nec sane aliunde, quam ex perturbati animi motibus proueniunt tot vitiati atque ante diem exturbati conceptus, tot abortus informes & inelaborati, tot prodigiosi partus, tot monstra portentaq; hominum, tanta denique deliratio, tantusque error mentis, & alienatio: adeo magni refert, quo quisque sit animi affectu, qua corporis constitutione,

Ειϱωνικῶς.

Plato de Repub. 6.

tione, vbi propagationi prolium eſt deditus, aut in rem veneream incumbit. Auxiliantur aũt his rebus efficaciter aſtrorum concurſus: eaque ab Ariſtotele veriſſime eſt prolata ſententia: *Homo generat hominẽ & Sol.* Quæcunq. enim in humore & calore conſiſtunt, eoq. perfici debent, Solis ac Lunæ motibus ſubdita ſunt. Quod ipſum obſeruantes agricolæ, ligna quo minus carie infeſtentur minusque vermiculis & teredini obnoxia ſint, ſilenti Luna cædere ſolent; vtpote humore excrementitio minus imbuta. Quæ vero ſeruntur, plantantur, inſeruntur, & inoculantur:

2. Phyſic.

> *Aut vbi cultores aliena ex arbore germen*
> *Incidunt, vdoq; docent inoleſcere libro,*

2. Georg.

creſcente Luna tempeſtiuius ea perficiunt. Nam citius adoleſcunt, atque incrementa capeſſunt ſucculenta quæque, atque affluentius humore perfuſa. Sic colonis curæ eſt, frumenta ſeneſcenti Luna in horrea conuehere, quo ſicca permaneant, atque a curgulionibus minus impetantur. Quod ſi humida tempeſtate, aut ſtatu cæli Auſtrino ſata, demeſſasque fruges inferri contingat; vel renaſcũtur, vel aſſeruata promptiſſime vitium contrahunt. Sic zythus, eaq. potio, quæ cereuiſia Belgis dicitur, ex huiuſmodi fruge decocta citiſſime acore vitiatur, tum panis confeſtim mucidus fit, ſituq. obducitur. Atq. huc refero, quod cereuiſia (vt triuiali voce vtar) menſe Martio cocta, ſerius aceſcat. Quia maza polentaria, aut cremor ille frumentaceus (cuius decocto huiuſmodi liquamẽ & colore fulueſcit, & ſapore tantum non vini naturam aſciſcit) ex aëris temperie minus corruptelę ſentiat. Nam eo tempore lupi ſalictarii flores, atq. frumenta tempeſtiue recondita, in eumque vſum ma cerata, perennare ſolent, & per totius anni decurſum nihil vitii aut noxæ contrahere. Sic aqua cæleſtis, quæ menſe Maio delabitur, ob aeris ſalubrita-

Mout.

Hopp.

tem omnis corruptionis expers est, quum id tempus inter calorem feruidum, & frigus intensum, ceu intra duo extrema constitutum, maxime temperatum existat; diffusa scilicet vndique florescentium stirpium, herbarumq. suauitate & fragrantia. Quo fit, vt nihil contagii concipiat, aut quod illi putredinis causam præbeat, assumat: adeo vt illam post triennium in vsum deprompserim defæcatissimam, atque omnis vitiosæ alienæque qualitatis expertem. Cum igitur res inferiores sic afficiat cęli qualitas, tantaq vi polleat. Sol ipse dux & moderator omnium, ipsaque Luna (vt cetera prætercam) suas vires conferat, licet aliena atque ascititia luce splendescat: non temere profecto, nec ab re siderum meatus obseruant Medici;

1. Georg.

Nec frustra signorum obitus speculantur, & ortus,
Temperibusq; parem diuersis quattuor annum.

Multi enim morbi statis fixisque temporibus recurrunt, atque impulsu siderum agitatis humoribus postliminio recrudescunt. Sic qui morbo comitiali cōuelluntur, atq epilepsia concidunt, quum aut Luna incboatur, aut impletur, magna ex parte huic malo inuoluuntur, statu fere cæli nubilo atq. Austrino ipsoq. sidere iis corporis partibus infixo, in quibus delitescit is humor, qui huic malo causam præbet & seminarium. Ideoq; circa ea tempora purgationes hi moliri studeo, tum coërcere morbi sæuitiem amule tis, atque alexipharmacis; inter quæ præsentane comperi Pęoniam masculam, Galeno etiamnum ce lebratam, scyllam, & illi congenerē Pancration, fru ticulum, quem viscum vocant (quem graphice hi versibus expressit Virg. in lib. 6. Æneid.

Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leui crepitabat bractea vento;
Quale solet siluis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos,

E

Et curuo fœtu teretes circumdare truncos.

Alcis animantis vngulam, postremo humani cra-
ei scobem aut ramenta: eaq. omnia vel exiccantis Eelant.
tione, vel totius substantiæ vi & proprietate. Quã-
brem accurate siderum ratio obseruanda Medico
n explorandis excutiendisq. morbis; in exhibendis
ntapotiis;in secandis venis;in ciendis ex morbo sup-
ressis mensibus: sic, quo ars naturæ adminiculetur,
iuuenculis,atq. iis, quæ in ætate florida hoc præsidio
d præcauendos morbos opus habent, in nouilunio
ut plenilunio circa malleolos venam ferire iubeo,
ut cucurbitulis coxis admotis scarificari. Sic horum
ecursu præsagia critica stabilire, fulcireq. soleo, suc-
enturiata Hippocraticis. Nam hecticos, tabidos, ma-
asmo & marcore affectos, quosq. immodica siccita-
e atq. atrophia, hoc est nutriendi defectu implicari
contingit; Silicernia deniq. & capulares senes, silenti
Luna, æstuq maris subsidente, extinctum iri denun-
cio. Plethoricos vero, & quos morbis ex plenitudine
aut humorum redundantia tentari video, ceu Peri-
pneumonia, Pleuritide, Lethargo, Apoplexia, Cato-
che, Caro, Catalepsi, morbisq. aliis pituitosis & inter-
cutaneis, Luna plena, æstuq. Oceani exundãte inter-
ituros pronuncio, aut saltẽ plerosq eorum pro mor-
bi conditione manifestam alterationem subituros,
subsequente critica sanguinis eruptione, vel ex qua-
uis parte alia spontanea humorum purgatione. Hęc
vero verbosius a me dicuntur, quod Astrologiã plu-
rimi faciam, nec velim quemquam ab hac professio-
ne deterreri, sed incitari potius, & calcar adiici, modo
in his versetur, quæ generi humano sint vsui, & absit
in obseruando superstitiosa vanitas, atq. in pronun-
ciando inconsulta temeritas. Nam ad hunc modum
is, qui sapientiam conscripsit, seu Solomon, seu Phi- *Cap. 7.*
lo, obseruasse memoratur astrorũ decursus, totiusq.
cæli ambitum. Ex his enim vices rerum varias, atque

innouationes insolitas, subsequi videmus. Nō enim temere, aut ex nulla causa firmamentum opus tam spectabile, & visenda specie, oculis hominū exhibuit Deus; sed vt Mose teste, sit in signa & tempora, in dies & annos. Diuinatricem vero Astrologiam, seu iudiciariam (quam nonnulli profitentur verius, quam præstant) non omnino improbo, modo intra fines suas ipsa consistat, modo ne religioni fiat iniuria, & pietati iacturam inferat, modo ne nos, nostraque omnia siderum necessitati superstitiosius astringat. Quod autem præter artes innumeras, Mathematica potissimum sit amplectenda Medico, neminem, qui in operibus naturæ sit exercitatus, quiq. in rerū contemplationem mentem habet erectam, ignorare existimo. Quis enim rei Medicæ cādidatus ab Astrologiæ placitis tam est alienus, qui quotannis non obseruet, quid astra efficiant, & quas vires exerant in terrena concretaq. ex elementis corpora cælestes causæ? Sic vel ex plebe quiuis facile perspexerit, Caniculæ ortum, atq. ardentium stellarum congressum vrere corpora, & siticulosa efficere, febres æstuosas excitare, siccitates & squalores (vt Hippocratis verbo vtar) inducere: sub qua tempestate ac cæli statu canes aguntur in rabiem; homines extenuatis resolutisque spiritibus flaccescunt & resoluuntur; sues grandinosi fiunt atque strumosi; pecudes & iumenta lassitudine vlcerosa, languoreq. morbido efficiuntur, præsertim vbi aura æstiuis mensibus egelida est, aut flantibus Etesiis & Euronoto tepescit. Nec solū quicquid spirat ac vitale existit, his iniuriis expositū est, his malis obnoxiū, sed inanima quæque, atq. ipsa alimenta ex aëris ambientis qualitate noxam contrahunt ac vitiantur. Sic etiam apud hos qui polo Arctico subsunt, carnes rancescunt, & vermiculis scatēt, panis mucore, situq. obducitur: zythus & quæ Belgis *Biria* dicitur, primo quoq. tempore euadit acida; restagnant

Gē. 1. & 2.

De morb. vulg. lib. 1.

ignant apud hos putei,&velut Cocytus,aut Camena mephitim quandam exhalant; vestes a tineis, a attis papyracea eroduntur; fruges rubigine; herbæ redine infestãtur; teneros olerum cauliculos,plantrumq. asparagos ac turiones erucæ depascunt; e aseis scaturiunt teredinum examina; vinum in cellariis,nisi in intimos recessus reconditum,porticibus enestrisq. Aquiloni oppositis, modo fluctuat feruescitque, modo pendulum fit,ac mellis lentore tenax & glutinosum; ex cuius potu calculi in renibus,in articulis purulenta concretio & tophacea durities cõgelascunt. Quæ cum magno mortalium damno ac detrimento quotannis spectemus, quis nõ assentiat astrorum cursus effectusq. obseruandos Medico,tum rationem ineundam,qua horum incommoda declinari,euitariq. possint? Ceterum nolo quisquam existimet, sic me patrocinari Astrologis,vt omnia illorũ demonstrationibus subiiciam: neque enim penitus Mathematicis rationibus inhærescunt Medici,vt qui in materia & humorum commixtione, morborum tum causas tum differentias perquirant, quum Mathematici morbos, eorumq. symptomata ad siderũ concursum referant. Sic Martis aspectus, vt isti statuunt, biliosos efficit, irritabiles, feruidos, suiq. generis morbos parit, nulla habita flauæ bilis,aut rubrę choleræ ratione; Saturni sidus melancholicos effingit, tetricos, morosos, amarulentos, quartanisque obnoxios: pari modo de reliquis ratiocinantur. Hinc Persius, quod Cornuto philosopho indiuulse cohæreret,tantusque esset vtrinque animorum consensus, ac sympathia, astrorum motibus his numeris id adscripsit;

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo Satyr. 5.
Consentire dies, & ab vno sidere duci:
Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus horis

Diuidit in geminos concordia fata duorum:
Saturnumq; grauem, nostro Ioue frangimus vnà.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum.

Quibus sane vt non repugno, ita Medicorum sententiæ potius adhæreo Nam firmioribus illi rationibus mihi niti videntur, vt qui ad qualitatum elementarium mixturas, ad temperamenti differentias, ad humorum exuperantiam & defectum omnia referant. Siquidem Medici in morbi naturam, eiusque symptomata defixi, decumbentem periculo eximũt, mortiq. eripiunt, in tempore atque oportune adhibita venæ sectione, aluiq. ductione, tum iis quæ vrinas, quæque sudores eliciunt atque humorum collectiones discutiunt, quorum præsidio sublata humorum redundantia & ebullitione, discussa putredine & oppilatione, mitescunt morbi, & quæ comitari solent accidentia consopiuntur. Nec vero Medici, quãlibet dira minentur astra, quantumuis siderum aspectus formidabilis existat, sibi moras iniici patiuntur, aut a legitima curandi ratione absistunt; sed cum morbus vrget & infestus est, omnia quæ dictat ratio, quæ suadet experientia (queîs duobus tota medicina nititur) non segniter circa ægrotum moliuntur, nec a venæ sectione deterrentur in ea etiamnũ parte corporis, cui Luna insistit, atq. immoratur. Et profecto hoc vno mihi semper visa Medicorum sententia potior, quod quum ad sanitatem tuendam, profligandosq morbos sua consilia dirigunt Medici, vnica ratione & denunciare morbos, & iis commode mederi norunt, vitæque & valetudinis incommoda diserte prædicere, & dextre propulsare: quum Astrologi non ad curandi rationes, sed euentuum modò prædictiones nonnumquam malefidas intenti sint, omniumq. morborum, & contingentium causas assignent astris, quæ vt donem in corpus, illiq. cohærentia aliquem locum, effectumque sortiri: hoc tamen axioma

axioma, ſeu pronuntiatum, vt rationi & vero cõſentaneum, omnibus perſuaſum eſſe conuenit: *Aſtra nec animo imperare, nec mentem aut voluntatem illorum vi incitari.* Anima n. non eſt elementaris; & aſtra, ſi quid efficiunt, non agunt, niſi in ea, quę ex elementis conſtant, atq. e rerum concretione conflantur. Inſuper & hoc paradoxi loco adiiciam, cui, quod ad probationem non deeſſe rationes intelligam, ego lubens aſſenſum facio, & neminem non aſſentiri credo, nempe: Lõge minores motus ciere in corpore aſtra, multoq inefficacius & tardius impellere ad agendum cõcurſum influxumq. ſiderum, quam qualitates ipſas elementares, quam humores corpori cognatos & familiares, quam ipſa alimenta, ex quibus humores ſuam naturam, ſuaſq. qualitates ſortiuntur. Aliquãto enim concitatiores, magiſque feruidos vinum facit meracius liberaliuſq hauſtum, quam Martis rutilantis radii. Nonnulli .n. vbi vino plus ſatis incaleſcunt, ad arma proſiliunt paulo ardentius, quam ſi ex aſtris impelli contingat; deniq. paulo acrius lumbos incitant, parteſq. corporis abditas atq. obſcœnas tentigine afficiunt ſcincus, bulbi, orchi, ſatyriones, cicercula, fungi, eruca, naſturtium, rapæ, napi, eryngium, cinara, ſcolimos, quam Veneris, aut cuiuſvis ſideris influxus & inclinatio. Sic ſalubris diæta, victuſq. temperantia, & frugalitas optimum corporis habitum motuſq animi ſedatos conſtituunt; praua autem viuendi conſuetudo, quæ luxum vitæq intemperantiam comites trahit, deterrimum corporis habitum efficit: ex quo fere ſimiles animorum motus, affectioneſq. emergunt. Nam plerunque vt Galen. aſſerit, *Animi mores corporis temperaturam ſequuntur.* Ceterum nemo tã eſt infelici conſtitutione corporis, nec tã inæquali intemperie, quin ſalubri alimentorũ vſu & laudabilis ſucci cibis, appoſitiſq. exercitiis, deprauatũ corporis habitum ad cõmodiorem poſſit reducere. Hu-

mores .n. atq. alimenta subinde alterascunt, atq alia in alia prompte transeũt qualitatum permutatione. Sic admodum facile est ex Cholerico vel Melancholico sanguineum perficere; vel vt ad qualitates potius hæc referam, frigido & sicco, vel alterius qualitatis temperamento calidũ atq. humidũ inducere, tametsi vel Martis, vel Saturni sidus rapit in contrarium. Sic quod ad internas notas attinet, sępe videas Phlegmaticum veternum & torporẽ excutere, Cholericũ concitati animi impetus, atq. excandescendi procliuitatem cohibere; Sanguineum ad seueriores motus se cõponere; Melancholicum anxium, & ex nulla causa solicitum animũ exuere. Vt .n. feræ & immanes bestiæ cura atq. officio hominum mansuescunt, & cicurantur exuta natiua insitaq feritate: vt deniq. generosi ac feroces equi palpo & popysmate condiscũt,

Insultare solo, & gressum glomerare superbum:

Ita natura hominis mutationib. assuescit, fingentisq. obsequitur arbitrio; sic vt non in corpore modo, verum etiã in animo ad diuersos mores & studia, ad aliam vitæ consuetudinẽ reducantur. Natura .n. humana, vti stirpes & virgulta cultu domita & cõdocefacta in omnẽ partem flexilis atq obsequiosa est. Siquidẽ

Vt laus est ceræ, mollis cedensq; sequatur
Si doctos digitos, iussaq; fingat opus;
Et nunc informet Martem castamve Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Sic hominum ingenium flecti, duciq; per artes
Haud rigidas docta mobilitate solet.

Ex Plinij Epistolis.

De vsu part. Gale. lib. 1.

Quod ipsum nemini absurdum videri debet, quum sint homini insita virtutum semina, ipsaq. mens imbuta sit artibus etiam ante artes. Ratio enim menti indita, omnes artes in se complectitur, illasq. animo inclusas elicit, vt nos attritu silicis scintillantes igniculos. Quod si huc accedat proba institutio mentemque diuinitus afflari contigerit, nõ est quod quisquam

quam metuat quamlibet ferale sidus aut noxiũ. Dici autem vix queat, quam commode, quam inculpate, quãq. ex vsu valetudinis in his qui liberaliter incorrupteq. sunt educati, perfici contingat naturaliũ facultatum potentias, ceteraq. inoffense administrari, quibus sanitas consistit & conseruatur: qualia sunt cibus & potus, quies, exercitatio, somnus, vigilia, aëris ambientis qualitas, affectiones animi, ex quibus fere infinitæ corporum differentiæ, motusq. animorum dissimiles oriuntur. Gentes .n. & nationes omnes nõ solum locorum interstitiis distant, ac discretæ sunt, sed etiam cultu inter se differunt, lingua, moribus, alimentis, corporum atq animorum varietate. Sic intra vnius ciuitatis mœnia, intra eiusdẽ domus septa, & ædium conceptacula, quæ ingeniorum morumq. dissimilitudo perspicitur? quale animorũ discrimen, quanta corporum disparitas? Iulius Firmicus, quo artem suam plausibilem factitet, eamq attollat in immensum, omnium rerum ordinem, cursum, fortunã, casus, atq euenta ad suam professionem refert, cæloque & astris horũ causas assignat: quod vt in præsentia non libet refellere, in eoq. esse contentiosum; sic educationem maximã habere vim, ac plurimũ hac in re momenti obtinere prorsus statuo, illiq. omnia expensa acceptaq. refero, vt quæ in tota ratione mortalium sola (vt Plin. verbis vtar) vtramq. conficiat paginam. Nam si multorum populorum studia, mores, propensiones, conatus atq. molimina libeat excutere, inuenies non ab astris, sed ab educandi ratione, & patria consuetudine hæc ipsa pendere: sic

Naturalis hist. lib. 2. cap. 7.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris:

In arte Poet.

Sic Thessali veneficii infames; Leontini poculis addicti, petulantesque ac lasciui; Sybaritæ luxu perditi, fastuque turgidi; viles Cares, & venale mancipium; Milesii molles & delicati; in disciplina milita-

ri ſeueri Lacedæmonii, & eorum coloni Crotoniatę; callidi ac fraudulenti Thraces; Galatæ ſtolidi & (vt Paulina vtar voce) ἀνόητοι: Cretenſes, vt idem ex Epimenide refert, ſemper mendaces, malæ beſtię, ventres pigri; Galli agiles, erectæq. mentis, & inquietæ, ingenio vario, verſatili, panurgo, & nato rebus agendis: obiter illos

Gal. 3. *Tit. 3.* *Galli.*

Eſſe putes quemuis hominem: tum dicier apte
Grammaticus, Rhetor, geometer, pictor, aliptes.
Augur, ſchœnobates, medicus, magus, omnia nouit.

Iuuenalis Satyr. 3.

Itali magnificentia regia, & maieſtate prorſus heroica ſpectantur, inceſſu moderato, cultu habituque corporis decenti & compoſito, ingenio ad dicendum appoſito; ceterum ſimultatum atque iniuriarum tenaces, ac vindictæ auidi; Hiſpaniarum populus, qualem Horatius in arte Poetica producit Achillem,

Hiſpani.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura negans ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Britanni.

Britanni in cultu, & corporis nitore ſplendidi, in victu delicati, & ſumptuoſi: ſed plerique eorum inhoſpitales, & inhumani, ne dicam crudeles; vt qui in victos inclementer ſæuiant (quum olim Romani, orbis domitores, vt Saluſtius ait, nihil præter iniuriæ licentiam eripere ſoleant) doctrina tamen, & inſtitutione iam pridem illorum ingenia miteſcere, minuſque ferocire didicerunt. Germani magnanimi, atque animoſi, ſed ex veteri inſtituto prædationibus aſſueti; quæ, vt Cæſar ait, nullam habent apud illos infamiam, vbi extra fines cuiuſque ciuitatis perpetrantur: eas enim exercendæ iuuentutis, minuendæque deſidiæ cauſa tolerari prædicant, & ne ea ætas otio ac veterno torpeſcat. Flandri ex Pleumoſiis, Gordunis atque Aduaticis conflati, lingua & manu prompti ſunt, in bello audaces, & nullis poſthabendi, niſi poculis atque amoribus illorum virtus langueſceret. Quod vero ad huius gentis vulgarem & verna-

In Catil. bello. *Germani.* *De bello Gall. 6.* *Mela lib. 3* *Flandri.*

ernaculum loquendi vſum ſpectat, nuſquam gratior verborum blandities, & lenocinium, nuſquam maior comitas, affabilitasq. ſermonum. Nec ſolum in patrio natiuoq. idiomate diſerti ſunt, linguaq. fluxa, volubili, & flexanima, ſed externas peregrinaſq. linguas tam exacte ſonare conſueſcunt, vt nō cuiuis promptum ſit, innata ne ſit hæc illis, an aſcititia, diiudicare; adeo penitus gētilitia loquēdi proprietas illis aboletur. Quæ naturæ dotes pleriſq. nationib. in diſcendis, exprimendiſque linguis prorſus denegantur. Brabanti, quos *Ambiuaritos* olim dictos ex Cæſare colligere licet, ſympoſiis gaudēt & compotationibus dediti ſunt: quod teſtantur tot apud illos encænia & ſodalitates, tot dies Geniales & Soteria; quo fit vt ſenectutem minus grauē atq onerosam ſentiant, nec vt ceterarum nationum ſeniculi moroſi aut queruli exiſtant, nec inertis & ſomniculoſę mentis, ſed qui ingraueſcente ætate viuant hilarius, ac mores plane Comicos ſcenicoſq exprimant; ſic vt quam minimū imaginationibus melancholicis ſe inquietari patiātur, imo his obſiſtant potius atq obluctentur. Qua viuēdi ratione efficiunt, accedente aëris temperie, vt longęui ſint, tum cruda omnes viridiq. ſenecta. Batavi, quos Hollandos modo vocant, olim (vt Lucanus & Tacitus teſtantur) inter inferioris Germaniæ populos virtute & belli gloria præcipui, nunc vero reſides, & diſſueti bello, ob vberrimū annonæ prouentū, rerumq. omnium affluentiam, obeſi, ac ventricoſi potius eſſe ſtudent, quam bellaces: ſic vt pleriſque,

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

In his tamen nihil fuci deprehendas, nec illos quidquā vel ſimulate, vel inſidioſe agere: quo ſpectat illud Cæſaris, qui a nonnullis admonitus, vt ab Antonio & Dolabella ſibi caueret: *Non iſtos*, inquit, *metuo obeſos, & rubicundos, ſed illos macilentos & pallidos*, Brutum & Caſſium deſignans. Itaq. Hollādi, tametſi ad res gerendas minus appoſiti videantur, & ab vſu armorum alieni, humanitatis tamen, & candoris haudquaquam ſunt expertes: in ędibus vero & domeſtica ſupellectile omnia apud illos ſpecioſa ſunt, & muliebri cura ni-

tescunt. Zelandi, qui a Cimbris profluxisse memorantu Mattiaci Tacito dicti, moribus plerunq. rusticanis atq. i cultis existunt, sed laboris patientes, in rebus aggrediend audaces; in bello intrepidi; in conficiendis negotiis celer & expediti, in re nautica strenui. Negociatores illorũ ca lidi & cati; ad rem attenti, in contractibus astuti, versipe les, & polytropi: inter quos sunt minuti quidam & ignob les, qui quum non liberaliter, nec ingenue mercaturã ex erceant, omnia callide, versute, insidiose agunt, vtq. Virgi lianus ille Sinon,

——In vtrumq; parati,
Aut versare dolos, aut iudem inuoluter ipsi.

Qui vero ex erythrodano, quam rubeam vocant, quæstum faciunt, atq. emolumenta spectant: quiq. saperdas & salsamenta venditant, deniq. salinatores ipsi, quorũ in Zirizæa ex viris primariis maior, quam apud reliquos Belgas copia est, optima rerum contractarum fide vtuntur, magistratus etiamnum interposita attestatione, affixaq. mercibus peculiari tessara, sic vt nulla in his suspicio, vel fraudis, vel doli mali incidere possit. Qui autem a plebeis moribus remotiores, atq. a negociandi consuetudine alieni, literis & disciplinis se oblectant (quorum sane apud hos permulti) simili fere sunt ingenio, quo fuisse Aristotelem & Isocratem refert Cicero, quorũ vterq. suo studio delectatus contempsit alterum. Quæ æmulatio hoc effecit superioris ætatis memoria, (nam id vitium nunc sublatum est) vt nulla fuerit inter eruditos consiliorum studiorumq. cõmunicatio; nulla inter eiusdem artis candidatos & symmystas vitæ coniunctio, nulla societas; rari amicorum cœtus, rari conuictus domestici, congressusq. familiares: quum tamẽ propter sermonis festiuitatem tempestiuis moderatisque conuiuiis impense se delectatum apud Ciceronem refert Cato: atq. ab his non modo non auocat, verumetiã inuitat atq. illectat Plato: non certe ob aliud, quam vt quisq. animi nebulas, & quæ vel inuitis nonnunquã obrepunt, absurda phantasmata, huiusmodi laxamentis discutiat, diluatq. Nec

sane

ane cuiusquam magis interest φιλανδρωπίαν *inter se co-*ere & fouere, quam eorum, qui humanitatis studiis sunt imbuti. Hæc aũt morum atq. ingeniorũ discrimina (quæ nullius, vel iniuria, vel contumelia, sed illustrandi argumenti causa obiter a me referuutur, vt quæ in rudi atq. imperita plebe passim elucescant) partim ab auitis moribus & progenitorũ natura, partim ex alimentis atq. ambientis aeris qualitate, præcipue autẽ a prima institutione atq. inueterata consuetudine profluxerũt. Sic videre est plerasq. gentes rebus inclinatis, ac statu publico labẽte in deterius, ad corruptissimos mores esse prolapsas: rursus alios mutatis morib. relictoq. veteri atq. inolito errore, erectos in melius, ac laudabile vitę institutũ, asciuisse. Sic obseruatũ est nostra & auorũ memoria, Cisalpinos aliã vitam, alios mores assumpsisse, vel alterius gẽtis coalitu & cõmixtione, vel per nomophylaces, h. e. legũ conditores, saniori inducta disciplina. Sic Belgæ cultissimis morib. esse cœperũt, postquã huc inuecta negociatio & tot opulentissima emporia erecta sunt; postquã huc inducta artium atq. humanitatis studia; quæ profecta primum ab Academia Louaniẽsi (qua nulla celebrior) progressu temporis in finitimas quasq. regiones deriuari, propagariq. cœperunt: postquam deniq. inuictiss. Imp. Carol⁹ eius nominis V. has oras frequentare cõsueuerit, tot viris Heroicis, atq. illustribus, tot inclitis ambactis (vt Cæsaris voce vtar) stipatus. Quibus reb. effectum est, vt homines olim barbari, atq. ab omni humanitate alieni nunc lingua, cultu, moribus quosuis non ementiri, sed ad viuum exprimere didicerint. Sunt .n. istiusmodi hominum ingenia propemodũ vti frutices, atq. arbusta, quę si cõmode & accurate tractes, facile vt ait præstãtissimus Poëta,

Exuerint siluestrem animum, cultuq; frequenti
In quascunq; voces artes, haud tarda sequuntur.
Quippe solo natura subest.

Vt igitur vitiosum ac deprauatũ corporis habitum admodum facile est mutare in melius; ita quæ cuiq. gentilitia sunt, & cognata, quæq. a prima saliua, atq. inter ipsos nutricũ amplexus inhæserunt, admodum procliue est, si quid habent vitii, vel eximere, vel coercere, nulla habita siderũ ratione, eaq. vel negle-

cta, vel non anxie obseruata. Cæterum in his quę ad res, ad alimenta, ad qualitates spectant, non patiar astrologiam debita laude fraudari; sed metas statuo, atque iis fręna iniicio, qui impudentia quadam circulatoria vagantur longius, & (quod hinc quęstus manat vberrimus) inexplorata pro certis, dubia pro veris, incognita, pro compertis hominũ mentib⁹ ingerunt: quo nõ aliud cõsequuntur miseri, qui ab his respõsa petũt, atq. oracula scitantur, q̃ vt excussa expugnataq. animi stabilitate incõsultis motib⁹ ducãtur. Nã plerosq. noua Genethliacorũ ꝑsuasione imbutos. ingrauescentib. morbis, aut calamitate aliqua sęui⁹ ingruẽte, remedia q̃libet pręsentanea respuisse, omniaque vitę & valetudinis solatia, ac doloris lenimẽta penit⁹ auersatos, sic vt metũ mortis, aut inanẽ aliquã opinionẽ impendẽtis mali, quã ex vanis quorundã auguriis conceperãt, ægre sibi eximi paterẽtur. Alios obseruari tã supina securitate, tãtaq. licentia ętatẽ transigere, vt freti quorundã pręsagiis, ne dicam præstigiis, nullis mouerẽtur terrorib. nec vllis periculis, vllisq. malorũ aut morborũ insultib. cõcuterentur: sic vt prorsus sibi ꝑsuaderẽt, ea omnia, quæ generi humano q̃libet acerba diraq. ac formidãda singulis momẽtis impẽdent, nihil ad se ꝑtinere, ab iisq. se omnino fore tutos atq. im̃unes. Quod ipsum hi solũ sibi ꝑsuasum habere & possunt & debẽt, qui se verbo Dei fulciunt, eoq. subsistunt, quiq. ex fiducia in Seruatorem nulli non expetendã atq. optabilem illam εὐθυμίαν iure sibi vendicant, quæ qui i efficiat in animis hominum, cũ Paul⁹ ad Rom. abunde demonstrat, tum Psalmi & Prophetæ nusquam non testificantur. Huc igitur nostri instituti ratio, atq. huius narrationis scopus dirigitur: ne quis Astrologiam figmentis nugisq. contaminet; nec superstitiosius siderum vires in fortunas, in liberos animi motus, in consilia actionesq. nostras ac voluntates tanquam illorũ necessitati obstrictas, penetrare sinat: postremo (in quo totius rei cardo vertitur) ne sit alter in consultationib. expetendis nimium vel curiosus, vel credulus; alter in iis pronunciãdis plus satis aut præceps aut temerarius. Siquidem vt Virgiliano carmine rem finiam, *Nescia mens hominum fati, sortisq. futuræ.*

F I N I S.